VNIVERSA
HISTORIA
PROFANA

In certa Capita,

PER ANNORVM DECADAS DIGESTA,

A CHRISTO NATO,

AD ANNVM MILLESIMVM SEXCENTESIMVM QVADRAGESIMVM,

CVM IMPERATORVM REGVMQVE FRANCORVM ICONIBVS.

Auctore IACOBO GOVTOVLAS *Tolosano,*
Societatis IESV *Sacerdote.*

PARS PRIMA.

Quinto, ab Ecclesiâ conditâ, sæculo definita.

PARISIIS,
Apud DIONYSIVM BECHET, viâ Iacobæâ,
sub Scuto Solari.

M. DC. LIII.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

ILLVSTRISSIMO
ET EXCELLENTISSIMO
VIRO, DOMINO
D. PETRO
SEGVIER
CANCELLARIO
GALLIARVM.

PATERE (Galliarum Cancellarie Excellentissime) *paucis hic interpellari tuam amplitudinem, cui munus hoc qualecumque litterarum deferendum, non ex vnâ causâ iudicaui. Scio quantis me scriptoribus adiungam, quos ad idem patrocinium, tua virtus humanissima conuocauit; sed nullus est, crediderim, in illâ multitudine, qui tibi vel plura debeat, vel maiora repen-*

dat; hoc enim in operis mei commendationem quantumuis iactator audiam; præfari non pudebit, nihil tibi minus offerri, quàm sæculorum omnium gloriam, populos, principes vniuersarum gentium, & speciosam illam fabulam, quam totus orbis terrarum iamdiu exhibuit. Et certè cui potius, mundi illud spectaculum, quàm tibi sisterem, non habebam. Memineram quippe te, reliquis togæ principibus eminere primum dignitate; sed quod longè maximum est, in tantâ eruditissimorum hominum copiâ, vniuersis etiam præstare scientiâ; vt qui non Themidem tantùm Senator, Præses, & Cancellarius tuis quondam oraculis; Consistorium verò Regium, illâ regnatrice sapientiâ, quam politiam nuncupant, summè illustraueras; sed prætereà ad Plebem ipsam, Populumque scientiarum descenderas, quas in amplissimo tuo sinu complexus es vniuersas. Quare qui tibi libros consecrant, & quidquid erudito labore desudarunt, gratissimum in te, fœlici fato, non Mæcenatem solùm, sed dignum etiam cuiuscumque doctrinæ Iudicem, ac Patronum se reperiisse, gratulantur. Ego certè pro illo scriptorum genere, quod inter postremos, ag-

gredior, pronuntiabo vniuersæ Galliæ, tibi ſemper in deliciis fuiſſe hiſtoriam; quam, vt implebis olim poſt tuos SEGVIERIOS, *illuſtriſſimo nomine, iam quaſi currum triumphalem occupas, & dignus futurâ memoriâ, præteritam diligentiſſimè colis. In illâ ſcilicet ætatum omnium ſchola* (Vir illuſtriſſime) *conſulis ſine ſtrepitu magiſterium mortuorum; vides quo pede fluant hæc caduca, quæ ſumma dicimus; interrogas fortunam Principum, ortus, interituſque Regnorum ipſe perpendis; & ditatus illa ſcientia, quàm grandem animam Galliarum miniſterio reddis? Verùm cùm tuæ virtuti panægyrim in præſentia non inſcribam, non ibo per ſingulos tuæ gloriæ gradus; neque referam, quantùm ingenio tuo, fidei, & conſtantiæ patria debeat; hoc vnum conficere volueram, hiſtoriæ cognitionem, qualem ſine controuerſia ſummam obtines, magnis hominibus eſſe fundum inæſtimabilem ſapientiæ, & conſiliorum. Et hæc primùm cogitatio currentem impulit, vt te in huius operis Patronum eligerem. Acceſſit præterea domeſtica quædam, & veluti non quæſita me tibi ſiſtendi ratio; quippe iamdiu ſcribentem*

vrgebant viri clariſſimi Catelli Senatoris olim Toloſani, & materni auunculi purpurati manes, qui iure Conſanguinitatis repoſcebat, vt eſſet ex eadem familiâ, qui tibi publicam mundi hiſtoriam conſecraret, poſtquàm ipſe, magnus in paruis, amplitudini tuæ Occitaniæ ſuæ Annales inſcripſerat. Addebat optimus ſenex hoc etiam ſe non ſine titulo repetere, docebatque contractam, ſummâ Catellorum fœlicitate, affinitatem cum gente SEGVERIA, quæ, non ſine pompâ, tenuit hactenus inter Toloſæ familias principatum. Tuum igitur erit (Iuſtitiæ Princeps Illuſtriſſime) *poſt auunculi fata, quem communis mortalitas nobis eripuit, nepotem æqualia auſum non reſpuere; quem ſi vel iſta deſererent, adderet ſe in eâ ſocietate profiteri, quâ molles hactenùs nobiliſſimæ SEGVERIORVM gentis aditus nacta eſt, mirabili certè, & nunquam apud nos deponenda familiæ tuæ liberalitate, quam tu toties* (Cancellarie humaniſſime) *in vtraque fortuna, ne quidem ſupplicantibus effudiſti; hoc enimverò, vbicumque terrarum ſimus, & linguis prædicabimus vniuerſi, & teſtabimur monumentis; inter quæ, ſi fa-*

si fauente cœlo, rumpat hæc iniurias sæculorum historia, semper tui nominis fama, seu graui tropheo superbiet. Vale.

Addictissimus seruus,

I. GOVTOVLAS
Societ. Iesu Sacerdos.

AD LECTOREM.

EXIMIA quidem est historiæ quæ profana dicitur scientia, & homini cùm iucunda, atque vtilis, tum summopere honesta. Verùm discendę comparandęve ratio quàm difficilis & molesta. Nam quantâ in voluminum multitudinem est dispersa? quantâ amplitudine in singulis diffusa? quarum copiá non ita facile habere possis, & si habeas, in ordinem redigere, vnumq; textum componere non ita pronũ. Pręterea, in plerisque, res nullę, certis distinctę, aut indicatę signis, sed vno tenore confusè comprehensæ, & aliæ aliis implicatæ, nullę verò suis assignatæ temporibus; sicubi autem attributę sunt, certè aut commixtim vnà cum sacris; & tunc quidem, vel in sęcula perturbatè congestæ; vel in singulos annos minutim, cum insuperabili memorię labore, dispertitę; aut ad Imperatorum aliquorum administrationem, partim tantùm, nec maiori discrimine reuocatę; vt si qua, tuos ad vsus egeas, reperire, & carpere vix possis. Has tamen difficultates si tollerem, aut certè

leuarem, non parum me apud ſtudioſos hiſtoriç, & ſpoliorum antiquitatis aliquando cupidos, meriturum ſperaui. Id autem, ſaltem ex parte, mihi viſus ſum perfecturus eſſe, ſi in certas annorum Decadas diſtribuerem, quaſi rationem temporum non adeò laborioſam memoriç, neque nimiùm diminutam, neque nimiùm craſſam, atque confuſam; ita tamen vt ſi quis exactiorem velit, etiam habeat ad ſingulos annos definitam; res verò cuiuſque decennij ad certos titulos reuocarem; tum vt alias, ab aliis, ſecernerem; tum vt quiſque habeat quaſi quædam inſignia theſaurorum, in quibus vnumquodque genus diuitiarum latet, & vnde ſtatim eas eruat, quæ ſibi opus fuerint, nec habeat neceſſe omnes tumultuariò, vt alioqui plerumque fit, effodere. Hos tibi, vt vno ſub aſpectu ponam, appello.

Primus res Imperatorum vnoquoque decennio geſtas, mortem, ſi tum inciderit, & breuem vitæ totius Epitomen complectitur. Secundus Regum Francorum nomina, cum breui factorum, & vitæ deſcriptione, ſi tamen eò tuum flexus hiſtoriç decurrendæ, deduxerit ſtylum, legenti tibi ſubiiciet. Tertius Heroes eiuſdem temporis. Quartus, viros doctrina illuſtres, vna cum libris in lucem editis. Quintus natalitia Principum, & magnorum virorum. Sextus Regnorum ortus,

& interitus. Septimus opera publica, qualia ſunt voluptuaria loca, pagi, vrbes, amphitheatra, pyramides, ſtatuæ, arcus triumphales, &c. Octauus prodigia in cælo, vel aëre, vel aquis, aut terrâ, viſa. Nonus calamitates, quarum in numero repono terræ motus, incendia, peſtes, caritatem annonæ. Decimus, bella, quo vocabulo comprehenduntur exercitus, prælia, expugnationes vrbium, agrorum vaſtationes, victoriæ, &c. Vndecimus triumphos, & ſpolia, ac tropæa. Duodecimus reos coniurationis in Patriam, vel Principem, aliorumque huius generis criminum famoſorum. Decimus-tertius obitus celebres, aut morientium dignitate, aut mortis genere. Decimus quartus illuſtria funera.

At ſanè non vnumquodque decennium hocce contextu omnes illæ inſcriptiones implebunt; ſed illud iſtæ, hoc aliæ; quippe nec rerum tam multarum, nec ſemper ſimilium omnia tempora fœcunda ſunt; vix tamen occurret vlla huiuſmodi decas annorum euoluenda, quam pleniores illæ rerum memorandarum apothecæ, & loculamenta titulis ſuis omnibus inſcripta non ditauerint. Ne tamen litteratorum iſtę diuitiæ, ipsâ vileſcant copiâ, perſcrutare priùs, & introſpecta, quam negligas. Hoſce igitur theſauros meos, diuturno labore conquiſitos, non effodiendos tibi,

ſed ad manum paratos, facile carpito; nempe vt pretioſiùs tuam beneuolentiam aucuparer, aggeſtis in vnum cumulum, Hiſtoricorum ferme omnium diuitiis, ætatum omnium ſumptibus, & tot ſeculorum impenſis emendum, mihi eſſe duxi, vt tibi quàm ditiſſimè ſeruirem. Vide ne gratiam rependas auarè, qui tam profusè aliena largitione diteſcis; & quanti faciam, tibi vni placere, vel hinc æſtima, quod tibi hîc addixerim officioſum ſeculorum omnium famulatum. Dabis igitur leuitandis hiſce meis lucubrationibus aliquem diem; cùm ego tibi dederim tot Decadas annorum. Neque in Bibliotheta tua locum negabis huic operi, quod tuam in domum, orbem ſimul inferet vniuerſum. VALE.

VNIVERSA HISTORIA PROFANA

IN CERTA CAPITA PER ANNORVM DECADAS DIGESTA A CHRISTO NATO

AD ANNVM MILLESIMVM ſexcenteſimum quadrageſimum.

SÆCVLI PRIMI.

DECAS PRIMA.

AVGVSTI IMPERATORIS Geſta.

NAVALEM pugnam, aquâ incauatum, prope Tiberim ſolum, in quo olim Cæſarum nemus, vt ait Suetonius; ſiue in circum Flaminium, vt vult Dio, inductâ, exhibuit anno Chriſti primo, principatus quadrageſimoſecundo; in quâ ſex, & ſexaginta Crocodili cæſi, plurimæque triremes, ac triginta roſtratæ naues, inter ſe depugnarunt. Edidit inſuper gladiatorum munus auguſtiſſimum. *Dio lib.* 55.

Necem filiæ suæ Iuliæ adulteriorum compertæ meditatus, ac in varias animi partes distractus, multùm deliberauit eodem Christi anno; vinique vsum, atque omnem delicatiorem cultum relegatæ ademit: imò nec adiri à quoquam libero, seruoue, nisi se consulto permisit. *Suetonius lib. 2.* Iudæis tum Romæ, tum vbique terrarum fauit, eorumque sacra Mysteria, & antiquos ritus impensè coluit. *Philo de legatione ad Caium.*

Post Lucij Cæsaris nepotis sui obitum, de Tiberio Nerone adoptando, eique tribunitiâ potestate conferendâ egit anno Christi quinto, principatus quadragesimo sexto; plurimum renitente Tiberio ipso, qui è Rhodo Insulâ, Romam redierat; verebatur siquidem Caij adhuc superstitis inuidiam; Ea propter res vsque ad Caij mortem dilata est: *Velleius lib. 2.*

Extinctis duobus Cæsaribus, Caio & Lucio, suis ex Agrippa, & filiâ suâ Iuliâ nepotibus, quos adoptauerat domi, emptos à patre Agrippa per assem, & libram (duo enim illa ad venditionem desiderabantur apud Romanos, imò etiam ad aliqua testamenta, *Auctore Gellio lib. 15.*) omnique spe hæredum Imperij collapsâ, Tiberium Neronem priuignum ex Liuia Drusillâ vxore, quæ antea Tiberio Neroni patri nupserat, tribunitiæ dignitatis ad quinquennium, vt refert Suetonius, vel decennium, vt Dio, consortem fecit, quinto Kalendas Iulias, anni Christi sexti, principatus quadragesimi septimi; tum illi filiam suam ex Scriboniâ coniuge, etiamnum ex priori marito Agrippa mortuo prægnantem, in matrimonium dedit; denique in filium suum assumpsit, hæredemque Imperij, postquam Germanicum Drusi fratris sui filium adhuc iuuenem, in suum arrogasset, constituit. *Suetonius, & Velleius lib. 2.* Adsciuit insuper eodem die M. Agrippam posthumum, cum enim Iulia, post M. Agrippæ mortem, enixa fuerat.

Huius publicæ lætitiæ causâ, vt scribit auctor citatus, Iuliam quinto abhinc anno relegatam in continentem transtulit, exorari tamen nullo modo potuit, vt ad proprios penates reuocaretur.

Domini titulum penitus repulit anno Christi septimo, principatus quadragesimo octauo; ne fortè Ciues, ac subditos famulorum, aut seruorum loco habere videretur. *Suetonius.* Liuiæ coniugis suasu eodem Christi anno Cn. Cornelium Cinnam, filiâ Pompeij Magni genitum, iniuriatum, atque coniurationis conuictum admonuisse contentus, non solum vitâ, sed etiam consulatu donauit. Ludos item Circenses edidit. *Dio lib.* 55.

Concessit Libertinis virginibus vt in Collegium vestalium admitti possent, cum ægrè nobiles virgines id institutum sectarentur. Cohortibus præmia auxit; decreuit enim, vt prætoriis quæ expleuissent sexdecim stipendia darentur viritim vicena millia nummûm. Reliquis autem expletis viginti annis militiæ, duodena millia. *Dio loco citato.*

Incendiis curandis libertinos septem creauit, quibus Equitem præfecit. Ærarium constituit in Emeritorum militum præmia, & ad id vigesimam hæreditatum, & legatorum pensitari iussit, exceptis iis, quæ propinquis, aut pauperibus relinquerentur. Cæterùm illius administrationem prætorij, pecuniæque militaris, tribus sorte Electis commisit in triennium. *Dio lib.* 55.

Archelao, filio Herodis Regis Iudæorum, iam demortui dimidiam partem paternæ possessionis, Iudæam nempe, Idumæam, & Samariam concessit eodem Christi anno octauo. Regem tamen non constituit, sed Ethnarcham tantùm, seu principem. Alteram vero in Antipam, & Philippum fratres partitus est, quos Tetrarchas esse voluit. Herodi quidem Antipæ Transamnana Regio, cum Galilæâ contigit; Philippo verò Bathanea & Auranitis cum Traconitide. *Iosephus lib.* 17. *cap.* 13. Porrò Tetrarcha dicebatur ille qui quartam regni partem obtinuerat.

Bellis vndique sæuientibus ita incubuit anno Christi nono, principatus quinquagesimo, vt cæteris negotiis in Senatum rejectis Ariminium se contulerit, quo tutiùs, citiùsque ea quæ in Pannoniâ gererentur, resciret. Cæterùm Ariminium ciuitas est Italiæ, à proximo eiusdem nominis fluuio sic dicta. Hæc quondam Vmbrorum Colonia fuit, ædificata anno,

ante Christum ducentesimo septuagesimo Ptolomæo Lagi filio Ægypriis imperante. Illam à Liburnis dirutam Diocletianus reposuit, in eâque fusis Liburnis arcum triumphalem erexit.

Tributum eodem Christi anno nono, pretij mancipiorum, quæ vendebantur, constituit. Tum Germanicum, in Pannoniam misit, non leui suspicione ductus, ne Tiberius de industria bellum ibi protraheret, vt diutius in armis esset. Annonæ item curam duobus Consularibus mandauit. *Dio lib.* 55.

HEROES.

Sanguine, Gestis, & Politiâ.

CAius Cæsar Augusti Imperatoris nepos, & filius adoptiuus Asiam petiit anno Christi primo, Augusti Imperatoris quadragesimo secundo; Rhodumque ad Tiberium, quartum iam annum illic commorantem diuertit, *Velleius lib.* 2. Anno vero Christi tertio, Augusti Imperatoris quadragesimo quarto, Consulatum in Orientali expeditione (ex quâ nunquam reuersus est, vt testatur idem auctor laudatus) iniit, Augusti exemplô, qui, vt scribit Suetonius, quartum Consulatum in Asiâ, quintum in Samo Insulâ, octauum denique, & nonum in Hispania gessit.

Lucius Cæsar, Caij frater prætextâ, magno cum spectaculorum apparatu depositâ, rogam virilem induit anno Christi primo, Augusti Imperatoris quadragesimo secundo. *Dione teste lib.* 55. Tum in Hispaniam proficiscens anno Christi secundo Augusti Imperatoris quadragesimo tertio, Massiliæ, quæ est vrbs in Prouincia Narbonensi, Astyage Medis imperante condita, in morbum lethalem incidit. *Suetonius.*

Marcus Lollius vir illustris, Caij Cæsaris Orientis præfecti moderator constitutus anno Christi primo, Augusti Imperatoris quadragesimo secundo. *Velleius lib.* 2.

Sulpitius Quirinus eiusdem Caij principis in expeditione Orientali Comes creatus Eodem Christi anno primo, deinde Rector Lollio mortuo. *Velleius loco citato.*

Herodes Iudæorum Rex Edictum sanciuit de iureiurando anno Christi secundo, Augusti Imperatoris quadragesimo tertio, quo Cæsari, sibique, ac posteris Iudæorum gentis fidem obstringeret; Quod dum abnuunt Pharisæi vltra sex millia, graui pecuniæ mulctâ affecti sunt, quam (quod mirum videri posset) Pherore Herodis Fratris vxor persoluisse fertur. *Iosephus lib. 17. c. 15.* Nobiles item Iudæos in Circo concludi iussit anno Christi octauo, Augusti Imperatoris quadragesimo nono; Sororemque Salomen, atque eius virum Alexam infimis precibus, ac lachrymis expugnare aggressus est vt cum primum desiisset, omnem illam procerum multitudinem, immisso milite, tanquam illustres inferiarum victimas, augustumque comitatum nefanda nece mulctarent; expectatione tamen delusus Tyrannus immanissimus tantam huiusce criminis noxam ad inferos secum deuexit. *Iosephus lib. 17. antiquitatum, & lib. 1. de Bello Iudaico.*

Tiberius Augusti Priuignus, Rhodo reuersus anno Christi quarto, Augusti Imperatoris quadragesimo quinto, in hortos Marcomaria nostransmigrauit, vt asserit *Suetonius*; totumque se ad quietem contulit, priuato modo officia obiens; ea enim lege ab exilio septenni euocatus fuerat, vt nullam Reipublicæ curam gereret.

Germanicus Drusi, & Antoniæ iunioris filius, quem Tiberius iubente Augusto principe in filium suum adsciuerat anno Christi sexto, Augusti Imper. quadragesimo septimo; Rem fœliciter gessit in bello Germanico anno Christi octauo, Augusti Imperatoris quadragesimo nono. Munus item gladiatorum cum Claudio fratre in honorem Patris sub idem tempus exhibuit. *Dio lib. 55.* Addidit & Ludos Circenses, in quibus Rhinoceros ab Elephanto deuictus fuit.

Sentius Saturninus Tiberij legatus, cum Messala viro Consulari magnum sibi nomen victricibus armis fecit. Anno Christi octauo, Augusti Imperatoris quadragesimo nono. *Velleius lib. 2.*

Cornelius Cossus dux exercitus in Africâ triumphali honore, & cognomento Getuli ornatus fuit eodem Christi anno octauo. *Dio lib. 55.*

Archelaus Herodis Iudæorum Regis filius, extincto Patre rerum potius est eodem anno. Hic luctu parentis diebus septem celebrato, funebrique Epulo pro more exhibito, templum periit, Regisque nomine abstinuit, donec Cæsar testamentum Patris approbasset. Ea propter profectionem in vrbem parauit; quo tempore, seditione, ab eorum amicis quos propter concisam aquilam auream Herodes supplicio affecerat, exorrâ, cum illam frustra placare conatus fuisset, illosque compescere, qui conuitia identidem & dicteria multa in defunctum principem iactabant; Pontificemque Ioazarum è suo Pontificatu deijci postulabant; emisso sub festum Paschæ, circa templum exercitu, tria millia interfecit, tum seditione compressâ Romam cum multis è Regiâ familiâ, ac præsertim Antipa, & Salome adnauigauit. *Iosephus lib.* 17. Tandem in Iudæam reuersus iam Ethnarcha, seu princeps, Ioazaro insimulato, quod seditiosis fauisset, Pontificatum abrogauit, quo Eleazarum ipsius fratrem donauit. *Iosephus libro citato.* Vbi asserit Archelaum Romam deductum anno Christi nono, Augusti Imperatoris quinquasimo, & tyrannicæ dominationis postulatum apud Cæsarem, exilio damnatum fuisse.

Quintilius Varus Eques Romanus, ex illustri & antiquâ familia ortus, otio magis quam bellicis tumultibus idoneus Syriæ præerat; quam vt scribit Velleius, pauper diuitem ingressus; diues pauperem reliquit. Hic eodem Christi anno nono litteras accepit à Cæsare, vt Iudæam Archelai ditionem Prouinciæ Syriæ annecteret. *Iosephus lib.* 17 *antiquitatum.* Tum è Syria euocatus ad Rhenum Romani exercitus contra Arminium Cheruscorum Regem Imperator à Tiberio creatur. *Dio lib.* 55.

Lepidus vir magni nominis, atque fortunæ vt testatur. *Velleius lib.* 2. Dux eodem anno contra Batonem Pannoniæ principem qui Dalmatas in Romanos armarat constituitur. *Cuspinianus.*

VIRI ERVDITI.

ASinius Pollio orator celebris, & Augusto principi maxime carus, omnes fere coæraneos auctores notâ quadam asperſit præcipuè Saluſtium ob nimiam priſcorum verborum affectationem. Hic primus elucubrationes ſuas palam pro concione dixit, primuſque Romæ Bibliothecam publicauit; in qua Marci Varronis effigies ad viuum expreſſa eminebat. Scripſit ad Cæſarem contra maledicta Antonij; de prouinciæ hæredibus. citatur à Chateſio; *Euſebius in Chronico, & Geſner.*

Pompeius Trogus, vir magnæ famæ, & facundię ſummæ, ſæculorum omnium, Regum, nationum, atque populorum geſta, quadraginta quatuor voluminibus latino ſermone complexus eſt. *Geſner.*

Titus Liuius Patauinus Hiſtoricorum facile princeps, ampliſſimiſque honoribus ab Auguſto Imper. auctus, Hiſtoriam annorum ſeptingentorum quinquaginta ab vrbe conditâ, vſque ad Chriſti natalem libris centum quadraginta, vel vt alij volunt; centum quadraginta duobus contexuit, quorum operum maximam partem, temporum iniquitate amiſimus: ex iis ſiquidem quadraginta quinque tantùm ſuperſunt; vt refert *Euſebius, Philippus Bergomenſis & alij.* Hunc Quintilianus Herodoto oppoſuit, vt Saluſtium Thucididi. Hieronymus verò ad Paulinum ſcribens, lacteum eloquentiæ fontem, ac illius ſæculi ſtupendum miraculum vocauit.

Dionyſius Halicarnaſſeus res inſuper Romanas ab vrbe conditâ ad principium vſque belli Punici libris vndecim diligentiſſimè conſcripſit; quos Lapus Biragul Florentinus Latinè vertit, Henricus autem Glareanus emendauit, variiſque obſeruationibus illuſtrauit; Tractatus item aliquos compoſuit de characteribus quorumdam oratorum, de apta partium inter ſe collocatione; quomodo fiant Epithalamia; Epitaphia, Panegyrica, quæ Theodorus Gaza latio ſermone donauit. *Geſner, Volaterranus, & alij.*

Iulius Hyginus Grammaticus libros aliquos nobis reliquit de vitâ, rebusque illustrium virorum; de Dijs penatibus; de proprietate Deorum; adde commentarios in Virgilium, & vitam Africani, *Gellio teste & Macrobio.*

P. Ouidius Naso Salmonensis, Athenis primò poëticam, deinde Philosophicam disciplinam didicit; tum Romam veniens apud Augustum Cæsarem, carmine plurimùm valuit. Multa stylo facili, ac nitido contexuit; Metamorphoseon libros quindecim; Fastorum sex; Tristium quinque; de Ponto quatuor, de medicamine faciei vnum, ad Liuiam vnum, de laudibus Augusti vnum, & Epistolarum vnum. *Philippus Bergomensis, & Gesner.*

Messala Coruinus orator disertissimus, & à Cæsare in delitiis habitus, de Grammaticali scientiâ acutatissimè disseruit; librum vnum inter reliqua ingenij sui monumenta, de progenie Augusti Imperatoris edidit; *Philippus Bergomensis, & Gesner.*

Solinus Historicus, & orator grauissimus, librum Collectaneum dictum, hoc est de mirabilibus mundi elaborauit, Cæsarique Romæ obtulit. *Philippus Bergomensis.*

Cornelius Nepos, patriâ Veronensis, orator insignis, atque Rhetor, imò & Geographus permaximus, non solum Historiarum libros aliquos, atque Geographiam composuit, sed etiam Annales virorum illustrium, & Chronica. *Philippus Bergonensis.*

Diodorus Siculus Historicus præclara quæque gentium omnium libris quadraginta attigit; quorum sex primi antiquorum gesta ante bellum Troianum, quæ fabulosa appellantur, continent. vndecim sequentes, ea quæ de bello Troiano vsque ad Alexandri Macedonis mortem peracta fuere, referunt; In reliquis denique viginti quinque, omnia illa, quę pertinent ad bellum Gallicum, quod Romani duce Iulio Cæsare gesserunt, describuntur. Cæterùm huiusce historiæ, quam bibliothecam, inscripsit sex tantùm libri ad nostram peruenere ætatem. *Suidas, Gesner, & alij.*

Athenodorus Tarsensis, Philosophus Stoicus, filius Sandonis, cognomine Cananites, Cæsaris Augusti præceptor, &

discipulus Dionysij, opus varium in lucem dedit, quod Διάφορα inscripsit. *Eusebius in Chronico.*

Verrius Flaccus libertus Grammaticus, erudiendi genere maxime claruit, docuitque in atrio domus Catilinæ, quæ erat pars Palatij; Nepotum principis præceptor fuit; sestertia centena in annum accepit; Præneste oppidum Larij, edito in loco naturaque munito situm, à præneste conditore ita dictum, *teste Stephano*, in inferiori fori parte, illius statuam habet contra hemicyclum, in quo, fastos ordinatos, & Marmoreo parieti incisos, publicarat. *Suetonius de illustribus Grammaticis.*

Votienus Montanus Narbonensis, orator illustris, cuius meminit *Martialis, & Seneca sparsim suis in declamationibus.*

Fenestella Historicus celeberrimus de quo *Plutarchus in vita Syllæ; Plinius lib. 33. cap. 1. Aullus Gellius, Vlpianus, Gesner, Eusebius & alij.*

OPERA PVBLICA.

Regia ab Archelao apud Hiericuntem oppidum Iudææ, inter Hierosolyma, & Iordanem situm, ac Palmetis circumquaque consitum, fontibusque irriguum, instaurata fuit anno Christi quinto, Augusti Imperat. quadragesimo sexto. Aliaque nonnulla vt refert, *Iosephus lib. 17. cap. 15.* Vbi ait, eundem principem vicum condidisse anno sequenti quem Archelaïda nominauit.

PRODIGIA.

Olei fons è terra Romæ erupit, totaque die largiter fluxit anno Christi primo, Augusti Imper. quadragesimo secundo aureus item circulus circa solem emicuit; immo & tres soles visi, statuaque Romuli Collapsa. *Eutropius.*

CALAMITATES.

Horrendis terræ motibus prouinciæ variæ concussæ fuere

anno Christi septimo, Augusti Imperatoris quadragesimo octauo. Tiberis Dejecto ponte, miserandam tùm hominum, tum ædificiorum cladem intulit. Tanta insuper eodem Christi anno tamque ingens inuasit Romanos fames. *Teste Orosio lib. 7. cap. 1.* Vt Cæsar Lanistarum familias, omnesque peregrinos, seruorum quoque maximas copias, exceptis medicis, ac præceptoribus, extrudi Roma præceperit. *Dio loco citato*, Scribit eam adeo grassantem anno sequenti vt gladiatores, mancipiaque venalia, vltra sexcenta quinquaginta stadia, ab vrbe Ejecta fuerint; Iustitium indictum; Concessumque Senatoribus vt quo gentium vellent maturarent vrbs denique fædissimis incendiis vastata fuit.

RES BELLICÆ.

Phraates Persarum Rex à Romana societate discissens Armeniam inuasit anno Christi primo; Augusti Imperatoris quadragesimo secundo. *Dio lib. 55. Velleius lib. 2.*

Armeni deficiunt à Romanis anno Christi quarto; Augusti Imperatoris quadragesimo quinto contra quos missus est anno sequenti Caius Cæsar Augusti nepos, vbi dolo grauiter ab Armenis vulneratus fuit. *Velleius lib. 2.*

Tiberius, post adoptionem sui à Cæsare factam; mouit in Germaniam anno Christi sexto; Augusti Imperatoris quadragesimo septimo; triennium enim anre, M. Vinicio Consule bellum in ea exarserat, vbi nonnullos subegit populos opera Senrij Saturnini Consulis. *Dio lib. 55.*

Ineunte vere, eandem Prouinciam repetit anno sequenti, quam totam Velleio afferente fælicibus armis perlustrauit; victæ gentes nominibus pene incognitæ, receptæ Cauchorum nationes, omnisque eorum iuuentus infinita numero, immensa corporibus, situque locorum tutissima, armis depositis vna cum suis ducibus, ante Imperatoris tribunal procubuit; victor itaque omnium gentium, locorumque, quos adierat, magna cum strage hostium, ex Hyberna, legiones reduxit. Eadem refert. *Dio lib. 55.* Vbi item obseruat legiones in Imperio fuisse tunc viginti quinque.

Idem anno Christi octauo, Augusti Imperatoris quadragesimo nono expeditionem fecit in Germaniam contra Marcomannos, qui Maroboduo duce societatem cum Pannonia, & Dalmatia inierant. Hi variis in locis partim à Tiberio, partim à Sentio Saturnino, partim à Messala, viris Consularibus feliciter expugnati fuere. *Dio loco citato.* Cornelius Cossus eodem anno Getulos in Africa latrocinantes fortiter compressit.

Germanicus tunc quæstor in Germaniam magno cum exercitu ex ingenuis, liberisque conflato proficiscitur anno Christi nono; Augusti Imperat. quinquagesimo, vbi Macæos, gentem Dalmaticam magnis affecit cladibus. *Dio ibidem.*

RES INSIGNES.

Theoda magnus præstigiator, & Magus, accusatus, damnatusque obtruncatur, eiusque abscissum caput Hierosolymam defertur. *Iosephus lib. 20. antiquitatum, cap. 2.*

Iulia Augusti Imperatoris filia, adulteriorum rea in Pandatariam Insulam, quæ est in puteolano sinu relegatur eodem Christi anno primo, Augusti Imperatoris quadragesimo secundo. *Suetonius.*

Agrippa M. Agrippæ Posthumus, & Caij, Lucijque Cæsarum frater, quem Augustus in foro, lege curiata adoptarat, rudis sane bonarum artium, & robore corporis stolide ferox, nullius tamen flagitij conuictus, in Planasiam insulam, quæ est in mari Thyrreno, Corsicæ propinquam, nec longe ab ea quæ vocatur Ilüa, amandatur anno Christi nono; Augusti Imperatoris quinquagesimo; septusque est custodia militari: immo cautum Senatusconsulto, vt ibi in perpetuum contineretur; eius autem facultates in ærarium militare relatæ fuere. *Suetonius.*

OBITVS ILLVSTRES.

Lucius Cæsar exeunte anno Christi quarto; Augusti Imperatoris quadragesimo quinto, ætatis vero decimo nono, morbo extinguitur Massiliæ. *Velleius lib. 2.*

Caius Cæſar Romam repetens dolo ab Armenis vulneratus Lamyræ ciuitatis Lyciæ, regionis minoris Aſiæ, fato propero, vel Liuiæ, vt creditur, nouercæ artibus accerſito, abreptus eſt anno Chriſti quinto; Auguſti Imperatoris quadrageſimo ſexto; ætatis viceſimo quarto, tanto certe maiore parentis dolore, quanto maior fuerat in ipſum amor, & ſtudium, Lucio fratre iam defuncto. *Velleius loco citato.*

Aſinius Pollio vir Conſularis, & orator illuſtris moritur in villa Tuſculana, ætatis anno octogeſimo, Chriſti vero ſexto, & Auguſti quadrageſimo ſeptimo. *Euſebius in Chronico.*

Iuba vir celebris prælio inito contra Getulos cecidit in Africa, anno Chriſti octauo; Auguſti Imperatoris quadrageſimo nono. Huius vxor Glophyra Archelai Regis Cappadociæ filia ad patrem reuerſa, tertiis nuptiis Archelao coniuncta eſt, Mariamne repudiata. *Ioſephus lib. 17. cap. 15.*

Antipater qui Herodem Patrem veneno auferri parauerat, parentis iuſſu, eodem Chriſti anno octauo, quinto die ante ipſius obitum interficitur. *Ioſephus loco citato.*

Herodes Regum alioquin feliciſſimus, annum fere ſeptuageſimum agens, diris tùm corporis, tùm animi cruciatibus extinguitur prope tempus Paſchale, eodem Chriſti anno, Regni vero trigeſimo ſeptimo inchoato. Archelaum maiorem natu ſucceſſorem regni reliquit, Herode Antipa & Philippo Fratribus Tetrarchis conſtitutis, reliquis cognatis, ſorori inprimis oppida nonnulla, aurique magnam vim tribuit; Cæſari denique, quod credi vix poteſt, vxorique eius Liuiæ præter aurea vaſa, & argentea, reliquit argenti ſignati centies quinquagies centena millia, hoc eſt quindecim milliones noſtri temporis. *Ioſephus lib. 17.*

ICON
HERODIS REGIS IVDÆORVM.

HERODES *Iudæorum Rex, ortu Idumæus, educatione Ascalonita, cognomento magnus, re ipsa vitiis omnibus, ac inprimis impietate in Deum, & in homines crudelitate maximus. Regno per vim, & cæde legitimi principis Antigoni potitus: Religionem Iudæorum ad speciem; animo eam coluit quam ambitio præscribebat Messiam Dei filium ad mortem quæsiuit, & vt innocentem vnum perderet, innumerabiles prope perdidit. Templa, & aras impia adulatione principibus Romanis erexit; Pontifices duos regij sanguinis, alterum calumniis, alterum insidiis circumuentum sustulit; quatuor alios pontificatu deiectos in ordinem redegit; scribas, & Pharisæos sacerdotes plurimos interfecit; & in iis Zachariam Ioannis Baptistæ patrem; Dauidis sepulchrum suffodit, templum instaurauit; homo mulierosus, & vnus eodem tempore nouem vxorum vir, quarum duas expulit; tertiam cum matre, & duobus ex ea susceptis filiis, enecauit; In patruum & primogenitum filium, magnamque domesticorum partem æque inhumanus, domi calamitosus, foris vero in præliis fortis satis, ac felix.*

DECAS SECVNDA.

AVGVSTI IMPERATORIS *gesta, & obitus.*

ELegantem habuit orationem anno Christi vndecimo; principatus quinquagesimo secundo, cùm in eorum laudes, qui ex legitimo matrimonio liberos procrearant; cùm in eorum accusationem, qui eodem neglecto varias libidines prætextâ continentiâ, sectabantur, nec legitimam prolem Reipublicæ sufficiebant. Consecratam tamen virginitatem non damnauit, quin immo Collegium magnis donauit præmiis. *Velleius lib. 2. Dio lib. 56.*

Cæso in Germania cum fortissimis legionibus quinto Varo, anno Christi duodecimo; principatus quinquagesimo tertio, magno in luctu fuit, adeoque commotus, vt vix somnum capere posset, eoque liber identidem inclamaret, Vare redde mihi legiones. Vetitus itaque ne hostes superatis propere alpibus, in Italiam exscenderent, coacto veteranorum, libertorumque quam maxime potuit numero, bellum sequenti anno instaurandum curauit. *Velleius lib. 2. Suetonius, Dio & alij.*

Decreuit anno Christi decimo quarto, principatus quinquagesimo quinto, vt Tiberio ius æquum in omnibus prouinciis, & exercitibus secum esset. Legem de cohibendo exulum luxu tulit; Censum qui agens eodem anno, cum Tiberio filio suo, nonagies trecenta, & septuaginta millia hominum capita reperit. *Suetonius & Dio.*

Reipublicæ consulatum in decennium, iam quintum suscepit anno Christi decimo quinto; Principatus quinquagesimo sexto. Tiberio autem tribunitiam potestatem protogauit. Cæterum cùm vicesimæ pensitatione offendi populum obseruasset, eodem anno in prædia vrbana, ac rustica illam libenter transtulit; sed cum vicesimam iterum peroptasset, à nouo hoc pensitationis genere destitit. *Vt referunt auctores citati.*

Senectute iam grauis, Germanicum Senatui, senatum vero Tiberio sub idem tempus commendauit; famososque libellos conquisitos, atque repertos, in vrbe quidem ab Ædilibus, extra autem vrbem, à singulorum locorum præfectis, Comburi iussit. *Dio lib.* 56.

Testamentum condidit anno vno, & mensibus quatuor, ante mortem, tertio nonas Aprilis anni Christi decimi quinti, principatus quinquagesimi sexti, ac duobus codidicibus scriptum partim ipsius, partim libertorum Polybij, & Hilarionis manu, apud Virgines Vestales deponi voluit. *Suetonius.*

Lustrum cum Tiberio, priusquam illum mitteret in Illyricum, constituit ineunte anno Christi decimo sexto, principatus quinquagesimo septimo, vt Colligimus ex monumento Ancyrano, vbi hæc leguntur. LVSTRVM CVM COLLEGA TIBERIO, SEXTO POMPEIO, ET SEXTO APVLEIO CONSVLIBVS, FECI IN CAMPO MARTIO. Quo lustro censa sunt Romanorum Capitum quadragies centum triginta, & septem millia. *Velleius lib.* 2. *& Suetonius.*

Paulo ante obitum, diu Tiberium secreto detinuit, dumque aduenientes ab vrbe, de Drusi filia ægrotante interrogaret, repente inter oscula Liuiæ, & hasce voces, Liuia nostri coniugij memor viue, & vale, defecit anno Christi decimo sexto, principatus quinquagesimo septimo, decimo quarto Kalendas Septembris Nolæ in Campania, & in eodem quo Pater Octauius cubiculo, postquam vixisset annos septuaginta quinque, menses decem, & dies viginti sex; Imperasset vero solus à victoria Actiaca annos quadraginta quatuor, demptis diebus tredecim, *vt Tacitus, & Dio asserunt*; qui autem annos principatus illius à triumuiratu inchoato enumerant, cum regnasse colligunt annos quinquaginta sex, & menses sex; qui denique à nece Cæsaris, quinquaginta septem annos, menses sex, & dies duos.

ICON
AVGVSTI IMPERATORIS.

OCTAVIANVS *Cæsar Augustus, sororis C. Iulij Cæsaris nepos, Patre Octauio, matre Actia Romæ natus, à Iulio Cæsare ex testamento in familiam adoptatus, hæresque institutus; Romanam Rempublicam nimia fœlicitate laborantem, nec fortunæ capacem suæ, sed in præceps incumbentem sustinuit; ac tùm optimis legibus, tum opibus, atque omni rerum copia sic excoluit, vrbemque ipsam tot magnificis operibus exornauit, vt secundus illius conditor, Paterque Patriæ, & Augustus iure appellatus fuerit, immo Romanorum omnium Imperatorum fœlicissimus habitus, cum ei omnia ad votum euenirent; Munificentia in omnes plusquam regia, nec suppari in amicos fide, quos tantis auxit honoribus, vt sibi propemodum adæquaret. Quinque bella Ciuilia, vt necem auunculi vlcisceretur gessit; Mutinence, & Actiacum in Antonium; Philippense in Cassium, & Brutum; Perusinum in Lucium Antonium, & Marcum fratrem; siculum, & Nauale in Pompeium magni filium; externa duo Dalmaticum, & Cantabricum. Victa ab eo in domesticis, ac ciuilibus Patria, per eum deinceps victrix sui ipsius fuit; nunquam florentior; victrix exterorum, numquam tot aucta Prouinciis; adiecit enim Imperio Ægyptum, Cantabriam, Dalmatiam sæpe antea victam, sed nunc penitus subactam; Pannoniam, Aquitaniam, Illyricum, Rhetiam, Vindelicos, Salassos in Alpibus, & quascumque demum ciuitates in*

ponto

ponto maria allamberent. Fregit praliis Dacos; Germanorum ingentes copias cecidit, quos trans Albim fluuium submouit. Armeniam à Parthis recuperauit; Obsides à Persis, quos nulli vnquam antea dederant, accepit, vnà cum signis Romanis, quæ Crasso victo detraxerant. Ad hæc accesserunt munera; Legati à Scythis, & Indis quibus antea Romanorum nomen peregrinum fuerat; nec non Galatia hactenus regnum, nunc prouincialis facta; in quibus omnibus ministros habuit priuignum vtrumque Tiberium, & Drusum; tanto demum in amore apud omnes fuit, vt ipsi etiam Reges ciuitates Cæsareas dictas in illius honorem condiderint. Harum vnam in Mauritania Rex Iuba construxit; alteram etiamnum videre est in Palæstina clarissimam. Verùm nihil certè augustius, ad eius felicitatem addi potuit, quàm quòd Christus æternus Dei Filius ex Maria Virgine genitus, in Bethleem Iudæ natus, & è cælo missus piaculum cælestis iræ, magister, atque vindex generis humani, illius principatum natalibus suis nobilitarit. Mortuus denique inter diuos adscriptus est.

TIBERII IMPERATORIS Gesta.

AVgusto Cæsare defunɛto, Tiberius Nero, Liuiæ, seu Iuliæ Augustæ filius Imperium capessit, anno ætatis quinquagesimo quinto, Christi vero decimo sexto, nec obscuro optimi Principis augurio, cùm non tantùm se dominum dici prohibuerit, sed neque templa sibi extrui, neque statuas erigi passus fuerit; immo ingestum identidem à populo nomen patris patriæ, repudiarit; vetueritque in acta sua iurare, etiam si Senatus id censuisset. *Suetonius, Dio, & Tacitus lib. 1. Annalium.*

Pontifex, hoc est, rerum maximarum quæ ad sacra, mysteria

& religionem pertinebant, iudex creatus fuit anno Christi decimoseptimo, principatus primo; tum sequenti Valerium Gracchum, quintum Iudæorum præsidem, in Rufi locum subrogauit. *Iosephus lib.* 17.

Sericæ vestis, aureorumque vasorum vsum interdixit eodem anno Christi decimo octauo, principatus secundo; Magos, atq; mathematicos vrbe eiecit; Germanumq; è Germania, specie triũphi euocauit, cui Dursus successit: *Suetonius, Dio, & alij.*

Vana quædam oracula tanquam Sybillina de vrbis interitu, anno nongentesimo ab eius origine obuentura, tanquam falsa respuit, eaque occasione omnes libros fatidicos inspiciens, legitimos à spuriis selegit, anno Christi decimo nono, principatus tertio, *Suetonius, & Dio.*

Sub idem tempus, cum nonnihil à Germanico sibi timeret, eum in orientem amandauit, patrumque decreto prouincias, interiecto mari diuisas, illi concessit, ac maius imperium quocumque adisset, quàm iis, qui sorte, vel missu principis, eas obtinuissent; vt pridem bello Piratico, in gratiam magni Pompeij contigit; Druso insuper expeditionem in Illyricum designauit eodem Christi anno. Pisonem verò ad spes Germanici coërcendas Syriæ præfecturâ donauit: Archelai autem Regis Cappadociæ Regnum, in prouinciam redegit, & Mazacam eiusdem regni ciuitatem nobilissimam sub monte Argeo, Cæsaream nominauit. *Tacitus, Eusebius in Chronico, & alij.*

HEROES.

Sanguine, Gestis, & Politia.

QVintilius nobilis Romanus parti Germaniæ præerat anno Christi vndecimo; Augusti Imper. quinquagesimo secundo. *Dio.*

Poppæus vir clarissimus fastis inscribitur eodem Christi anno; decimo vero sexto prorogatur illi prouincia Mœsia, additis Achaiâ, & Macedoniâ. *Tacitus lib.* 1. *Annalium.*

Quirinus vir Consularis, Syriæ præses post Varum consti-

tuitur, anno Christi vndecimo, Augusti Imperatoris quinquagesimo secundo, vt iura populis redderet, omniumque facultates censeret. *Iosephus lib.* 18. Cum eo venit Coponius, præfectus equitum, penes quem fuit totius Iudææ rerum administratio.

Marcus Ambiuius, Coponio Iudææ procuratori Romam reperenti successit, anno Christi decimo tertio, Augusti quinquagesimo quarto. *Iosepho lib.* 18.

Germanicus, Drusi, fratris Tiberij, & Antoniæ Iunioris filius, ac nepos Augusti, nondum prætura functus, Consulatum præter morem gessit, anno Christi decimo quarto; Augusti Imperatoris quinquagesimo quinto. Missus in Germaniam, renunciato Augusti obitu, anno Christi decimo sexto, legiones vniuersas Imperatorem Tiberium recusantes compescuit; Reliquias legionum Vari insepultas collegit sub idem tempus, eisque suprema soluit; Coloniam statuit, quam, Agrippinæ vxoris nomine, Agrippinam vocauit; Imperium à militibus delatum recusauit. Eius crebræ victoriæ non tam gratiam, quam inuidiam prometuere. In Orientem proficiscens apud Nicopolim, Epiri ciuitatem, ab Augusto in monumentum Actiacę victoriæ ad Ambracium sinum extructam, consulatū iniit, anno Christi vigesimo, Tiberij quarto; quò venerat, per Illyricam oram viso fratre Druso in Dalmatia agente. Sinus item Actiaca victoria inclytos, & sacratas ab Augusto manubias adiit. Hinc ventum Athenas, vbi magnificentissimis honoribus exceptus fuit à Græcis; Eubœam deinde, & Lesbum transmisit; Tum extrema Asiæ, Perinthumque, & Byzantium, Thraciæ vrbes. Mox Propontidis angustias, & ora Pontica, cupidine veteres locos, & fama celebres noscendi, intrauit; Prouincias, internis certaminibus, aut magistratuum iniuriis fessas refouit; Cappadoces, & Comagenos in prouinciæ formam redegit. Legatos demum à Parthorum Rege Artabano, renouandæ amicitiæ gratiâ, perhumaniter excepit; eamque, in odium Pisonis concessit. *Tacitus, Dio, & Suetonius.*

Silanus qui ex Iunia familia, in Cæciliam adoptione transierat, Syriæ rector eligitur anno Christi decimo quarto, Au-

gusti Imperatoris quinquagesimo quinto. *Tacitus.*

Fronteius Capito, vir ad vnguem factus, inquit Horatius, fasces Consulis assumpsit eodem anno Christi decimo quarto. *Cuspinianus.*

Drusus Cæsar, Tiberij ex prima coniuge Agrippina filius, dictus Cæsar, quasi Imperij futuri successor, (eo siquidem nomine principis filius, & heres, appellari solitus erat) Consulatum gessit anno Christi decimo sexto. Post mortem Augusti, à Tiberio patre in Illyricum missus est, vt militum motus, qui missionem, & stipendia poscebant, sedaret; quod feliciter peregit; dein vrbem repetiit. *Tacitus, Suetonius, & alij.*

Sulpitius Galba, primus, post Augusti extinctum genus, Imperij potitus, ipsis Kalendis Ianuariis virilem togam induit, ætatis anni decimo septimo, Christi vero decimo sexto, & Augusti quinquagesimo septimo. *Dio.*

A. Cæcinna, L. Appronius, & Caius Silius, viri illustres, & quibus ob res cum Germanico prospere gestas, decreta fuere insignia triumphalia, anno Christi decimo septimo. *Cuspinianus.*

Vipsanius Gallus, vir magni nominis & dignitate prætoria ornatus; Antiochus, Comagenorum princeps, & Philopater Cilicum, omni laude, & gloria insignes. *Tacitus lib. 2. Annalium.*

Vonones ex Arsacidarum familia ortus, datusque Augusto obses à Patre suo Phraate, Regis insignia suscepit anno Christi decimo octauo, Tiberij Imp. secundo; tum in patriam opibus auctus, regioque comitatu, atque pompa instructus, profectus est. *Tacitus ibidem.*

Artabanus Dahas ex eodem Arsacidarum sanguine à Parthis accitus in Regem, Vonone expulso, inauguratur, eodem Christi anno decimo octauo. *Tacitus.*

Tigranes, sub idem tempus, occiso Artaxia, Armeniæ Rex Creatus est, illius tamen Imperium non diuturnum fuit. Artauasdes siquidem, Imperatoris iussu, illi successit. *Tacitus.*

Ariobarzanes Medus origine, corporis forma insignis, nec animo degener, deiecto è solio Artauasde, non sine magna

clade, Armenis ipsis volentibus impositus fuit, eodem Christi anno decimo octauo. *Tacitus.*

Libo ex nobili familia, Consulis honore donatus est anno Christi decimo octauo, Tiberij secundo. Hic sedem Prætoris, & Tribunal iuxta arcum Fabianum collocauit, quod puteal Libonis ab Horatio dictum est. *Cuspianus.*

Valerius Gracchus eodem Christi anno, Iudææ præses designatur. Hic primo Ananum Pontificem exauctorauit, eiusque loco Ismaëlem Trabi filium substituit; sequenti vero anno Eleazarum ex Ananio genitum, in Ismaëlis principatum, subrogauit. Simonem insuper Comithi natum, Pontificem constituit anno Christi vigesimo, Tiberij quarto. *Iosephus lib. 18.*

Furius Camillus, propter rem bene gestam in Africa, præponitur Comagenis (populis partem illam Syriæ incolentibus, quæ supra Ciliciam sita, trans Amanum montem excurrit, vsque in Mesopotamiam, à qua, Euphrate fluuio dirimitur) quo tempore gens illa, primùm ad ius prætoris translata est. *Tacitus lib. 2. Annalium.*

VIRI ERVDITI.

Tiberius Cæsar artes liberales studiosissime coluit; in oratione Coruinum Messalam, quem senem adolescens obseruarat, sectatus est. Composuit Carmen Lyricum de L. Cæsaris morte, multaque Poëmata Græca, Euphonionem Rhianum, & Parthenium imitatus, quibus poëtis maxime delectatus est. *Suetonius.*

C. Asinius Pollio, Asinij Pollionis filius, orator Magnus, *Seneca teste in suis declamationibus,* & Soloninus appellatus, quoniam eo die, quo pater Solonas accepit, natus est. Libros edidit de comparatione patris, ac Ciceronis, in quibus patrem prætulit. *Vt refert Cæcilius lib. 2. Epistolarum*; Contra quos Claudius Cæsar Ciceronis defensionem scripsit, vt asserit. *Suetonius in Claudio.*

Sextilius Hæna, Poëta Hispanus, Cordubensis, carmen de laude, & interitu M. T. Ciceronis edidit, quod in domo Messalæ Coruini, oratoris illustris, recitauit. *Vasæus de rebus Hispaniæ.*

Philiſtio Mimographus, natione Magneſianus clatuit hoc tempote, *vt refert Euſebius in Chronico.*

Strabo Hiſtoricus, Geographus, & Philoſophus, necnon Homericæ majeſtatis explanator, natione Cretenſis, variarum rerum cognitione inſignis, inter alia præclara ingenij ſui opera, decem & ſeptem libros de Geographia nobis reliquit, in quibus vel omiſſas, vel neglectas, aut vetuſtate obliteratas orbis partes ad vnguem reſtituit: populos, nationes, res geſtas, montes, maria, & eorum terminos ob oculos clariſſimè poſuit. Huius eruditiſſimum opus, diu Latinis incognitum, à Guarino Veronenſi, & Gregorio Tifernate, latinitate donatum fuit, Nicolao Papa quarto iubente, & precibus Antonij Marcelli, Patricij Veneti, viri præſtantiſſimi; Attigit etiam quædam de Parthorum motibus, de rebus Italicis, & geſtis Pompei, quæ Ioſephus in ſuis antiquitatibus ſæpe citat. Fuſius de eo Henricus Glarianus, Philippus Bergomenſis, & alij.

Socion Philoſophus Peripateticus, natione Hiſpanus, ſcripſit Κέρας ἀμαλθείας hoc eſt, cornu copiæ; librum varia doctrina refertum. *Euſebius.*

Valerius Maximus Romanus, Philoſophus, Hiſtoricus, & Orator eximius, magno in pretio fuit apud Auguſtum Imperatorem; dicta, factaque virorum illuſtrium tum Romanorum, tum Græcorum ad Tiberium Cæſarem, libris nouem conſcripſit; qui, *vt refert Viues*, ad orationis pictutam multa ornamenta tùm verborum, tum ſententiarum, adferre poterunt: quæ habentur initio, ac fine cuiuſque capitis, concinniora forraſſis, quam interdum deceret grauitatem; Nonnulla etiam alia, ad virtutum commendationem, vitiorumque odium ſpectantia elucubrauit; ex quibus hanc aureo charactere ſcribendam ſententiam decerpſi. *Lento gradu ad vindictam ſui, diuina procedit ira, ſed tarditatem, ſuppliciorum grauitate compenſat*; adde opuſculum inſcriptum de nominibus Romanorum, quod *Andreas Alciatus lib. 4. diſpunctionum Capite 1. aſſeruit extare penes ſe. Philippus Bergomenſis, Geſner, & alij.*

Germanicus, Druſi fratris Tiberij Imper. filius, quem Quin-

tilianus plenâ manu inter poëtas illustres collaudat, vt pote qui Comœdias aliquas Græcas texuerit; tum Aretam poetam è Græco in linguam Latinam, magno verborum nitore traduxerit. *Suetonius.*

Non omittam virum illum ingeniosissimum, qui mirabili industriâ modum cudendi vitrum arte fabrili inuenit, anno Christi decimo octauo, Tiberij Imp. secundo. *Nauclerus.*

NATALITIA AVGVSTA.

Vespasianus futurus Imperator, in Sabinis, hoc est in quinta Italiæ regione non procul à Romanis natus est, decimo quinto Kalendas Decembris, vesperi, anni Christi vndecimi; Augusti Imperatoris quinquagesimi secundi, quinquennio antequam August. decederet. *Suetonius.*

Germanicus Caio Cæsare filio, Tiberij successore auctus est; vltimo die mensis Augusti, anni Christi decimi quarti; Augusti Imperatoris quinquagesimi quinti. *Dio, Suetonius.*

Aulus Vitellius rerum aliquando potiturus in lucem editus fuit octauo Kalendas Octobris; vel vt alij volunt, septimo idus Septembris, anni Christi decimi-septimi, Druso Cæsare, & Norbano Flacco Consulibus. *Suetonius.*

Iulia Agrippinæ filia postremo partu apud Lesbum, quæ est insula in Ægæo, prodiit anno Christi vigesimo, Tiberij Imperatoris quarto. *Tacitus lib. 2.*

OPERA PVBLICA.

Ædes Concordiæ, Castoris & Pollucis extruitur è manubiis Tiberij, anno Christi duodecimo, Augusti Imperatoris quinquagesimo tertio. *Dio.*

Porticus Liuia, in honorem Caij, & Lucij Cæsarum, erigitur, anno Christi decimo quarto, Augusti Imperatoris quinquagesimo quinto. *Dio.*

Templum, Augusto mortuo, à Senatu decretum, à Liuia, & Tiberio Imperatore excitatur Romæ, anno Christi decimo sexto. *Tacitus lib. 1. Annalium.*

Sub finem anni Christi decimi octaui, Tiberij Imperatoris secundi, ob recepta, virtute Germanici, & auspiciis Tiberij, amissa signa clade Variana, arcus, & ædes fortis fortunæ, Tiberim iuxtà, in hortis, quos Cæsar populo Romano legauerat; Sacrarium item gentis Iuliæ, apud Bouillas, Diuo Augusto dicantur. *Tacitus lib. 2. Annalium.*

Herodes Antipas in amicitiam Tiberij receptus, vrbem, quam Tiberiadem nuncupauit, ad oram lacus Genezarteh condidit, anno Christi vigesimo, Tiberij Imperatoris quarto, quò plerique incolæ tùm ob agri amœnitatem, tùm ob concessas immunitates confluxerunt. *Iosephus lib. 18.*

PRODIGIA.

Trito quodam in specu, Conchâ suâ duriter rusticéque canens, visus, auditusque est ab Olysipponensibus, anno Christi decimo sexto, Tiberioque Principi renuntiatum. *Vasæus de rebus Hispaniæ.*

CALAMITATES.

Continuis imbribus auctus Tiberis, plana vrbis stagnauerat, relabentem secuta est ædificiorum, atque hominum strages magna, anno Christi decimo septimo, Tiberij Imperatoris primo. *Tacitus lib. 1. Annalium.*

Vehemens terræ motus ita Asiam concussit, anno Christi decimo nono, Tiberij Imperatoris tertio, vt duodecim celebres vrbes pene abierint in præceps. Eusebius tredecim numerat in Chronico, quarum nomina hæc sunt; Ephesus, Magnesia, Sardis, Mosthenæ, Ægæ, Hierocæsarea, Philadelphia, Tmolus, Cumæ, Myrina, Apollonia, & Hircania; quo motu pestis grauior multò fuit, cùm nullum effugium subueniret in aperta prorumpendi; deductis siquidem terris, omnia absorbebantur; subsidisse item immensos montes; visa in arduo quæ plana fuerant, ignésque funereos, ruinas inter effulsisse, memorant. *Tacitus lib. 2. Annalium.*

RES

RES BELLICÆ.

Tiberius anno Christi vndecimo, Augusti Imperatoris quinquagesimo secundo Dalmaticum bellum confecit, deditione à Batone duce facta. Decretum sibi triumphum differt, ob cladem Varianam, quâ trepidatum est Romæ, ac per totam Italiam; vrbem tamen prætextatus, ac laureâ coronatus ingressus est, positumque in septis tribunal, Senatu adstante conscendit, & medius inter duos Consules, cum Augusto Imperatore, sedit, vnde populo consalutato circa templa deductus est. *Suetonius, & Dio.*

Bellum Germanicum acerrimum, atque exitiale Romanis anno Christi duodecimo, Augusti Imperatoris quinquagesimo tertio; deuicto Varo ab Arminio, Rege inferioris Germaniæ, quæ hodie Saxonia dicitur. *Dio.*

Tiberius Germaniam repetit anno Christi decimo tertio, Augusti Imperatoris quinquagesimo quarto, ac vltra Rhenum, cum exercitu transgressus militarem disciplinam ab antiquo repetitam seuerè coërcuit, fusisque ac fugatis hostibus, tum regioni vniuersæ vastitate magna, atque depopulatione illata, incolumem exercitum ad hyberna reduxit. *Suetonius, & Velleius lib. 2.*

Tiberius, & Germanicus, cui proconsulare imperium erat, ad pugnam egregiè parati, sine prælio in Germania vicerant anno Christi decimo quarto, Augusti Imperatoris quinquagesimo quinto; nullæ siquidem iis militares copiæ occurrerant, vt scribit *Dio.* veriti tamen Varianam cladem, haud ita procul à Rheno discesserunt, vbi ad autumnum vsque commorati sunt.

Germanicus Cæsar, anno Christi decimo sexto, sub initium principatus Tiberij, expeditionem mouet in hostem, qua Marsi, Tubantes, Bructeri, & Vesipetes vastati, atque cæsi fuere. *Velleius loco citato.*

In Pannonia, eodem anno seditio magna legiones incessit, nullis nouis causis, nisi quod mutatus morte Augusti princeps licentiam turbarum, atque ex ciuili bello, spem præmio-

rum offerret; ad quam compeſcendam Tiberij litteræ, eiuſque filij Druſi præſentia, tum Iunij Blæſi, atque Dolabellæ ſapientia maximè iuuerunt; nec non & Ecclipſis lunæ, quâ perterriti milites in officium rediere. *Tacitus.*

Bellum continuatur anno Chriſti decimo ſeptimo, Tiberij Imperatoris primo; in quo, Romanis res feliciter ceſſit. Germanicus enim diuiſis cum Cæcinna copiis, ineunte vere, in Cattos, Germaniæ populos duxit exercitum, eoſque improuiſo aduentu oppreſſit. Fuerat quidem animus Cheruſcis iuuare Cattos, ſed exterruit illos Cæcinna, huc illucque arma circumferens, Marſos autem congredi auſos, felicibus repreſſit auſpiciis. *Tacitus.*

Tertia expeditio in Germaniam, facta fuit à Germanico, anno Chriſti decimo octauo, Tiberij Imperatoris ſecundo; quo tempore claſſem mille nauium fabricauit & ad Batauos conuenire iuſſit; moxque velitarionibus aliquor, exploratis ſuorum animis, iuſto prælio cum Arminio conflixit, ab hora diei quinta, ad noctem vſque; cæſi hoſtes decem millia paſſuum cadaueribus, atque armis oppleuere repertis inter illorum ſpolia catenis, quas certa victoriæ ſpe nixi, vinciendis Romanis ſecum detulerant; Arminius, eiuſque patruus faciem cruore illiti, ne noſcerentur, impetu in obſidentes facto euaſerunt. Mox tamen ob trophæum à Romanis erectum (ſtruxerat enim miles aggerem, & in modum trophæorũ arma, ſubſcriptis victarum gentium nominibus impoſuerat) pugna redintegrata, & hoſtes ad internecionem cæſi; Cæterum non virtutem magis in prælio Germanicus, quàm modeſtiam in trophæo præ ſe tulit, laudatis ſiquidem pro concione victoribus, armorum congeriem ſtruere iuſſit cum hocce titulo.

DEBELLATIS INTER RHENVM ALBIMQVE NATIONIBVS, EXERCITVS TIBERII EA MONVMENTA MARTI, AC IOVI, ET AVGVSTO SACRAT.

Tum bellum in Angriuarios Sterrinio mandat ne deditionem properent, quam illi Statim fecere. *Tacitus lib. 2. Annalium.*

Æſtate iam adulta, legionum alias itinere terreſtri in hi-

berna remisit Cæsar, plures classi impositas per fluuium Amasiam, Oceano inuexit, vbi factâ tempestate, afflictæ, ac pene consumptæ fuere; Eiüs cladis fama Germanos erexit, vt inchoatam à Neptuno perniciem ipsi perficerent; sed breuî collectis à Cæsare copiis, ita pugnatum est, vt Germani vltrò faterentur inuictos, omnibusque casibus inconcussos esse Romanos. Itaque clades maritima, terrestri victoriâ compensata est; Iamque hostis sæpius fractus, consilia pacis agitabat, & si proxima æstas fuisset adiecta, apparebat posse in Germaniâ debellari; tandem crebris epistolis à Tiberio reuocatus Germanicus ad decretum triumphum, & consulatum, Romam reuertit. *Tacitus.*

Orientis res eodem Christi anno (*vt refert auctor citatus*) vehementer perturbatæ fuere in Syria apud Parthos qui Vononem Arsacidarum sanguine illustrem, Augustoque Imperatori in obsidem à patre suo Phraate concessum, quasi alio ex orbe accitum, & hostium artibus infectum, breuî eiecerunt.

Drusus sub idem tempus Illyricum petiit, armaque contra Germanos, qui inter se discordes, otium & securitatem Romanis fecerant, conuertit. *Tacitus.*

Cherusci cum Arminio principe, veterem Marcomannorum Regem, siue Boëmorum, vel Batauorum, Maroboduum nomine, ingenti prælio, eodem anno, profligarunt. *Tacitus.*

Motus magni in Africa, bellumque inceptum duce Tacfarinate, quem anno sequenti Furius Camillus proconsul in Africa, fortiter repressit. *Tacitus.*

TRIVMPHI.

Tiberius Nero dilatum triumphum, propter Varianam cladem, ex Pannoniis, seu Hungaris, atque Dalmatis, magno cum apparatu, atque pompa egit, anno Christi decimo quarto, Augusti Imperatoris quinquagesimo quinto, prosequentibus legatis, quibus triumphalia ornamenta impetrarat. Prandium populo mille mensis, atque congiarium, (hoc est munus, quo donabatur populus, sicut donatiuo miles) trecen-

tos nummos viritim dedit. *Suetonio teste.*

Germanicus septimo Kalendas Iunias anni Christi decimi noni, Tiberij Imperatoris tertij, de Cheruscis, Cattis, & Angriuariis, quasi iam debellatis, triumphauit, quâ vero pompâ hinc collige, quod triumphet Augusti ex filia nepos; Tiberij Cæsaris priuignus, & adoptione filius; vir bello clarissimus, ac quinque liberorum secum vna triumphantium comitatu gloriosissimus: vecta inter pompam spolia innumera, simulacra montium ac fluminum, & præliorum, mirabili arte expressa; ducti captiui, & trecenti sestertij plebi distributi. *Tacitus lib. 2. Annalium.*

REI INSIGNES.

Archelaus anno Christi decimo sexto, Augusti Imperatoris quinquagesimo septimo, Romæ à Iudæorum, ac Samaritanorum legatis de nimia crudelitate, atque tyranni se iudicio postulatus Viennam, Galliæ ciuitatem in Delphinatu ad Rhodanum fluuium olim clarissimam, & quam Strabo Allobrogum metropolim appellat, vbi etiamnum non pauca nobilitatis extant monumenta, exul mittitur, ditione illius, Syriæ attributâ, & pecuniâ fisco adiudicatâ. *Iosephus lib. 17. Antiquitatum, & 2. de bello.*

C. Asinius Gallus orator celeberrimus, Asinij Pollionis filius, crimine insimulatus, eodem die quo ad conuiuium vocatus, damnatus fuit; tum in vincula coniectus, dirisque suppliciis enecatus, anno Christi decimo septimo; Tiberij Imperatoris primo. *Eusebius in Chronico.*

Libo Drusus vir nobilis, studij rerum nouarum delatus, & Tiberium Imperatorem infensum expertus, gladio incubuit, anno Christi decimo octauo, Tiberij Imperatoris secundo. *Tacitus.*

Archelaus Rex quinquagesimum iam annum Cappadociâ potitus, Romam vocatur, damnaturque; ipsius verò Regnum, in prouinciam redigitur anno Christi decimo nono; Tiberij Imperatoris tertio. *Tacitus.*

Apuleia Varilia sororis Augusti neptis, tùm quod probrosa dicteria in Diuum Augustum iactasset; tùm etiam quod Ti-

berium principem, immo ipsius matrem illusisset, morti addicta est eodem Christi anno decimo nono. *Tacitus lib. 2. Annalium.*

OBITVS ILLVSTRES.

Messala Coruinus orator illustris, inedia se confecit anno ætatis suæ septuagesimo secundo, Christi duodecimo, Augusti verò Imperatoris quinquagesimo tertio. *Eusebius in Chronico.*

Quintilius Varus nobilis Romanus, eodem Christi anno duodecimo, post ingentem acceptam cladem, patruo, auitoque exemplo se transfixit. *Suetonius, Velleius lib. 2. & alij.*

Agrippa à Tiberio, vel vt alij volunt, à Centurione, paulo post mortem Augusti Imperatoris, qui eum adoptarat, ægre conficitur, anno Christi decimo sexto. *Tacitus lib. 1. Annalium.*

Iulia Augusti Imperatoris filia, & Tiberij dudum vxor, quam ipse Augustus iam à quindecim annis relegarat, ob impuram vitæ licentiam, in oppido Rheginorum, quod siculum fretum accolit, inclusa, omnique spe egena, atque fame confecta extinguitur, eodem Christi anno decimo sexto. *Tacitus loco citato.*

Salome Soror Herodis defuncti, & vxor Alexæ fatis concessit; Liuiæque Iamniam, (hoc est oppidum Phœniciæ, Strabo vicum asserit) cum sua Toparchia, reliquit. *Iosephus lib. Antiquitatum 18.*

Vipsanium Gallum prætoria dignitate insignem mors abstulit anno Christi decimo nono, Tiberij Imperatoris tertio. *Tacitus lib. 2. Annalium.*

Antiochus Comagenorum Rex, & Philopater Cilicum, vitæ munus sub idem tempus impleuere. *Tacitus.*

Ouidius Naso poëta suauissimus, è viuis in exilio subreptus est anno Christi vicesimo, Tiberij Imperatoris quarto, ætatis vero suæ quinquagesimo septimo, vbi iuxta oppidum Samos, quæ est ciuitas in Ponto condita à Milesiis, sepultus est. *Eusebius in Chronico. Lilius Gyraldus ex Minutiano Apulei fragmento refert* Ouidium anni exilij sui septimo, Kalendis Ianua-

riis mortuum esse, structumque Poëtæ à Barbaris monumentum, quorum gratiam promeruerat, cùm libellum, Getico sermone, in laudem, & Apotheosim Augusti defuncti, composuit, vt ipsemet scribit ad Catum.

FVNERA.

Augusti Imperatoris Nolæ in Campania demortui corpus, Romam, cum regio apparatu defertur. Decuriones municipiorum, & Coloniarum à Nola Bouillas vsque, non procul ab vrbe Roma, deportarunt: à Bouillis Equester ordo suscepit, vrbique intulit. Senatus, & in funere ornando, & in memoria honoranda, eo studio certatim progressus est, vt inter alia quamplura, censuerint multi, funus triumphali portâ ducendum, præcedente victoriâ, canentibus næniam principum liberis vtriusque sexus; Alij exequiarum die, positis annulis aureis, ferreos sumendos. Nonnulli per sacerdotes summorum Collegiorum ossa legenda; fuit qui suaderet, appellationem mensis Augusti, in Septembrem transferendam, quòd illo & genitus, ac defunctus fuisset; Alius, vt omne tempus, à die natali, ad ipsius exitum, sæculum Augustum nominaretur, & in Fastos transferretur. Verum adhibito honoribus modo, laudatus est pro æde D. Iulij à Tiberio; pro rostris à Druso Tiberij filio. Tum Senatorum humeris delatum est cadauer in campum, triumphali portâ, vbi rogo impositum, in eum milites, qui custodiæ præerant, præmia omnia, quibus ab illo donati fuerant ob præclara belli facinora, coniecerunt; dein centuriones, Senatus iussu, Pyramidem accenderunt, ex quâ absumptâ aquila fuit emissa. Nec defuit vir prætorius, Numerius nomine, qui Augusti animam in cælum ascendentem se vidisse asseruit; Huic Liuia decies sestertium, quæ quinquaginta Francorum millibus æstimantur, dedit. Reliquias collegerunt primores equestris ordinis tunicati, & discincti, pedibusque nudis; mox in Mausoleo, quod inter Flaminiam viam, & ripam Tiberis, sexto suo Consulatu, extruxerat, condiderunt. Tandem inter Diuos relatus, Flamines constituti, & Liuia sacerdos. Nolæ domus, in qua

obiit, in sacrarium mutata est, & aurea ipsius imago in æde Martis imposita, dum templum ipsi Romæ extruebatur; non defuere insuper ludi. Denique sicut in vita, sic in funere omnia augusta.

DECAS TERTIA.

TIBERII IMPERATORIS Gesta.

DE sacris ritibus Ægyptiis, Iudaïcisque pellendis egit, auctore Seiano, anno Christi vicesimo primo; principatus quinto; Iussitque, vt quatuor millia libertini generis eâ superstitione infecta, in Sardiniam insulam militiæ specie veherentur, quamquam illius mens esset vt cœli grauitate funditùs perirent; Sardinia siquidem aëris pestilentiæ maximè obnoxia est: in ea tamen ciuitates permultæ, quarum præcipua Calaris Cæsaris dicitur, in qua D. Augustini ossa diu conquieuere. Voluit insuper vt cæteri Italiâ cederent, nisi certam ante diem profanos ritus exuissent. *Tacitus lib. 2. Annalium.*

Fæminarum libidinem, quæ etiam in senatorias grassabatur, grauissimis patrum decretis, eodem Christi anno vicesimo primo coercendam sanciuit; Pollionis filiam, loco Occiæ, quæ septem & quinquaginta annis summâ sanctimoniâ sacris Vestalibus præfuerat, constituit; Thraciæ item partem vnam Rhæmatalcis filio; aliam verò liberis Cotyos concessit, quibus nondum adultis Trebellionem Rufum præturâ functum elegit, vt regnum integrû tractaret toto illo temporis decursu, quo in pupillari ætate versarentur. *Tacitus loco citato.*

Maroboduum Regem Sueuiæ, vi Catualdæ nobilis iuuenis inter Gotones, è solio deiectum sub idem tempus perhumaniter excepit, eique sedem Rauennæ constituit, vbi per duodeviginti annos, multum imminutâ claritate, ob nimiam viuendi cupidinem, consenuit. *Tacitus.*

Porro Rauenna ciuitas est Italiæ vetustissima à Thessalis condita, in qua Ostrogothi regiam suam sedem posuerant.

Illam muris cinxit Augustus, quos Valentinianus Imperator postea amplificauit; tam egregiè munita, tamque splendidè instaurata fuit, vt cum amplissimis Italiæ vrbibus iure possit conferri. Hinc ortus Cassiodorus, beatus Apollinaris primus illius Episcopus, Vitalis, Geruasius, & Protasius.

Catualdam iuuenem magni nominis inter Gotones, vt supra attigimus, Hermundorum opibus, & Vitellio duce, è regno pulsum anno Christi vicesimo primo, in forum Iulium, Narbonensis Galliæ coloniam, misit: barbaros autem, qui & Maroboduum, & ipsum Catualdam comitati fuerant, ne quietas prouincias immixti turbarent, Danubium vltra, intra flumina Murum, & Casum, locauit, dato eis rege Vannio, gentis Quadorum. *Tacitus.*

Edictum sanciuit, anno Christi vicesimo tertio, principatus septimo, quo cautum fuit ne mortis sententia ante decimum diem executioni mandaretur; Illud idem laxioribus spatiis, ad tricesimum, nempè à Theodosio Imperatore, Ambrosio id agente, protractum est, *Lege, si vindicari, c. de pœnis. Rufinus. lib. 2. c. 28. & Sozomenus lib. 17. c. 24.*

In Campaniam regionem Italiæ fertilissimam (cuius præcipuæ vrbes erant Capua, Neapolis, Cumæ, Puteoli, Nolæ, aliæque complures) secessit eodem Christi anno vicesimo tertio; siue firmandæ valetudinis causâ; siue vt amoto patre, Drusus ipsius filius, quem solum ex Agrippina, M. Agrippæ filia, & nepte Cæcilij Attici equitis Romani, habuerat, munia consulatus solus impleret. Histriones insuper vrbe expulit, vt refert *Dio lib.* 57. Quamuis id post biennium factum esse asserat *Tacitus lib. 2. Annalium.*

Asyla Græcorum lustrari, atque purgari curauit, anno Christi vicesimo quarto; principatus octauo, tribunitiam item potestatem Druso filio suo naturali concessit, patribus omnibus suffragantibus. *Tacitus ibidem.*

Ludos decennales celebrari voluit anno Christi vicesimo quinto, principatus nono, Imperiumque, Augusti exemplo, in quinquennium sibi, aut decennium confirmauit. Extincto filio suo Druso, curiam ingressus, senatum in luctum effusum

solatus

ſolutus eſt; Tum Germanici liberos Neronem ſcilicet, & Druſum adoleſcentes in curiam euocatos, patribus vt Imperij hæredes, enixè commendauit; Hiſtriones prætereà immodeſtiùs agentes grauiſſimis decretis Italiâ eiecit, quos anno Chriſti viceſimo tertio, vrbe expulerat; interdictumque ne hiſtrionicâ arte vterentur. *Tacitus, & Dio.*

Vt Sacerdotum dignitas, maiori haberetur in pretio, ipſiſque promptior animus foret ad capeſſendas ceremonias; decreuit eodem Chriſti anno viceſimo quinto Corneliæ virgini, quæ in locum Scaniæ ſubrogabatur, quinquaginta millia Philipporum nummorum, hoc eſt centum mille nummos aureos; vnus ſiquidem Philippus, *Teſte Lambino in Horatium,* valebat duos nummos gallicos; dicebantur verò Philippi, à Philippo Macedone, cuius effigiem referebant. Eo item auctore Senatuſconſulta facta ſunt, vt ciuitati Cibyraticæ apud Aſiam, & Ægerinenſi apud Achaiam, terræ motu euerſis, ſubueniretur remiſſione tributi, in triennium. *Tacitus.*

Cognitis Ptolomæi Regis Africæ ſtudiis, ad debellandum Tacfarinatem Regem Numidiæ, miſit ad eum pro more ſolemni, anno Chriſti viceſimo ſexto, principatus decimo, vnum ex ſenatoribus, qui illi thronum aureum, ſceptrum eburneum, coronam inſignem, & togam pictam, antiqua patrum munera, ipſius nomine offerret; ſo-ciumque, atque amicum appellaret. *Tacitus.*

Diu multumque meditatus profectionem in Campaniam templum dedicandi ſpecie, Ioui quidem apud Capuam; Auguſto verò apud Nolam, ſuſcepit eodem anno Chriſti viceſimo octauo, principatus duodecimo; re autem ipſâ vt procul ab vrbe degeret; ſiue ex Seiani conſilio; ſiue vt ſæuitiam atque libidinem, quam factis promebat, locis occultaret; ſiue vt matrem Liuiam, dominationis ſociam, vitaret. *Tacitus.*

Capreas inſulam peramœnam, vltra Surrentum Campaniæ vrbem octo circiter paſſuum millia, quieris gratiâ, quam vehementer exoptabat, ſe abdidit anno Chriſti viceſimo nono, principatus decimo tertio, *vt ſcribit Tacitus.*

Nepiem Agrippinam, Germanici filiam Cn. Domitio in vxorem dedit, eodem Chriſti anno viceſimo nono, in quo ſupra

vetuſtatem generis, propinquum Cæſaribus ſanguinem delegerat, eius nuptias, in vrbe magno cum apparatu celebrari iuſſit, ex quibus genitus eſt Nero ille, qui præ cæteris Imperatoribus crudelitate toti orbi notiſſimus fuit. *Tacitus.*

HEROES.

Sanguine, Geſtis, & Politiâ.

Germanicus Druſi filius, & Tiberij Imperatoris nepos, in Ægyptum viſendæ antiquitatis causâ, proficiſcens, anno Chriſti viceſimo primo, Tiberij quinto, magna veterum Thebarum veſtigia perluſtrauit, intenditque animum variis miraculis, quorum præcipua fuere, Memnonis ſaxea effigies, quæ radiis ſolis icta vocalem edebat ſonum, & Pyramides, deiectas inter, & vix peruias arenas, inſtar montium, opibus Regum eductæ; exin ventum Elephantinem, inſulam Nili, ſupra Sitenem vrbem in confinibus Æthiopiæ Ægypti ſitam, quam etiam percuttit. Hæc porro clauſtra fuere olim Imperij Romani, quod nunc rubrum ad mare pateſcit. *Tacitus.*

Druſus Tiberij Imperatoris filius eodem anno bellum in Germaniâ ſedauit, ea propter à patribus decretum fuit, vt cum Germanico, vrbem ouans ingrederetur. *Tacitus.*

Cotys, & Rheſcuporis, Thraciæ regionis Europæ, Reges, Prouinciam hanc ab Octauio Auguſto, ita bipartitam inter ſe, habuere, vt arua, & vrbes, atque vicina Græcis, Coty permiſſa fuiſſent; quod verò incultum erat, ferox, & adnexum hoſtibus, Rheſcupori conceſſum. Iſte poſt multa diſſidia, & contentiones, quas cum Coty habuerat, fingens ſe velle fœdus cum eo inire, iubente Tiberio Imperatore, Cotyn conuiuio lautiſſimo excepit anno Chriſti viceſimo primo; Tiberij Cæſaris quinto, tractáque in multam noctem lætitiâ, incautum inter epulas, ſacros Regni, eiuſdemque familiæ Deos, & hoſpitales menſas obteſtantem, catenis onerauit; quo perfidiæ ſcelere, Thracia omni potitus, ad Tiberium Imperatorem ſcripſit ſtructas ſibi inſidias præueniſſe; Tum metum inter & iram fluctuans maluit patrati, quam incœpti facinoris reus

esse quare Cotyn occidi iubet, mortemque sponte sumptam ementitur. *Tacitus.*

Pomponius Flaccus præfectus Mœsiæ, quæ est Prouincia Europæ, iuxta Danubium, à Pannonia, ad Pontum vsque protensa, Rhescuporim Regem Thraciæ, ob necem Cotyos, in vincula coniecit, eodem Christi anno. *Tacitus.*

Cn. Piso sub idem tempus, auditâ morte Germanici, quam ipse maturarat, Syriam occupare tentauit; verùm à Saturnino repulsus, Romam repetere coactus fuit. *Tacitus.* Cęterum Syria regio est Asiæ, cuius Prouinciæ sunt Phœnice, Palæstina, Iudæa, Idumœa, Comagena, & Samaria.

Volusius vir Consularis, censoriâ potestate, legendisque equitum decuriis perfunctus, magnæque famæ apud omnes. *Tacitus lib. 3. Annalium.*

Salustius Crispus ex equestri familia ortus, multos tùm consularium, tùm triumphalium potentiâ, sine senatoria dignitate anteibat. *Tacitus.*

Valerius Asiaticus tumultuantes milites ob Cæsaris necem compescuit, anno Christi vicesimo secundo, Tiberij Imperatoris sexto. Cúmque requirerentur percussores, respondit vtinam ego essem! *Iosephus lib. 19.*

Nero, Germanici filius maior natu, inter viros adscriptus est eodem Christi anno vicesimo secundo. Tum quæsturam, ac præturam, ante tempus, assecutus est, Iuniamque Drusi Tiberij filiam in matrimonium sibi iunxit. *Tacitus.*

L. Apronius Proconsul Tacfarinatem Romanorum hostem repressit sub idem tempus; Anno vero Christi tricesimo Tiberij, Imperatoris decimo quarto, inferioris Germaniæ proprætor creatus in Frisios rebellantes exercitum duxit, sed parùm prosperè. *Tacitus.*

Marcus Lepidus vir clarissimus, in Asiam cum Consulari potestate mittitur, anno Christi vicesimo tertio, Tiberij Imperatoris septimo. *Tacitus.*

Iunius Blæsus, Seiani auunculus, Africæ Proconsulatu donatur; huius ope, Tacfarinates Numidiæ Rex debellatus fuit. *Tacitus.*

C. Silanus Asiam summa cum auctoritate administrabat;

anno Christi vicesimo quarto, Tiberij Imperatoris octauo; Cæsius vero Cordus Cretam insulam in medio ponto, centum vrbium fama celebrem; Visellius Varro inferiorem Germaniam. Hic Turonios feliciter deuicit. *Tacitus.*

Drusus Germanici filius, & Neronis frater virilem togam sumpsit, eodem Christi anno vicesimo quinto.

Ælius Seianus, Seio Strabone equite Romano genitus, in Æliorum familiam adoptione transiit, & Seianus cognominatus fuit. Hic cùm in intimam Tiberij amicitiam irrepsisset, in maximam ab eo potentiam euectus, crescente ambitione dominatum captare cæpit, eapropter prætoria Castra iussit Romæ extrui sub idem tempus, cuius consensu, milites in vnum locum conduxit, ambitiosisque Tyrannidis artibus, sibi conciliauit; tum clientes omnes, quos in senatu habebat, honoribus, atque prouinciis ornari à Principe curauit; & quoniam vim periculosam esse iudicabat, dolo eos extinguere, qui cæptis obsistebant, decreuit. Drusum itaque filium primò aggressus est, cuius vxorem Liuiam ante pollutam in mariti exitium armauit, allectam regni, seu potius promissis coniugij, & vt spem illi maiorem faceret, Apicatam coniugem suam, ex qua tres susceperat liberos, domo eiecit adtantũ facinus peragendum, venenum elegit quo paulatim irrepente, fortuitus morbus adsimularetur; id Druso propinatum per Lygdum spadonem, vt octo post annos Apicata prodidit: eo sublato, Tiberium in Germanici familiam, quasi æmulam Imperij, præcipuè in tanti viri fautores accendit; quos postquam, vt maiestatis reos, oppressisset, Agrippinam Germanici viduam fictis artibus subuertere conatus est: fœmina odij in ipsam, liberosque Neronem, & Drusum, hinc, inde iecit, ac tandem suspectam Principi reddidit. Rebus omnibus adeo ex voto fluentibus, Liuiam Drusi viduam frustra in coniugem ab Imperatore petiit anno Christi vicesimo septimo, Tiberij vndecimo, Neronem tamen, ex filiis Germanici maximum aggressus, anno sequenti euertit. *Tacitus.*

P. Dolobella vir omni laude celebris, Tacfarinatem regem feliciter confecit, anno Christi vicesimo sexto, Tiberij Imperatoris decimo. *Auctor citatus.*

Cn. Lentulus gloriâ, & opibus clarus, triumphalia, supra Consulatum, de Getulis meruit, *vt refert Tacitus.*

L. Domitius magnum sibi nomen fecerat; Illi Antonia minor, Octauiâ genita, in vxorem data est.

L. Piso prætura in Hispania fungebatur, anno Christi vicesimo sexto, Tiberij Imperatoris decimo. *Mariana lib. 4. de rebus Hispaniæ.*

Poppæus Sabinus ob contusos Thraciæ populos, victoriæ insignibus auctus est anno Christi vicesimo octauo; Tiberij Imperatoris duodecimo. *Tacitus lib. 4. Annalium.*

Pontius Pilatus natione Gallus, Lugduni natus, vir callidus, ac probris omnibus contaminatus procurator Iudææ, Valerio Grato abrogato, qui eidem prouinciæ vndecim annis præfuerat, designatus est, eodem Christi anno vicesimo octauo. Hic cum nocte intempesta aureos clypeos (Cæsaris Imagines scribit Iosephus) intulisset, dedicassetque, inclamantis populi pertinaciâ, Cæsaream transferre coactus fuit. *Philo de legatione ad Caium, & Eusebius libr. 1. Historiæ. cap. 11.*

Herodes Antipas Galilææ Tetrarcha Herodiadem fratris sui Philippi coniugem, repudiatâ suâ, regis Areti filiâ, inuitam duxit eodem Christi anno, *Iosephus lib. antiquitatum 18. cap. 7.*

Asinius Agrippa claris maioribus, atque vetustis, neque vitæ degener fuit. *Tacitus lib. 4. Annalium.*

Cn. Domitius vir insignis, & antiquæ familiæ, Agrippinam Germanici filiam connubio sibi iunxit, anno Christi vicesimo nono; Tiberij decimo tertio. *Tacitus loco citato.*

VIRI ERVDITI.

Cremutius historicus celebris floruit, anno Christi vicesimo primo, Tiberij Imperatoris quinto. Hic bella ciuilia, & res Augusti scripsit, extantque etiamnum fragmenta, ex quibus genus illius dicendi colligitur. *Dio lib. 57.* Refert tanti viri annales in vrbe ab Ædilibus repertos, foris autem per Præfectos, combustos fuisse patrum decreto, anno Christi vicesimo nono, Tiberij Imperatoris decimo tertio, quòd laudato Marco

Bruto *inquit* Tacitus *lib.* 4. *Annalium*, Cassium Romanorum vltimum appellasset: fuere tamen postea iterum editi, operâ Marciæ ipsius filiæ, maioriquein pretio, & studio, quam anteà habiti.

Titus Labienus, magnus quoque Historicus, varia composuit, quæ etiam Senatusconsulto abolita fuere, anno Christi vicesimo septimo, Tiberij Imperatoris vndecimo: verum in lucem iterum prodiere Caij Caligulæ tempore, qui ea lectitari, & in omnium manibus versari permisit. *Tacitus lib.* 4. *Annalium*, *Seneca*, *& alij.*

Cotys, Thraciæ Rex, non minus ingenio, litteris, ac poëtica facultate nobilis, quàm dignitate, & natalibus. *Lipsius in Tacitum.*

Domitius Corbulo, vir prætorius, facundiæ gloriâ insignis, *Et vt scribit Tacitus lib.* 3. *Annalium* omnium oratorum vberrimus.

Domitius Affer Nouatiensis orator celeberrimus, & à Quintiliano maximè dilaudatus, qui eum senem ipse adolescens impensè coluit, asseritque illum, verborum arte, ac toto genere dicendi, aliis præferendum esse; Cæsar disertum appellabat, capessendis accusationibus, aut reis tutandis, prosperiore eloquentiæ, quàm morum famâ, extitit. *Ita Tacitus lib.* 4. *Annalium.*

Quintus Haterius familiâ Senatoriâ *vt refert citatus auctor*, monumenta ingenij sui non pauca nobis reliquit; promptus fuit, & popularis orator, ad annum vsque nonagesimum prope, summo cum honore consenuit, *Eusebius in Chronico*, *Seneca, D. Hieronymus.*

Cassius Longinus, natus ex Tuberonis filia, quæ fuit neptis Seruij Sulpitij, Iurisprudentiæ princeps ætate sua habitus. *Cuspinianus.*

Salustius Mopseates medicus peritissimus, scripsit plura de arte medica, *vt refert Suidas.*

Cocceius Nerua, Diui Neruæ auus, iuris scientia maximè clarus, de quo mentio fit apud Iurisconsultum, de origine iuris, vbi celebres iurium doctores enumerat; de illo fusè, *auctor ignotus à Cuspiniano in Cassiodorum citatus.*

C. Lutetius, vel, vt alij volunt, Lutorius Priſcus, Romanus Eques, ſtrictâ oratione inclytus, celebre carmen in funere Germanici contexuit. *Tacitus.*

Caius Cæſar Caligula, inter viros eloquentiſſimos iure adnumerandus, *vt aſſerit Suetonius.* Illius genus dicendi erat auguſtum, potens, ac vehemens; ea propter lenius, atque comptius ita reſpuebat, vt Senecam nullo haberet in pretio, meraſque illum commiſſiones componere, arenamque eſſe ſine calce, dictitaret.

Publius Velleius Paterculus res Romanas ſtylo caſtiſſimo, ab vrbe conditâ, ad ſuam vſque ætatem, hoc eſt tempore Tiberij Cæſaris, ſcripſit; dolendum certè quod non integrum, ſed ſemilacerum, mendiſque corruptum habeamus; Eiuſdem fragmentum de bello Auguſti Cæſaris, contra Sueuos in Noricis, & Vindelicia, extat Viennæ Auſtriæ, apud Volfgangum Lazium.

Scribonius Largus medicus peritiſſimus floruit etiam hoc tempore, librumque de compoſitione medicamentorum edidit, Ioannis Ruellij operâ, è tenebris erutum, & à ſitu vindicatum. Hunc Galenus commendat, citatque identidem in libris κατὰ τόπους.

NATALITIA AVGVSTA.

Liuia Germanici ſoror, nupta Druſo Imperatoris filio, duos virilis ſexus gemellos enixa eſt anno Chriſti viceſimo primo, Tiberij Cæſaris quinto. *Tacitus.*

OPERA PVBLICA.

Arcus magno cum apparatu in honorem Ouantis Druſi, circa latera templi Martis Vltoris, illiuſque effigies arte mirabili exſculpta, eriguntur anno Chriſti viceſimo ſecundo; Tiberij Imperatoris ſexto. *Tacitus lib. 3. Annalium.*

Baſilicam Pauli Æmilij, poſt annos triginta quinque iterum collapſam, Æmilia monumenta (neque enim vnius tantum Æmilij opus fuit) firmauit, ornauitque propriis ſumpti-

bus Mannius Lepidus, anno Christi vicesimo quarto; Tiberij Imperatoris octauo, patribus suffraganribus. *Tacitus loco citato.*

Pompei Thearrum igni fortuito haustum, propriâ pecuniâ extruendum curauit Tiberius Imperator, eodem Christi anno vicesimo quarto; nullus siquidem ex ea familia ingentem illam molem restaurare poterat, manente tamen nomine Pompei. *Tacitus ibidem.*

Asiæ vrbes anno Christi vicesimo quinto, Tiberij Imperatoris nono, templum Tiberio Cæsari, ipsiusque matri, ac senatui decreuere. *Tacitus.*

Sub idem tempus instaurata fuere à Tiberio principe oppida quædam, magno terræ motu euersa. *Cuspinianus, & Tacitus.*

Philippus Ituræ Tetrarcha, Herodis magni filius, Cæsaream dictam Philippi ædificauit in honorem Cæsaris, ad radices montis Libani, anno Christi vicesimo sexto, Tiberij Imperatoris decimo, vbi duo fontes Ior nimirum & Dan perenniter fluunt. *Iosephus lib. 18. antiquitat.*

Vndecim Asiæ vrbes decertarunt inter se, anno Christi vicesimo octauo, Tiberij Imperatoris duodecimo, in qua earum templum Cæsari extrueretur; In hac honoris pugna, Smyrnæi palmam retulere, dataque est huiusmodi cura Valerio Naso à prætoriis. *Tacitus lib. 4. Annalium.*

Tiberius Imperator templum Capuæ, totius olim Campaniæ celeberrimæ, summo Ioui; Nolæ verò eiusdem Prouinciæ, Cæsari Augusto dedicauit. *Tacitus.*

Pilatus Iudææ procurator, Hierosolymâ magnâ penuriâ laborante, çquæductum à torrentis initio quod stadiorum duorum millium interuallo distabat, ex opibus templo dicatis, excitari curauit, eodem Christi anno. *Nauclerus in Chronico.*

PRODIGIA.

Thia Insula in mari Cretico, vna Sporadum non procul ab Hiera, emersit octauo idus Iulij, anni Christi vicesimi primi, Tiberij

Tiberij Imperatoris, quinti, *teste Plinio lib. 2. cap. 8. & lib. 4. c. 12. & Turiano.*

Trecentas amplius belluas destituit contra Lugdunensis prouinciæ littus Oceanus reciprocans, anno Christi tricesimo, Tiberij Imperatoris decimo quarto; nec pauciores in Santonum litrore, ac præ aliis elephantos, & arietes cornibus tantùm albis similes; Nereidas vero multas, squamis, & hispido corpore etiam quâ humanam referebant effigiem, horridas. *Auctor citatus.*

CALAMITATES.

Fœdissimis flammis combustum est Theatrum Pompei, anno Christi vicesimo quarto, Tiberij Imper. octauo. *Tacitus lib. 3. Annalium.*

Attilio quodam libertini generis ludos, amphitheatro non tam solidè substructo, Fidenis, quæ est vrbs mediterranea, exhibente, quinquaginta hominum millia, quà debilitata, quà obtrita fuere, anno Christi vicesimo nono, Tiberij Imperatoris decimo tertio; *Tacitus lib. 4. Annalium, & Suetonius.*

RES BELLICÆ.

Varij in Thracia, Coryn inter & Rescuporin Reges, motus fuere, anno Christi vicesimo primo, Tiberij Imperatoris quinto. *Tacitus lib. 2. Annalium.*

Bellum à Tacfarinate principe magnis depopulationibus, atque euastationibus renouatur in Africa, anno Christi vicesimo secundo, Tiberij Imperatoris sexto; verum à L. Apronio Proconsule reprimitur. *Tacitus lib. 3. Annalium.*

Mota rursus frequentibus Tacfarinatis Regis incursionibus Africa, anno Christi vicesimo tertio, Tiberij Imp. septimo; cui tuendæ Iunius Blæsus electus fuit. *Tacitus loco citato.*

Galliæ eodem anno vicesimo tertio, Iulio Sacrouiro inter Æduos, Iulio Floro inter Treueros ducibus, æris alieni magnitudine oppressæ rebellarunt, sed infeliciter; Earum siquidem copiæ à Germanicis penitus deletæ fuere; ipsæ verò ad

REI INSIGNES.

Rescuporis vnius partis Thraciæ Rex, operâ Pomponij Flacci Mœsiæ præfecti, in vincula datur, anno Christi vicesimo primo; Tiberij Imperat. quinto: tum Romam perductus accusatur in Senatu, ab vxore Cotyos, alterius partis Thraciæ Regis, quod sponsum incautum inter epulas, catenis onerasset; Ea propter Alexandriam Ægypti, vrbem fortissimam, ab Alexandro Macedone conditam, non longe à Nili ostio, maximumque orbis totius emporium, antè Saluatoris aduentum, anno vicesimo supra trecentesimum, septemdecim dierum spatio, cum sex millibus murorum passibus, constructum, *vt testatur Iustinus*, amouetur. *Tacitus lib. 3. Annalium.*

Lepida Æmilia, cui supra Æmiliorum decus L. Sylla, & Cn. Pompeius erant proaui, adulterij, & veneni defertur Romæ, damnaturque anno Christi vicesimo secundo, Tiberij Imperatoris sexto. *Tacitus loco citato.*

C. Silanus Asiæ proconsul, repetundarum ac maiestatis à sociis postulatus in Cytheram insulam relegatur, anno Christi vicesimo quarto, Tiberij Imperatoris octauo. *Tacitus.*

Q. Vrbius Serenus illuuie, ac squalore obsitus in Senatum prodiit, legeque repetundarum conuictus, perorante filio, Amorgum, quæ est vna insula ex Sporadibus, circa Cretam in mari Carpatio amandatur, anno Christi vicesimo sexto, Tiberij Imperatoris decimo. *Vasæus de rebus Hispaniæ, & Tacitus.*

P. Suilius quæstor quondam Germanici, delatus quòd pecuniam accepisset, ob rem iudicandam, in insulam deportatur. *Eodem Christi anno, Tacitus.*

Termestinus Agricola, equi indicio, quem defatigatum reliquerat, comprehensus, nullis tormentis adigi potuit, vt socios patratæ cædis in L. Pisonem Hispaniæ non tam Rectorem, quàm expilatorem, ob noua, atque grauissima imperata tributa, proderet; ne tamen doloris impatientia constantiam mentis immutaret, posteriori die tormentis instauratis, inter Carnificum manus elapsus, capite ad rupem illiso, expi-

rauit, anno Christi vicesimo sexto, Tiberij Imperatoris decimo. *Mariana lib. 4. de rebus Hispaniæ; Vasæus, & Tacitus.*

Cremutius Cordus Historicus accusatus apud Senatum quod editis annalibus, laudato M. Bruto, Cassium Romanorum vltimum appellasset, damnatur, ipsiusque libri, patrum decreto comburuntur, anno Christi vicesimo septimo, Tiberij Imperatoris vndecimo. *Tacitus.*

Claudia Pulcheria Agrippinæ sobrina, tanquam venefica in principem, & Furnius tanquam adulter, postulantur, damnanturque. *Tacitus.*

Titius Sabinus, Romanus Eques illustris, ob amicitiam Germanici, reus factus, ipsis Kalendis Ianuariis anni Christi tricesimi, Tiberij Imperatoris decimi quarti, damnatus est. *Dio tamen refert,* illum, indictâ causâ, coniectum fuisse in carcerem, & interfectum; ipsius vero corpus ad scalas Gemonias, ad quas damnatorum corpora, vnco trahebantur, raptum, dein in Tiberim proiectum.

OBITVS ILLVSTRES.

Cotys Rex Thraciæ è viuis eripitur anno Christi vicesimo primo, Tiberij Imperatoris quinto, & hoc iussu Rescuporis principis, qui sub idem tempus, Alexandriam deuectus, fugamque tentans occiditur. *Tacitus lib. 2. Annalium.*

Germanicus Drusi filius, & Tiberij Imperatoris nepos, ætate florens, insignis animi, & multorum bellorum superstes, fraude Tiberij Cæsaris, & opera Cn. Pisonis, qui eo tempore Syriæ præerat, magno cum vniuersæ prouinciæ luctu, totiusque vrbis dolore, extinguitur Antiochiæ, anno ætatis tricesimo quarto, Christi vicesimo primo, Tiberij Imperatoris quinto, non sine suspicione veneni propinati, *vt vult Suetonius,* cùm præter liuores toto corpore sparsos, cremari quoque cor, quod veneno quocumque tinctum igne confici nequit, incorruptum tamen inter ossa, repertum fuit; vel arte magica, *vt vult Dio lib. 57.* (viuente siquidem adhuc Pisone, ossa hominum defossa, laminæque plumbeæ, diris increpationibus, cum ipsius nomine inscriptæ, inuentæ sunt

in eadem domo, quam habitabat) duos reliquit filios, Claudium naturâ, adoptione verò Drusum. *Iosephus lib. 18. antiquitatum, Suetonius in Caligula, & Tacitus qui omnia hæc diligenter exequitur lib. 2. Annalium sub finem, & initio libri tertij.*

Arminius Germanorum Dux, pulso Maroboduo, regnum affectans, cùm variâ fortunâ certaret, dolo propinquorum, eodem Christi anno cecidit; liberator haud dubiè Germaniæ, & qui non primordia tantum populi Romani, vt alij reges, ducesque, sed florentissimum Imperium lacessiuerat; septemque, ac triginta annos, duodecim verò potentiæ expleuerat. *Tacitus lib 3. Annalium.*

Fenestella Historicus sub idem tempus, anno ætatis suæ septuagesimo, fatis concessit Cumis, quæ est ciuitas Lucaniæ ad mare, iuxta Puteolos, condita ab iis, qui ex Chalcide, vrbe Eubœæ, venerant. *Eusebius in Chronico.*

Cn. Piso, cùm omnia infensa sibi, infaustáque expertus fuisset, manus sibi intulit anno Christi vicesimo secundo, Tiberij Imperatoris sexto. Post multam enim noctem, egressa è cubiculo vxore, fores operire iussit, & cœpta die, perfosso iugulo, iacente humi gladio, repertus est. Sub finem eiusdem anni L. Volesius, & Salustius Crispus, viri insignes obiere. *Tacitus lib. 3. Annalium.*

Florus, & Sacrouir, Treuerorum, & Æduorum duces peritissimi, in Galliâ rebellantes propriâ dexterâ occubuere.

Atteius Capito, vir celeberrimus hominem exuit, anno Christi vicesimo quarto, Tiberij Imperatoris octauo.

Iunia C. Cassij vxor, & M. Bruti soror, ditissima fœmina, post Philippensem aciem, vitæ munus eodem Christi anno impleuit.

Drusus Tiberij Imperatoris filius, arte Ælij Seiani cohortium præfecti, & vxoris Liuiæ, ab eodem Seiano stupro corruptæ, veneno periit anno Christi vicesimo quinto, Tiberij Imperat. nono.

Lucius Longus, alter ex geminis Drusi liberis, propero fato mortuus est eodem Christi anno.

Tacfarinas Numidiæ Rex, ruendo in tela, captiuitatem, non inultâ morte, effugit, anno Christi vicesimo sexto, Ti-

berij Imperatoris decimo. *Tacitus lib. 3. Annalium*

L. Domitius, & Antonius, viri summæ famæ, obiere exeunte eodem Christi anno vicesimo sexto. *Tacitus.*

L. Piso Hispaniæ prætor crudeli nece à quodam nationis Termestinæ sub idem tempus, interemptus est. *Vasæus de rebus Hispaniæ.*

Asinius Agrippa, & Q. Heterius excessere è vita anno Christi vicesimo octauo, Tiberij Imperatoris duodecimo. *Tacitus lib. 4. Annalium.*

Votienus Montanus, Narbonensis orator insignis, in Balearibus, quò fuerat relegatus, supremum diem clausit, eodem Christi anno. *Eusebius.*

Titius Labienus cùm audisset scripta sua senatusconsulto combusta fuisse, noluit, inquit Seneca, ingenio suo superstes esse, sed in monumenta maiorum se deferri iussit, atque includi, veritus scilicet, ne ignis qui nomini suo subiectus fuerat, corpori negaretur. *Suetonius, & alij.*

Iulia Iuliæ filia, Æmilio Paulo nupta, desiit anno Christi tricesimo, Tiberij Imperatoris decimo quarto; Illam, Augustus ipsius auunculus, conuictam adulterij damnauerat, proieceratque in insulam Trimerum, haud procul ab Apulis littoribus, vbi exilium, Augustæ ope, viginti annis tolerauit.

FVNERA.

Extincto Antiochiæ Germanico, lapidata sunt templa ex publici mœroris vi; subuersæ numinum aræ; Lares seu dij domestici in publicum abiecti; partus coniugum expositi; quin, immo, ipsos Barbaros communi mœrore ad inducias consensisse fama est; Regulos item quosdam, barbam posuisse, & vxorum capita rasisse; Parthorum Regem non adhibuisse in cœna conuictores Magisthanas, hoc est principes. cadaueris Antiochiæ cremati collectos in vrnam cineres, comitante vidua Agrippina, cum liberis, Tribuni, & Centuriones Romam detulerunt. Præibant incompta signa, versi fasces, & vbi colonias transgrediebantur, atrata plebs, ac

trabeati equites, pro opibus loci, vestem, odores, aliaque funerum solemnia cremabant; dies, quo reliquiæ Augusti tumulo illatæ sunt, anno Christi vicesimo secundo, Tiberij Cæsaris sexto, modò ploratibus inquies fuit, modò per silentium vastus; Vrbis itinera plena, collucentes per campum Martis faces; Illic miles cum armis, & sine insignibus magistratus, hoc est, sine prætexta, sine annulis, & sine lato clauo. Hi tamen inter alios honores ei decreti; nimirum, vt ipsius nomen saliari carmine caneretur, sedes curules sacerdotum augustalium locis, & super eas querceæ coronæ statuerentur; ludos Circenses eburnea effigies præiret; eiusque clypeata imago auro, & magnitudine insignis, inter eloquentiæ auctores reponeretur; Arcus additi, & Romæ, & apud ripam Rheni, & in monte Syriæ Amano, cum inscriptione, rerum gestarum, & mortis ob rempublicam obitæ; Sepulchrum Antiochiæ, vbi crematus. Statuarum denique, locorumque in quibus coleretur, haud facilè quis numerum inire posset. *Tacitus lib. 3. Annalium, Suetonius, & Dio lib. 57.*

Iunia vxor Cassij iam demortua, laudata fuit pro rostris, anno Christi vicesimo quarto, Tiberij Imperatoris octauo, cæterisque solemnibus ipsius funus cohonestatum; in eo enim viginti clarissimarum familiarum imagines præferebantur. *Tacitus loco citato.*

Funus Drusi, Imperatoris filij, imaginum pompâ maximè illustre fuit anno Christi vicesimo quinto, Tiberij Imperatoris nono; siquidem origo gentis Iuliæ, Æneas, omnesque Albanorum Reges, & conditor vrbis Romulus, tum Sabina nobilitas, Appius Clausus, cæteræque Claudiorum effigies longo ordine spectabantur. Laudatus fuit pro rostris ab ipso patre Tiberio, Senatu, populoque Romano in eius gratiam foris lugente. *Tacitus lib. 4. Annalium.*

Lucio Longo alteri ex geminis Drusi, & Liuiæ filio, censorium funus decretum fuit, hoc est, eximium, *teste Lipsio*, in quo omnia purpurea erant, vestes scilicet, stragulaque; effigiem insuper apud forum Augusti publicâ pecuniâ decreuere patres. *Tacitus loco citato.*

DECAS QVARTA.

TIBERII IMPERATORIS *Gesta, & Obitus.*

EO crudelitatis venerat, vt Capreis, anno Christi tricesimo primo, principatus decimo quinto, carnificinæ locum habuerit, vnde damnatos post longa, & exquisita tormenta, in mare crudeliter deijceret, excipiente classiariorum, hoc est, militum, qui in classe stipendia merebant, manu, & contis atque remis elidenre cadauera, ne cui residui spiritus quidquam inesser. *Dio lib.* 57.

Diu quæsitis, quos, nepribus suis, Germanico genitis, maritos destinaret; iam enim instabat virginum ætas; L. Cassio Drusillam dedit anno Christi tricesimo quinto, principatus decimo nono; Vinicio verò, vel vt alij volunt, Vinucio, Iuliam? *Tacitus lib.* 6. *Annalium, & Dio loco citato.*

Fœnerarores eodem Christi anno damnauit, vsurasque repressit. Romæ tot senatores, ipso iubenre, sub idem rempus periere, vt iam qui magistratum gererent, vix reperirenrur, quamobtem forte ducti prouinciarum præfecti, in multos annos præficiebantur, cùm non suppeterenr successores. *Suetonius, Tacitus, & Dio.*

Caium Caligulam Germanici filium, suumque ex Druso fratre nepotem, in Imperium, eodem Christi anno, euexit, eo consilio, vt vel facinora sua grauioribus Caij flagitiis occulrarentur, & reliqua pars Senatus post mortem suam, interficeretur; vel propter egregium ipsius Caij obsequium. *Suetonius.* Sergio irem Galbæ consuli præsagium Imperij futuri ex scientia Chaldæorum, quam Rhodi didicerat, his verbis fecit, & tu Galba quandoque gustabis Imperium. *Auctor citatus & Ioannes Monachus in vita Tiberij.*

Cunctis, quæ ab bellum suscipiendum parabantur Lucium Vitellum præfecit anno Christi tricesimo septimo, principatus vicesimo primo. *Tacitus lib.* 6. *Annalium.*

Parthis

Parthis Phraatem Regem depoſcentibus facilè conceſſit eodem Chriſti anno; Verùm cum ſuper iter, in Syria obijſſet, Tiridatem ſuffecit, quem Vitellius Syriæ præſes, ipſius iuſſu, ad regnum perduxit. *Tacitus loco citato.*

Damna, quæ funereæ flammæ Romæ intulerant, anno Chriſti triceſimo octauo, principatus viceſimo ſecundo, ſuâ liberalitate, exolutis domorum, & inſularum pretiis, reſtaurauit. *Tacitus, Suetonius, & Dio lib.* 58.

Tandem anno Chriſti triceſimo nono, ætatis ſuæ ſeptuageſimo octauo, Imperij viceſimo ſecundo, menſibus ſeptem, minus quatuor diebus, numerando à die ſequenti obitus Auguſti, ex hàc vita migrauit in Campania, decimo ſexto Martij. *Tacitus, Dio, & alij.*

ICON
TIBERII IMPERATORIS.

TIBERIVS *Cæsar, Neronis, ac Liuiæ Drusillæ filius, Augustique ex Matre priuignus; mox propter Iuliam coniugem gener; postremò adoptione filius, atque heres, ei tamen tota indole dissimillimus, assumptâ virili togâ, magistratus omnes obijt; in oriente præclara prosperè gessit; Tygranem, Armeniæ Regem regno restituit; signa à Parthis Crasso ablata recuperauit; Rheticum, indelicum, Pannonicum, Germanicum, Illyricumque bellum feliciter confecit. Rem Romanam inter bonum, & malum, alternante animo, viginti duobus annis, mensibus septem, minus quatuor diebus tenuit. Initio modestâ satis compressâ indole, quam, quia continebat Germanici Cæsaris metus, eo sublato, tantò impotentiùs in omnem libidinem, crudelitatem, atque auaritiam effudit, quâ, partam omnem, inani nomine, gloriam defœdauit, biennio post adeptum Imperium, nullius vnquam belli vel dux, vel miles, nisi per vicarios; satis sibi ratus ad famam, si quotannis profectionem, ingenti apparatu adornaret, cui terminus ad portam ciuitatis esset constitutus; hinc diligentissimo Imperatori, Callipedis vindicatum nomen, quod animal vltra cubiti mensuram procedere fama est. Capream insulam omni vitiorum colluuie illustrem fecit; dumque Imperij oblitus ventri vacat, ac veneri, audit lasciuientem impune Parthorum immanitatem in Ar-*

menia; Dacorum in Mœsia; Sarmatarum in Pannonia; & Germanorum in Gallia; quibus ille probris, maiorem semper vesaniam in Deum, & licentiam in populos obiecit; in ærario denique vicies, & septies sestertiûm ab se ablatum, ingentem successoris luxui materiam reliquit; Ad hæc omnia, adde quod anno decimo-octauo Imperij sui, Iesus Christus Dei filius, à Pilati satellitio, in horto Gethsemani, nocte concubiâ comprehensus, in prætoriũ adductus fuerit, ludibrioque habitus, circũductus, seruiliter cæsus, diris impetitus, ac tandem in crucem actus, suo sanguine, scelus humanũ luerit.

CAII CALIGVLÆ IMPERATORIS Gesta.

EXtincto Tiberio, Caius Caligula, irritâ Tiberij voluntare, qui Drusi filium, nepotem suum alterum, nomine Gemellum prætextatum, vnà cum ipso coheredem Imperij testamento reliquerat, solus, senatus suffragio rerum potitus est, tantâ publicâ lætitiâ, vt tribus proximis mensibus, suprà centum millia victimarum cæsa fuerint, decretumque, vt dies, quo Imperium suscepit, Palilia vocaretur, velut argumentum vrbis rursus conditæ. *Suetonius.*

Legata Tiberij, & Liuiæ Augustæ persoluit, anno Christi tricesimo nono, principatus primo. Incendiorum damna restaurauit; statuit vt Italiç populi nullum ex auctionibus vectigal soluerent. Congiarium bis populo dedit; Senatum, & equestrem ordinem, epulo excepit; Ea propter, inter reliquos exquisitissimos honores, clypeus ei aureus concessus fuit, seu imago clypeata, quam quotannis, certo die, collegia sacerdotum in capitolium deferre tenebantur, senatu prosequente, nobilibusque pueris, ac puellis, ipsius laudes meditato carmine canentibus. Statuas sibi erigi, templa extrui, rem sacram tanquam Deo peragi iussit: immo, decretum de sacrificio fortunæ suç offerendo, in columna excidi curauit. *Suetonius, & Dio lib.* 59.

Saturnalia, hoc est festa septem, seu quinque dierum, mense Septembri, Saturno dicata, quibus Romani Synthesim, id est totam vestem sumebant, seruisque discumbentibus inseruiebant, muneráque vltro, cittoque mitti, remittique solebant, celebrauit; Claudium patruum in collegam assumpsit, templum Augusto dedicauit triumphali habitu, variaque exhibuit spectacula. *Dio loco citato.*

Natalem diem Augusti coluit; vrsæ ab eo quadringentæ, & totidem aliæ feræ cæsæ; patritij pueri Troiam, seu sciomachiam equestrem luserunt; sex equis tractus est currus triumphalis, quo ipse princeps vehebatur. Iustitium indictum, vt omnes ad theatrum confluerent; tunc primum senatoribus, ne nudis asseribus insiderent, puluinaria subdita, vsusque pileorum Thessalicorum concessus in theatris, ne solis ardore laborarent. *Dio.*

Antiocho, Antiochi filio, Comagenam, patrium regnum, & Siciliæ maritima reddidit; Agrippam, Aristobuli filium, & Herodis senioris nepotem vinculis soluit, quibus sex mensibus ante Tiberij obitum, mancipatus fuerat; deinde auitum in regnum restituit, auream catenam eiusdem ponderis, cum ferrea, quam Tiberius iniecerat, rependens, eundemque, Philippi recens defuncti, Ituræ, & Lysaniæ Abilinæ Tetrarchiis, cum Regis appellatione, donauit. *Iosephus lib. 18. antiquitatum, & Mariana lib. 4. de rebus Hispaniæ.*

Tiberium Gemellum, qui iam ex ephœbis excesserat, adoptauit, principemque iuuentutis creauit eodem Christi anno tricesimo nono, principatus primo. *Suetonius. & Dio lib. 59.*

Rationes omnes publicatum pecuniarum, Augusti exemplo, conscripsit anno Christi quadragesimo, principatus secundo. Vsum vestis senatoriæ, antequam magistratum vllum gessissent, multis permisit, vt spe aliqua niterentur senatoriæ dignitatis adipiscendæ, quod anteà solis patriciis concessum fuerat. Comitia populo, plebique reddidit, abrogatis Tiberij ea de re constitutionibus; Tributum centesimum sustulit, in multos tamen deseuiit; siquidem cum nulli ad belluas damnati fuissent, quosdam è turba iussit abripi, & feris proijci, præcisis antea linguis, ne vel clamare, vel quempiam accusare possent. *Suetonius & Dio.*

Muneta gladiatorum, partim in amphitheatro tauri, partim in septis edidit anno Christi quadragesimo; quibus inseruit catervas Afrorum, Campanorumque pugilum; Scenicos praeterea ludos, ac nocturnos, accensis tota vrbe luminibus, exhibuit. *Suetonius, & Dio lib.* 59.

Lolliam Paulinam vxorem C. Memmij Reguli duxit sub idem tempus, *vt testatur Dio libro citato: de ea fuse Suetonius. Plinius vero lib.* 9. *c.* 35. scribit se eam vidisse in sponsalium ceremoniarum cœna, smaragdis, margaritisque opertam, alterno textu fulgentibus, toto capite, crinibus, spiris, auribus, collo, monilibus, digitisque, quae summa quadringenties H-S. colligebat; nec dona haec tantum prodigi principis fuerant, sed auitae opes, prouinciarum spoliis partae.

Soëmum, Arabum Regem eodem Christi anno creauit; Cotyn Darij filium, minoris Armeniae principem, & Polaemonem, Regem Ponti. Denique equitibus Romanis equum ademit, quibus aut probri aliquid, aut ignominiae aderat. *Dio lib.* 59.

HEROES.

Sanguine, Gestis, & Politiâ.

Seianus in dies extollitur vt maiori ruina abeat in praeceps; siquidem iisdem honoribus anno Christi tricesimo primo, Tiberij Imperatoris decimo quinto, colebatur, quibus ipse princeps; vota enim pro vtroque, & sacrificia fiebant; ad vtriusque statuas thura adolebantur; ciues, pro vtriusque fortuna iurabant, atque amborum aureos currus, in theathrum inuehebant, ita vt nihil praeter tribunitiam potestatem, & Imperatoris nomen in Seiano desiderari videretur. *Dio lib.* 58.

Vetrasius Pollio Ægypto praeerat, anno Christi tricesimo quarto, Tiberij Imperatoris decimo octauo, cui subrogatus fuit Iberus aliquis, ex Caesarianis libertis. *Dio loco citato.*

Aretas, Arabum Rex arma sumpsit eodem Christi anno, ob repudiatam filiam suam ab Herode Antipa. *Tacitus lib.* 6. *Annalium.*

L. Cassius, plebeij quidem Romæ generis, verùm antiqui, & honorati, seueráque Patris disciplinâ effictus, efformatusque, facilitate magis quàm industria, *inquit Tacitus*, commendabatur. Hic anno Christi tricesimo quinto, Tiberij decimo nonô Drusillam Germanici filiam, & Imperatoris neptem matrimonio sibi iunxit.

Macro vir illustris, ac splendidus, cuius ope Caius Caligula Imperium est adeptus; *Tacitus loco citato.*

Vinicius, seu Venucius, patre, atque auo Consularibus insignis, & equestri familiâ, Tiberij neptem cognomento Iuliam, & Germanici filiam, in vxorem accepit, anno Christi tricesimo quinto, principatus decimo nono. *De eo fusè Seneca, & Tacitus.*

Lucius Piso Pontifex, decus triumphale in Thracia meruit, & in hoc præcipuè laudatus, quòd præfectus vrbis recens, continuam potestatem, & insolentiâ patendi grauiorem mirè tempetauerit. *Tacitus lib. 6. Annalium.*

Pomponius Labeo Mœsiam prouinciam magna cum prudentia regebat anno Christi tricesimo sexto; Tiberij Imperatoris vicesimo. *Tacitus loco citato.*

Lucius Vitellius Publij Vitellij filius, vir Consularis, Syriæ præses constituitur, anno Christi tricesimo septimo, Tiberij vicesimo primo; subiecta fuit sub eo Palæstina, quam lustrans pro more, à Iudæis in ipsa festiuitate Paschatis, honorificentissimè Hierosolymis exceptus est; quibus vicissim impensè fauit. Siquidem, & fructuum venalium vectigal ciuibus remisit, & stolam, quæ ab aliquot annis in Antoniana turri, ab Hircano, iuxta templum extructa seruabatur, concessit. Parthorum Regem variis artibus non solum ad colloquium, *Suetonio teste*, sed etiam ad veneranda signa legionis pellexit. Ionatham Anani Pontificis filium eodem Christi anno suffecit in locum Caïphæ. *Iosephus lib. 18. antiquitatum.* Anno verò Christi tricesimo nono, Caij Cæsaris primo, gesturus aduersus Aretam Arabiæ Regem bellum, Hierosolymam petens, Iudæis in verba Imperatoris adactis, summum sacerdotium à Ionatha, in Theophilum fratrem transtulit. *Plura de eo Pilnius lib. 15 c. 19. & lib. 22.*

Artabanus variis victoriis clarus noua molitur, anno Christi tricesimo septimo, Tiberij vicesimo primo. *Tacitus lib. 6. Annalium.*

Tiridates ex Arsacidarum sanguine ortus magnum sibi nomen, ob res feliciter gestas, fecit. *Tacitus loco citato.*

Mithridates princeps potentissimus, Armeniam exaggerato, atque infracto animo, contra Artabanum Parthorum principem, tuetur. *Tacitus ibidem.*

Marcellus, vir nobilis Iudææ prouinciam administrabat, anno Christi tricesimo octauo, Tiberij vicesimo secundo. *Tacitus.*

Flaccus Auilius, Ægypti præfectus, Iudæos omnibus fortunis exutos vario cruciatuum, ac suppliciorum genere vexauit anno Christi quadragesimo, Caij Cæsaris secundo. Horum Synagogas imaginibus, statuis, aris, ac victimis polluit. *Eusebius in Chronico, Philo in libro, qui Flaccus inscribitur asserit se hæc vidisse, & ob eam rem, legationem ad Cæsarem se suscepisse.*

Asprenas vir clarissimus, consulatibus infulis eodem Christi anno fuit cohonestatus. Hic cùm Caius Cæsar sacrificaret, antequam occideretur à coniuratoribus, totus sua in veste sanguine victimæ aspersus, vicinæ mortis in augurium, ridente licet Caio, accepit; nam eodem Caio interfecto, dum Germanici milites, corporis Cæsaris custodes, percussorem inquirunt, Asprenatem primò occurrentem perimunt. *Iosephus lib. 19. antiquitatum.*

Soëmus Arabum; Cotys, Darij filius, minoris Armeniæ; Polæmon verò Ponti Reges augustissimi, ac bellicâ gloriâ celeberrimi habentur. *Dio lib. 59.*

VIRI ERVDITI.

P. Vitellius, L. Vitellij pater, vir imprimis doctus, rerumque variarum cognitione instructus permulta nobis reliquit opera; *ipso teste in Tacitum, & Tertulliano de anima.*

Appion Alexandrinus Grammaticus Cretensis, Pistonici filius, Euphranoris iam senis discipulus, ac Dydymi magni

NATALITIA AVGVSTA.

Otho futurus Imperator nascitur quarto Kalendas Maij, anni Christi tricesimi quarti, Tiberij Imperatoris decimi octaui. *Suetonius.*

Persius Flaccus, poëta satyricus vitæ limen Volaterris oppido Hetruriæ, procul à mari, in edita collis planitie sito, attigit anno Christi tricesimo septimo, Tiberij Imperatoris vicesimo primo. *Eusebius.*

Domitius Nero, successor Claudij, prodiit anno Christi tricesimo octauo, Tiberij Imperatoris vicesimo secundo. *Suetonius.*

Iosephus Historicus in lucem editus fuit, anno Christi tricesimo nono, Caij Cæsaris Caligulæ primo, vt ipse testatur in vita sua.

OPERA PVBLICA.

Ratisbonam ciuitatem clarissimam condidit Tiberius Imperator ad ripas Danubij, anno Christi tricesimo quarto, principatus decimo octauo, *vt refert Cuspinianus ex vetustissimis quibusdam Annalibus.* Ego quidem memini me legisse in Chronico antiquo anonymo, vrbem illam à Tiberio ædificatam fuisse, anno quo Christus passus est, in Norico, regione Germaniæ, quæ licet olim deserta esset, nunc tamen cultissima est, magnas habens, & ambitiosas ciuitates, atque oppida nobilissima. Porro Ratisbona septem olim nominibus donata fuit, ac primo Tiberina, vel Tuberina vocata à suo conditore. Secundò quadrata, tùm ob formam quadratam, tùm ob ipsius lapides quadratos, quibus muri extructi fuerant. Tertiò Hyatospalis, ab hiantium aquarum prope ciuitatem confluxu. Quartò Germeinstheim, à populo Germaniæ, qui eam frequentabat, vel à Germanico, qui illi præfuerat. Quintò Reginopolis, ob frequentes principum, atque Regum conuentus, vt patet ex superbissimis magnatum ædificiis, quæ etiamnum in ea extant. Sextò Imbripolis, à fluuio, qui Imber dicitur, fluitque in Danubium. Septimò, Ratisbona, eò quod rates in eam,

tanquam in emporium optimum, confluerent.

Templum, quod inchoatum fuerat ab eodem Tiberio principe in honorem Augusti, & theatrum Pompei, absoluta sunt à Caio Caligula, anno Christi tricesimo nono, principatus primo, qui etiam aquæductus fabricam aggressus est, anno Christi quadragesimo, principatus secundo, & amphitheatra iuxta septa, quorum primum à successore Claudio peractum est, alterum omissum. *Iulius Frontinus lib. 2. de aquæductibus, & Suetonius in Caio.*

PRODIGIA.

Stella crinita visa est anno Christi tricesimo tertio, Tiberij Imperatoris decimo septimo; de qua ipse princeps multa, præclaro carmine, composuit. *Teste Plinio lib. 2. c. 25.*

Post longum sæculorum ambitum, auis Phœnix aquilæ magnitudine, plumeo capitis capice, & cristato, collo aureo, corpore purpureo, cauda denique cærulea, roseis pennis mirabiliter distincta, in Ægyptum deuolauit anno Christi tricesimo sexto, Tiberij vicesimo, *si Tacito tamen lib. 6. Annalium fides sit adhibenda.*

CALAMITATES.

Bithynia regio minoris Asiæ, aduersa Thraciæ, proxima Troadi, vehementi terræ motu quassata fuit, anno Christi tricesimo quarto, Tiberij Imperatoris decimo octauo; ædesque plurimæ euersæ in Nicæa, vrbe Bithyniæ metropoli, quam Antigonus Philippi filius condidit, & Antigoniam nominauit; dein Lysimachus, à nomine vxoris, Antipatri filiæ, Nicæam appellauit. *Eusebius in Chronico.*

Annonæ grauitas magna fuit Romæ eodem Christi anno tricesimo quarto, vnde seditio orta. *Tacitus lib. 6. Annalium, & Dio lib. 58.*

Ingentem cladem vrbi intulit incendium atrox, anno Christi tricesimo octauo, Tiberij Imperatoris vicesimo secundo, deusta parte circi, quæ est contigua Auentino, imò

& ipso monte Auentino. *Tacitus lib. citato, & Dio.*

RES BELLICÆ.

Aretas Arabum Rex, ob repudiatam filiam ab Herode Antipa, Galilæam inuasit, anno Christi tricesimo primo, Tiberij decimo quinto. *Tacitus.*

Artabanus Parthorum Rex fretus bellis, quæ secunda aduersus circumiectas nationes exercuerat, senectutem Tiberij vt inermem despiciens, Armeniam, Asiæ regionem, intra Taurum, & Caucasum montes sitam, cui, defuncto Rege Artaxia filium suum imposuerat, occupauit anno Christi tricesimo septimo, Tiberii vicesimo primo: immo & Cappadociam; misitque qui gazam à Vanone principe relictam in Syria, Ciliciáque reposcerent; quin etiam in veteres Persarum, & Macedonum terminos irrupturum se minatus est; verum cùm Armeniam, quam ceperat, tueretur contra Mithridatem; Tiridates ex Arsacidarum sanguine ortus, & à Tiberio Imperatore missus, in illius Regnum irrupit, breuî eo fruiturus, sequenti siquidem anno procerum dissidio, è solio deiectus fuit, & Artabanus iterum accitus. *Tacitus lib. 6. Annalium.*

Prælium item magnum sub idem tempus ortum est inter Armenos, Parthos, & Iberos. *Tacitus loco citato.*

REI INSIGNES.

Agrippina Tiberij Imperatoris nurus, & Germanici vidua, eiusque filius Nero, principis litteris accusantur, anno Christi tricesimo primo, Tiberij Imperatoris decimo quinto. *Tacitus.* Quidam existimant Neronem in Insula Pontia ad voluntariam mortem coactum fuisse; cùm ei carnifex missus auctoritate senatus, laqueos, atque vncos ostentasset.

Asinius Gallus vir clarissimus à Tiberio principe conuiua exceptus, comiterque habitus, ab eodem, ob ductam vxorem, & vsurpatam dicendi de republica libertatem, accusatus fuit, anno Christi tricesimo primo. Ita vt & eodem die conuiua Ti-

berij fuerit, & supplicio mulctatus. *Tacitus, & Dio lib.* 58.

Seianus Consul, toto orbe celeberrimus, vt pote qui ad summum humanæ felicitatis fastigium euectus fuisset, à fortunâ quasi fatigatâ destituitur, anno Christi tricesimo tertio, Tiberij Imperatoris decimo septimo; Conuocato enim senatu, vt recitarentur litteræ principis, quibus collata ei summa potestas Tribunitia credebatur, iisdem ipsis litteris plecti iussus (cœperat siquidem iam antè sibi ab eo timere) statim infelix in vincula conijcitur, capiteque damnatur; tum in Gemonias vnco tractus, & per triduum à populo ludibrio habitus, tandem in Tiberim immissus est; liberi quoque ex senatus consulto necati, quos inter filia, quam pater filio Claudij pactus fuerat, iussa à carnifice ante necem constuprari: nefas enim erat, virgines nisi primò viciatas, à tortore strangulari. *Tacitus lib.* 5. *Annalium, & Dio lib.* 58.

Geminius Celsus, & Pompeius equites Romani, coniurationis crimine cecidere, exeunte anno Christi tricesimo quarto, Tiberij Imperatoris decimo octauo. Celsus in vinculis laxatam catenam, & circum in aduersum tendens, suam ipse ceruicem perfregit. *Tacitus lib.* 6. *Annalium.*

Sextus Marius Hispanorum ditissimus filiæ suæ venustatis eximiæ virium intulisse defertur, iudicioque conuictus, è rupe Tarpeia in præceps deijcitur, anno Christi tricesimo quinto, Tiberij Imperatoris decimo nono; filia verò ipsius perempta; diuitias illi exitio fuisse ferunt. *Vasæus de rebus Hispaniæ, & Mariana lib.* 4.

Plancina eodem Christi anno Cn. Pisoni nupta, criminibus haud ignotis petita, sua manu, sera magis, quam immerita supplicia persoluit. *Tacitus lib.* 6. *Annalium.*

Granius Marcianus senator, à Graccho maiestatis postulatus, vim vitæ suæ intulit anno Christi tricesimo septimo, Tiberij Imperatoris vicesimo primo. *Tacitus loco citato.*

Nec dispares Trebelliani, Rufi, & Sextij Paconiani exitus: nam Trebellianus propriâ dexterâ petiit; Paconianus verò in carcere strangulatus ob carmina in principem factitata. *Tacitus ibidem.*

Vibulenus Agrippa eques Romanus, perorantibus accu-

ſatoribus in ipſa curia, depromptum è ſinu venenum hauſit, prolapſuſque, ac moribundus feſtinatis lictorum manibus raptus eſt, fauceſque iam exanimes laqueo vexatæ, anno Chriſti tricesimo octauo, Tiberij Imperatoris viceſimo ſecundo. Nec Tigranes quidem Armeniâ potitus, tunc verò reus regio nomine, ciuium ſupplicia eodem tempore effugit, *vt teſtatur Tacitus lib. 6. Annalium.*

Æmilia Lepida, quam iuueni Druſo nuptam retuli, crebris criminibus maritum inſecuta, quamquam inteſtabilis, tamen impunita agebat, dum ſuperfuit pater Lepidus; poſtea verò à delatoribus, ob ſeruum adulterum correpta, omiſſa defenſione, finem vitæ ſuæ poſuit. *Tacitus ibidem.*

Agrippa, filius Ariſtobuli, & Herodis ſenioris nepos, aliquando verſatus Romæ in officiis Druſi, & Caij, nepotum principis, delatione Eutichi liberti, quòd mortem Tiberio, & Imperium Caio precatus fuiſſet, in vincula conijcitur anno Chriſti tricesimo octauo, Tiberij viceſimo ſecundo. *Ioſephus lib. 18. antiquitatum.*

Pilatus Iudeæ procurator eodem Chriſti anno tricesimo octauo accuſatur apud Vitellium, Syriæ præſidem, crudelitatis maximæ, & patratæ cædis in Samaritanos, quare ei amoto, miſſoque Romam ſubrogatur Marcellus, ſed antequam reus vrbem perueniſſet, obijt Tiberius. *Ioſephus loco citato.*

Herodes Antipas Galilææ Tetrarcha cum Herodiade vxore Romam ad Caium Imperatorem adnauigat, anno Chriſti quadrageſimo, Caij ſecundo, vt ſibi principem demereri poſſet, regioque ornari nomine. Verum cum ipſius nepos Agrippa id reſciuiſſet, Romam & ipſe libertum miſit cum litteris, quibus patruum apud Cæſarem inſimulabat initæ cum Artabano Parthorum Rege, neceſſitudinis, quo cum occulto conſilia agitaret, & armamentarium ad hæc tantâ armorum copiâ refferciſſet, quæ armandis ſeptuaginta militum millibus ſat eſſet. Appulere ſimul Puteolos, (vbi tunc erat Imperator) Herodes, & Agrippæ legatus, à quo cum litteras accepiſſet Caius, his perlectis, interrogauit Herodem, vera ne eſſent quæ de armorum copia ſcribebantur? negare non audentem quaſi de proditione conuictum, Lugdunum in Galliam ablegauit, ip-

ſiuſque Tetrarchiam Agrippæ adiunxit. Cùm verò in Herodiadem mitiùs agere decreuiſſet, eo quod Agrippæ eſſet ſoror, donatâ pecuniâ, in Idumæam remittere voluit; abnuit illa, calamitatem viri potius, quàm fratris gloriam ferre parata; neque enim, inquiebat, æquum eſt, vt cui ſecundæ fortunæ extiti ſocia, eum in aduerſa deſeram. *Ioſephus lib. 18. antiquitatum.*

OBITVS ILLVSTRES.

Liuia Druſilla, ſeu Iulia Auguſta Imperatrix, Octauiani Auguſti Cæſaris vidua, Tiberij Imperatoris mater, nobilitatis clariſſimæ ob Claudiam familiam, à qua cognomen Druſillæ acceperat, & Liuiorum, Iuliorumque adoptione, vnde & Liuiæ nomen, & Iuliæ ſortita fuerat, ſuptemum diem clauſit, ætatis anno octogeſimo ſexto, Chriſti triceſimo primo, Tiberij principis decimo quinto. Hæc nupſerat primò Tiberio Neroni, ex quo Tiberium habuerat; dein Auguſto Cæſari, qui formæ cupidine tactus, eam marito abſtulerat, incertum an inuitam, adeóque properus, vt ne ſpatio quidem dato ad enitendum Druſum filium ſuum vltimum, (neque enim vllam poſt ſobolem peperit) penatibus ſuis grauidam induxerit. *Suetonius, & Tacitus.*

Caſſius Seuerus orator clariſſimus viceſimo quinto exilij ſui anno, Chriſti vero triceſimo tertio, Tiberij decimo ſeptimo moritur. *Euſebius in Chronico.*

L. Piſo, de quo ſupra, obijt anno ætatis octogeſimo, Chriſti triceſimo quarto, Tiberij decimo octauo; Vetruſius item Ægypti præfectus. *Tacitus lib. 6. Annalium, & Dio lib. 58.* Adde Agrippinam, eiuſque filium Druſum, fame ſub idem tempus perijſſe.

Ælius, cui genus decorum, & viuida ſenectus; & Lepidus Æmilianâ ſtirpe ortus, vixere anno Chriſti triceſimo quarto, Tiberij Imperatoris decimo nono; Nerua verò diuini, humanique iuris peritiſſimus inediâ voluntariâ vitæ ſuæ finem impoſuit. *Tacitus loco citato.*

Pomponius Labeo qui Mœſiæ præfuerat, per abruptas venas

ſanguinem fundens, vltro extinguitur, anno Chriſti tricesimo ſexto, Tiberij Imperatoris viceſimo. *Tacitus ibidem.*

Philippus Herodis filius Ituraæ, & Traconitidis Tetrarcha cùm regnaſſet annos triginta octo, è vita ſine liberis abripitur eodem Chriſti anno, ea propter illius Tetrarchia Syriæ adiuncta fuit. *Ioſephus lib.* 18. *antiquitatum, & Origenes.*

Caïphas vitæ pertæſus mortem ſibi maturauit, anno Chriſti tricesimo ſeptimo, Tiberij viceſimo primo, vt habemus ex Clemente Romano *Conſtitut. Apoſt.* 8. Male etiam deſiit hoc tempore Anna, teſte Nicephoro; Poppæus inſuper Sabinus qui maximis prouinciis, viginti quatuor annorum ſpatio impoſitus fuerat, vita functus eſt. *Tacitus lib.* 6. *Annalium.*

Tiberius Druſi filius, & nepos Tiberij Imperatoris iam defuncti, ex cuius teſtamento Imperij collega nominatus fuerat, Caij Cæſaris iuſſu interficitur anno Chriſti quadrageſimo. Macro item, cuius ope princeps Imperium obtinuerat, eodem vitæ exitu periit, vnà cum Ptolomæo, regis Iubæ filio. *Dio.*

Druſilla Germanici filia, Caij Cæſaris ſoror, & M. Lepidi vxor, fatis conceſſit eodem anno Chriſti. Marcus verò Sylanus Imperatoris ſocer, manus ſibi intulit, *Auctor citatus.*

FVNERA.

Iuliæ Auguſtæ præter funus publicum, variis pro more ſolemni ornatum imaginibus, ſenatus luctum in totum annum tricesimum primum indixit, eique inſuper, quod nulli vnquam mulieri conceſſum fuerat, arcum decreuit; Tiberius tamen Imperator nec publicis, nec ſuis ſumptibus erigi paſſus eſt. *Dio lib.* 58.

Tiberij Imperatoris cadauer è villa Luculliana in Campania, vbi obierat, à militibus Romam publicè deportatum, funereque publico crematum fuit, anno Chriſti tricesimo nono. *Suetonius.*

Caius Imperator, Tiberio ampliſſimè funerato, & pro concione ab eo laudato, confeſtim Pandataviam inſulam, vbi matris Agrippinæ; dein Pontiam, vbi fratris Neronis reliquiæ

iacebant, tempestate etiam turbida, quo magis sua pietas elu-
ceret, festinauit, vtrisque conditas non minori scena, atque pompa, Romam deuexit, anno Christi tricesimo nono, tum duobus ferculis, Augusti Mausoleo intulit, inferiasque illis annua religione publicè constituit; in honorem verò Agrippinæ matris ludos Circenses quotannis celebrari voluit; in quorum pompa Carpentum duceretur sub ipsius nomine, quasi ferculum Deorum immortalium. Antoniæ demum auitæ, quidquid vnquam Liuia Augusta acceperat, senatusconsulto concessit. *Suetonius.*

Idem Cæsar Caligula, Drusillæ sororis funus regiâ pompâ, vnà cum prætorianis militibus, & equestri ordine prosecutus est, anno Christi quadragesimo. Pueri circa tumulum, Troiæ decursione obequitarunt: illi decreta sunt omnia quæ Liuiæ; immo vt immortalis haberetur, eius effigies in curia collocaretur, ac templum peculiare illi extrueretur; Hinc factum, vt Panthea sit dicta, ac diuinis honoribus religiosissimè culta. *Dio lib. 69.*

DECAS QVINTA.

CAII CALIGVLÆ IMPERATORIS Gesta & Obitus.

Mandauit Petronio Syriæ præsidi, anno Christi quadragesimo primo, principatus tertio, vt ingentem statuam, ab omnibus summis honoribus colendam, in sacro Hierosolymorum templo collocaret; anno tamen sequenti, Agrippæ Regis precibus exoratus fuit, ne huiusce colossi dedicatio fieret. *Iosephus lib. 18. antiquitatum, Dio lib. 59. & Suetonius.*

Reuersus è Campania ad Drusillæ sororis natalitia celebranda, effigiem illius, Elephantis impositam, bigis in theatrum inuexit. Spectacula biduo continenti exhibuit: priori quidem die, equestria certamina, in quibus quadraginta vrsæ necatæ; posteriore verò totidem feræ Africanæ, epulumque populo, senatoribus, eorumque vxoribus datum. Edidit insuper ludos

ludos Circenſes, interiecta modò Africanorum venatione, modo Troiæ decurſione; quoſdam ac præcipuos minio, & chryſocolla conſtrato circo, nec vllis niſi ex ſenatorio ordine aurigantibus. Equum incitatum proprio nomine appellatum, ad cænam adhibuit, & in aureum hordeum appoſuit; in poculis aureis vinum ei propinauit; in ſalutem ipſius iurauit, conſulemque illum ſe creaturum pollicitus, ſed inexpectata mors conſilium fregit. *Dio, Suetonius & alij.*

Nouum & inauditum ſpectaculi genus excogitauit ſub idem tempus, cùm extructo ponte à Baijs ad Puteolanos vſque montes, per eum vltro citroque commeauit biduo continenti. Primo die, equo phalerato, & corona quernea inſignis, ſecuri, & gladio, aureaque chlamide; Poſtridie quadrigario habitu, curriculoque famoſorum equorum, Darium ex Parthorum obſidibus præſeferens, comitante prætorianorum agmine, & in eſſedis cohorte amicorum. *Dio loco citato, Suetonius, & alij.*

Multos illuſtres viros, deformatos priùs ſtygmatum notis, & ad metalla, vel ad viarum munitiones, vel ad beſtias condemnauit, vel caueâ coërcuit; vel medios ſerrâ diſſecauit, feris ſenio confectis ſubiecit; horreis proclusis, famem vrbi intulit; Vetera familiarum inſignia nobiliſſimo cuique ademit; torquem Torquato; crinem Cincinnato, Magni cognomen Cneo Pompeio, ſtirpis antiquæ. *Suetonius.*

Galliam petiit eodem Chriſti anno quadrageſimo primo, principatus tertio; vbi Lugduni ludos miſcillos (à confuſis conſeſſibus, quod in iis ſedendi ordo nullus eſſet, ita dictos) exhibuit; Certamen prætereà græcæ, latinæque linguæ inſtituit, quo victi victoribus præmia largirentur, eorumque laudes ſcriberent; qui verò diſplicuiſſent, ſcripta vel ſpongiâ, vel linguâ delerent, niſi ferulis obiurgari, vel flumine mergi maluiſſent. Pugiones tres Romam Marti vltori ſacrandos miſit; Sorores ſuas, quòd cum eo coijſſent, in Pontias inſulas relegauit; Exturbata Paulina vxore, vt ſterili, Miloniam Cæſoniam, coniugem C. Memmij Reguli, adulterio ſibi cognitam, & iam ita grauidam, vt decimo tertio die pater factus fuerit, matrimonio ſibi coniunxit; filiam, quam Cæſo-

nia habuit Iuliam Druſillam dictam, per omnia Deorum templa circumtulit, gremioque Mineruæ impoſuit, cui alendam, inſtituendamque commendauit. *Suetonius.*

Varia exhibuit ſpectacula, anno Chriſti quadrageſimo ſecundo, principatus quarto, eiuſque ſtatuæ, atque ſororis Druſillæ, dedicatæ, extructo ſibi templo, in quo aureum ſimulachrum collocarat, ſacerdotes inſtituit, ac victimas; ſingulis enim diebus immolabantur ei Phœnices, (ſi audiendi ſunt auctores) pauones, aliæque exquiſitiſſimæ hoſtiæ, ac magni pretij. Inter Caſtorem, & Pollucem adorandum ſe ſæpius exhibuit, plerumque fulmina vibrans, fuſcinam præferens, & caducæum, Deorum inſignia; Imò, & Veneris cultu ornatus prodibat aliquando veſtitu ſerico, & triumphali apparatu inter populum verſabatur. *Dio loco citato, & Suetonius.*

Coniuratione tandem Caſſij Chæreæ, & Cornelij Sabini, tribunorũ militum prætorianorum, ferro per obſcena adacto, in palatio occiditur Kalendis Februarij, anno ætatis ſuæ viceſimo nono, Imperij tertio, menſe decimo, & die decimo octauo, numerando à die obitus Tiberij, Chriſti denique quadrageſimo tertio. *Suetonius, & Dio lib. 59. ſub finem.*

ICON
CAII CALIGVLÆ IMPERATORIS.

CAIVS *Germanico, & Agrippinâ genitus, à calceis militaribus cognomento Caligula, annos tres, menses decem, & dies octodecim in Imperio sedit. Primis principatus sui annis, tam prudenter, ac moderatè rem Romanam gessit, vt nunc Pius, nunc pater exercitus, nunc castrorum filius, nunc optimus Cæsar dici meruerit; posteà verò eâ intemperantiâ Rempublicam rexit, quâ virum sanguinis humani sitientissimum; propinquorum interfectorem; coniugum, amicorum, & sororum etiam germanarum stupratorem esse oportuit; Hinc voces illæ feritatis indices, vtinam populus vnicam ceruicem haberet; quibus nihil dissonum fuit Tiberij Imperatoris de eo infante præsagium, nullam eo capitaliorem pestem surrexisse Imperio, cui nutricem serpentem, & Phaetonta educaret. In summa, id nefandis moribus euicit, vt bonus etiam haberetur, cui in principatu successerat Tiberius: quem ille, vel in hoc superauit, quòd in montium, valliumque æquationes, atque immania opera, totum illud vicies septies sestertiûm sibi relictum; hoc est septuaginta duos milliones, quingentos, & sexaginta vnum mille, & quingentos nummos aureos absumpserit; adorari se, ac Iouem Latialem vocari passus fuerit; sacerdotes sibi constituerit; victimasque, atque hostias expetierit; vir certè nulla re præterquam infami vitâ, & fœdo exitu nobilis; planeque à natura editus, inquit*

Seneca, vt oſtenderet quid ſumma vitia in ſumma potentia poſſent.

CLAVDII IMPERATORIS *Geſta.*

EXtincto Caio Caligula, Claudius à prætorianis militibus Imperator ſalutatus eſt, ſub finem Ianuarij, anni Chriſti quadrageſimi tertij, ætatis verò quinquageſimi. *Suetonius.*

Ipſo principatus initio penſiones à Caio Caligula inſtitutas remiſit; Agrippinam, & Iuliam Caij ſorores, ab exilio reuocauit, eiſque bona reſtituit; Druſo patri, & Antoniæ matri ludos equeſtres, eorum natalibus inſtituit; matri inſuper carpentum, quo per circum duceretur, conceſſit; auiam Liuiam, præter hunc honorem & currum elephantorum circenſi pompa cohoneſtatum, immortalitati aſſeruit; ipſius effigiem in templo dedicauit; rem ſacrãmei fieri à Veſtalibus curauit, mulieteſque per illius nomen iurare voluit. *Dio lib. 60. Suetonius, & alij.*

Edixit eodem primo Imperij ſui anno, ne quis ipſi ſacrificaret; acclamationes crebras, ac nimias prohibuit. Imaginem vnam argenteam, duaſque ſtatuas ex ære, & lapide ſibi decretas admiſit; Prætoribus mandauit ne munera gladiatoria darent; filiam Octauiam ex Meſſalina natam L. Iunio Silano in vxorem dedit; Antoninam verò ex Petina coniuge genitam, Cn. Pompeio, cui inſuper Magni nomen, quod Caius Cæſar ei abſtulerat, reſtituit; Vetuit ne quis ipſum heredem nominaret qui cognatos haberet; bona denique quæ Tiberio, ac Caio legata fuerant, iis qui ſuperſtites eſſent, vel liberis reddidit. *Dio lib. citato.*

Legem tulit ſub idem tempus, qua Circenſes ludos vnica die exhiberi voluit; Iudæorum conuentus prohibuit; reſtituit vrbibus ſtatuas, quas Caius ab iis abſtulerat; ſub eo ſemel tantum in circo cameli, & equi duodecim decertarunt; vrſæ vero trecentæ, & Africæ feræ trucidatæ ſunt; Senatores cum vxoribus, equiteſque, ac tribus epulo excepit; Mithridatem

Iberum, Armeniæ Regem, quem Caius Cæsar accersitum, regnoque fraudatum, in vincula coniecerat, domum cum pristina dignitate dimisit; Agrippæ regnum, cuius consiliis, atque fauore Imperium adeptus fuerat, confirmauit; Cui etiam adiecit Iudæam, & Samariam, *vt refert Iosephus lib. 19. antiquitatum.* Herodi, Regi Chalcidis, (quæ est vrbs in Syria) Agrippæ fratri, prætoria ornamenta largitus est. *Dio lib. 60.*

Druidarum ritus, qui in Gallia humanis litabant hostiis, penitùs aboleuit anno Christi quadragesimo quarto, principatus secundo. Mauritaniam Africæ regionem, subditam in duas diuisit partes. Tangitanam, scilicet extimam Mauritaniæ partem, à Tingi vrbe ab Antæo condita, nominatam; & Cæsariensem à Cæsare dictam; vtrique suum equitem præposuit, ac tres viros prætorios constituit, qui debita Reipublicæ exigerent, illisque lictores, atque alios ministros addidit, desæuiit item in multos magni nominis viros *Dio loco citato, & Suetonius.*

Sacrificia compluta, & festa, quibus totus annus fere consumebatur in veneratione Deorum celebrari solita, abrogauit, anno Christi quadragesimo quinto, principatus tertio. Sublatis omnibus Caij Caligulæ simulachris, nouo edicto sanciuit, vt numismata eiusdem Caij principis effigie signata conflarentur, vt qui statuas in templis habere peroptauerat, vt Deus, ne vt princeps quidem, haberet in foris. Horum tamen numismatum materiam Messalina Augusta in statuam Mnesthei, vel, vt alij volunt, Mnestheris histrionis, transfundi præcepit; Lycios insuper ad cædem quorundam ciuium Romanorum per tumultum progressos, in seruitutem redegit, & Pamphyliæ adiecit præfecturam. *Dio lib. 60.*

Triumphalia insignia non solum consularibus, qui in militia Britannica, sed etiam aliis senatoribus concessit, anno Christi quadragesimo sexto, principatus quarto. Præfecturas Italiæ extra Romam abrogauit; Iulij Cottij principatum auxit, Regemque appellauit; Rhodios verò, quia Romanos aliquos in crucem sustulerant, libertate priuauit. *Dio ibidem.*

Agrippa Iudæorum Rege defuncto eodem Christi anno quadragesimo sexto, principatus quarto, ius in templum, &

res ſacras Herodi fratri, Regi Chalcidis dedit; quo potitus ſummum pontificem ad libitum depoſuit, ſubſtituitque; & verò ſtatim pòſt ſummo pontificatu Mathiæ adempto, alium illi ſubrogauit; Agrippam autem iuniorem, qui tunc erat Romæ, filium Agrippę Regis iam demortui, non in proprium regnum dimiſit, cùm vix è pueritiâ egreſſus eſſet, ſed Cuſpium Fadum paulò pòſt illuc cum Imperio ablegauit. *Ioſephus lib.* 20. *antiquitatum.*

Pachorum Mediæ regionis Aſiæ, Tiridatem verò minoris Armeniæ Reges creauit anno Chriſti quadrageſimo octauo, principatus ſexto. *Ioſephus loco citato, & Zonaras.*

Ludos ſæculares (ita dictos quòd poſt centum annos fierent) anno quingenteſimo poſt vrbem conditam, quarto vero & ſexageſimo quàm Auguſtus ediderat, celebrauit anno Chriſti quadrageſimo nono, principatus ſeptimo; maximos ſub idem tempus honores Plancio largitus eſt, ob domitos Britannos; Cheruſcis Regem petentibus Italum impoſuit; Theatralem populi laſciuiam ſeueris decretis coërcuit, creditorumque ſæuitiam, ne in morte parentum, pecunias filiisfamiliarum fænori darent. *Dio lib.* 60. *Tacitus, Suetonius.*

Corbulonem, ob rem feliciter geſtam in Germania, magnis ornauit muneribus eodem Chriſti anno quadrageſimo nono. Retulit ad ſenatum ſuper Collegio Haruſpicum, (qui harugis, hoc eſt hoſtiis inſpectis, futura prædicebant) ne vetuſtiſſima Italiæ diſciplina per deſidiam exoleſceret; ſed viderent pontifices quæ retinenda, firmandaque. *Tacitus lib.* 11. *Annalium.*

Ludos Circenſes in circo maximo, quem primus omnium, Tarquinius Priſcus, quintus Romanorum Rex, inter Palatinum, & Auentinum montes extruxerat, marmoreis carceribus, auratiſque metis, exhibuit ſub idem tempus; Ludicrum item Troiæ, in quo Britannicus Imperatoris filius ex Meſſalina, & Domitius Agrippina natus, quem populus magnis excepit applauſibus, & acclamationibus. *Dio loco citato, Tacitus, & Suetonius.*

Cenſus, ipſius edicto, inſtitutus eſt anno Chriſti quinquageſimo, principatus octauo; & cenſa ſunt ciuium capita, ſe-

xaginta nouem centena, & sexaginta quatuor millia. Heduis populis Galliæ, Sequantis finitimis, quorum hodie loca Burgundiones occupant, senatorum ius in vrbe concessit, deditque illud federi antiquo; Gallos verò, quia soli fraternitatis nomen cum populo Romano vsurpabant, in numerum Patriciorum adsciuit; Thraciamque in formam prouinciæ redegit *Tacitus.*

Herode Rege Chalcidis, Agrippæ sororis fratre, vita functo, in illius Regnum Agrippam iuniorem, senioris filium euexit eodem Christi anno quinquagesimo. *Iosephus lib. 20. Antiquitatum & lib. 2. de bello.*

HEROES.

Sanguine, Gestis, & Politiâ.

Petronius in administratione, Syriæ regionis Asiæ Lucio Vitellio subrogatus fuit, anno Christi quadragesimo primo, Caij Cæsaris tertio, eique imperatum vt principis statuam in Hierosolymorum templo collocaret; verùm cùm illud, grauissimæ seditionis metu, præstare cunctaretur, ita Augusti animum in suam perniciem concitauit, vt sibi vim inferri iusserit, sed præsto fuit homini iusto Deus, qui Tyrannum, antequam aliquid grauius in eum strueret posset, è medio sustulit. *Iosephus lib. 18. Antiquitatum.*

Caluisius Sabinus, vir primarius inter senatores, Pannoniæ præerat eodem Christi anno; L. Piso, Cn. Pisonis filius, homo ditissimus, & plenus animi, Africam regebat. *Dio lib. 59.*

Lentulus Getulicus cùm aliis rebus illustris, tum maximè, ob administratam per decennium Germaniam. *Dio loco citato.*

Lepidus Drusillæ sororis Caij principis sponsus, cui Cæsar quinquennio antequàm leges permitterent, magistratus adire concessit, suique Imperij heredem facturum promisit. *Dio lib. 59.*

Iunius Silanus, triumphalibus ornamentis insignitus fuit ab Imperatore, cuius filiam Octauiam ex Messalina Augusta natam, matrimonio sibi iunxerat, anno Christi quadragesimo

tertio, Claudij Imperatoris primo. *Dio lib. 60.*

Cn. Pompeius Cæſaris gener, Claudij ſiquidem Imperatoris filiam alteram Antoninam, ex Pitina genitam, in vxorem duxerat eodem Chriſti anno quadrageſimo tertio. *Dio loco citato.*

Mithridates Iberus Armeniæ Rex è vinculis ſolutus principis fauore, Regnum ſuum repetiit. *Dio.*

Sulpitius Galba, vir ex magna, veterique proſapia ortus, ac bellicis laudibus clarus, moxque futurus Imperator. *Dio ibidem.*

P. Gabinius militarem aquilam, quæ ſola è clade Variana ſupererat, recuperauit eodem Chriſti anno quadrageſimo tertio. *Dio.*

Suetonius Paulinus vir prætorius, magnoque in pretio, Mauros rebellantes feliciter oppreſſit, anno Chriſti quadrageſimo quarto, Claudij Imperatoris ſecundo. *Dio lib. 60.*

Caius Appius Silanus principi carus Hiſpaniam adminiſtrat eodem Chriſti anno quadrageſimo quarto; Furius verò Camillus Scribonius vir nobiliſſimus, Romanoque Imperio dignus habitus, Dalmatiam, Illyrici regionem. *Dio loco citato.*

Cn. Sidius Gæta, cui ſummi honores decreti fuere ob præclara facinora, eodem Chriſti anno. *Dio ibidem.*

Lucius Vitellius duos conſulatus ordinarios habuit cum Claudio principe, cenſuramque geſſit, *teſte Suetonio.* Imo, & Imperij curam ſuſtinuit.

C. Quintilius Criſpinus, præfectus prætorij & conſul, anno Chriſti quadrageſimo ſexto, Claudij Imperatoris quarto: cuius meminit *Tacitus lib.* 11. *Annalium*, vbi aſſerit illum præturâ donatum fuiſſe ob Valerium Aſiaticum reum, ex Baijs in iudicium ab eo raptum, & in vrbem deductum.

Rubrius Pollio Cæſaris præfectus, cui imago, & ſedes inter ſenatores conceſſa fuit à principe, quoties eum in curiam comitaretur. *Dio lib. 60.*

Lacon Galliæ Rector, anno Chriſti quadrageſimo ſexto, Claudij Imperatoris quarto, conſulari dignitate auctus eſt. *Dio ibidem.*

Agrippa Ariſtobuli filius, Herodiſque nepos ac Iudæorum

Rex

Rex ludos sub idem tempus pro salute Imperatoris exhibuit Cæsareæ, quæ est ciuitas Palæstinæ, in littore maris magni, Turris Stratonis primò vocata, postea ab Herode, in honorem Cæsaris, nobiliùs extructa, Cæsarea dicta est, in qua idem Herodes Agrippæ auunculus marmoream domum in gloriam eiusdem principis ædificauit. *Iosephus lib. 19. Antiquitatum.*

Artabanus Parthorum Rex, è Regno pulsus breui restituitur; Longinus, Syriæ præses creatur, eodem Christi anno quadragesimo sexto; & Cuspius Fadus Iudææ, cui successit Tiberius Alexander. *Iosephus loco citato, & lib. 2. de bello.*

Italus qui erat Romæ, Cheruscis Germaniæ populis imponitur, anno Christi quadragesimo nono, Claudij Imperatoris septimo, ipsis petentibus: perierant enim per interna bella principes omnes ex stirpe regia orti, ex quibus vnicus iste superstes fuerat. Illi paternum genus à Flauio, fratre Arminij; Mater ex Catumera, Catorum Rege, *Tacito teste lib. 11. Annalium*, formâ decorus, & armis, atque equis exercitatus. Huius aduentus eò lætior accidit, quòd in omnes sine discrimine æque studiosus, ac popularis esset. Verùm paulò post illius potentiam suspectantes, qui factionibus floruerant, ad conterminos recepti populos, magnas copias in eum coëgerunt; sed hic vulgi gratiâ, & viribus fretus, ingenti inter Barbaros prælio victor rex fuit; verùm ex secunda fortuna intumescens, à superbiâ victus, ideóque pulsus, Longobardorum opibus refectus per læta, per aduersa in Cheruscorum res grassatus est.

C. Silius vir illustris, atque ad omnem pulchritudinem à natura effictus. Et verò in illius amorem Messalina Augusta ita exarserat eodem anno Christi quadragesimo nono, Claudij Cæsaris septimo, vt Iuliam Silanam nobilem fœminam, ex Silij matrimonio exturbarit, vacuoque adultero potita sit. *Tacitus loco citato.*

Curtius Rufus & amicorum largitione, & acri ingenio quæsturam, mox nobiles inter canditatos præturam, principis suffragio assecutus, Consulare Imperium, triumphi insignia, ac postremò Africam obtinuit eodem Christi anno quadragesimo nono. *Tacitus loco citato.*

appellaret, ſecumque natas, ac morituras litteras iactaret. *Euſebius in Chronico, & Volaterranus.*

Lucius Annæus Seneca Cordubenſis, Philoſophus Stoicus, & orator clariſſimus, Socionis Philoſophi diſcipulus; Cuius memoria tanta fuit, tamque tenax, vt duo nóminum millia, quo ordine fuerant dicta, referret, ducentoſque amplius verſus ſemel auditos, ab vltimo incipiens, ad primum vſque recitaret, *ipſo teſte in præfatione declamationum ſuarum;* Illum Romæ non ſolum prætorem, ſed & conſulem fuiſſe *aſſerit Vaſæus de rebus Hiſpaniæ:* Huius filius fuit Annæus Seneca, tragædiarum ſcriptor celeberrimus, Cordubenſis & ipſe, vt auctor eſt *Rodolphus Agricola, in Commentario præfationis declamationum Senecæ* Habuit & alios duos filios, Nouatum ſcilicet, & Melam, quem *Rhodolphus Agricola* Lucani patrem dixit. Ego autem Euſebium ſecutus, Melam Lucani Patrem, fratrem fuiſſe Senecæ aſſeram; duo ſiquidem fuere Senecæ fratres, Gallio, & Mela, *vt Conſtat ex Tacito.* Ceterum hæc nobis præclara ingenij ſui monumenta reliquit.

De beneficentià ad Ebucium Liberalem, Lugdunenſem, libros ſex; de inſtitutione vitæ ad Lucilium Balbum, Siciliæ præſidem, viginti duos; epiſtolas centum viginti quatuor. de diuina prouidentia, librum vnum; de paupertate vnum; de remediis fortuitorum, ad Gallioné, vnũ: de ira, ad Nouatũ, tres; de clementia, ad Neronem, duos; de vita beata, ad Gallionem fratrem, vnum; de tranquillitate, ad Serenum, duos; de breuitate vitæ, ad Paulinum, vnum; de conſolatione fratris, ad Polybium, vnum; de conſolatione, ad Albinam, ſeu Elbiam matrem, vnum; naturalium quæſtionum ſeptem; quorum primus agit de ignibus, de corona circa ſidera, & pareliis; de ſtellis micantibus, & ardoribus variis; de fulgoribus, quorũ facies breuis & caduca eſt; ſecundus de terra, aere, & eorum affinibus; tertius de aquis; quartus de niue, grandine, & pluuia; quintus de ventis, & aëris motu; ſextus de terræ motu; ſeptimus de Cometis; præterea declamationum libros decem; ſuaſoriarum, & controuerſiarum libros ſex, in quibus declamationes triginta quinque; de morte Claudij orationem ad Neronem; de moribus, librum vnum;

de artibus liberalibus, vnum; de matrimonio, vnum; De ludis Senecæ, vnum; de quatuor virtutibus moralibus, vnum; rhetoricorum vnum; multa denique prouerbia, *vt testantur Tritemius, D. Hieronymus, Philippus Bergomensis, & alij.*

Claudius Quirinalis rhetor, genere Arelatensis, ingenio illustri, doctrina singulari, & eloquentia mirabili: docuit Romæ, anno Christi quadragesimo quinto. *Eusebius in Chron.*

Marcus Antonius Liberalis rhetor celeberrimus, magnęque famę apud viros peritos; *Eusebius loco citato.*

Pomponius Mela, nobilissimus cosmographus, natione Hispanus, ex Mellaria Bæticæ oppido, libros tres edidit de situ orbis; *Ioachimus Vadianus.*

L. Iunius Moderatus Columella, Gaditanus genere, scripsit de re rustica libros tredecim. *Gesner. Vollaterranus.*

Clodius Turinus, vir eloquentissimus, natus patre splendidissimo in Hispania prouincia, dignitatis infulis ob insignem dicendi facultatem, & ingenij augustam maiestatem, ornatus, de quo fusè *Seneca Philosophus, in declamationibus.*

Asconius Pedianus, Patauinus, commentarios in aliquas Ciceronis orationes composuit, quos Poggius Florentinus in monasterio S. Galli, in Heluetia reperit. *Gesner.*

NATALITIA AVGVSTA.

M. Annæus Lucanus, poëta patre Lucio Annæo Mela, Senecæ philosophi fratre, matre verò C. Acilia, Ælij Lucani oratoris filia, natuș est Cordubę, tertio nonas nouembris, anni Christi quadragesimi primi, Caio Cæsare, & Lucio Cæsiano consulibus; ipsius cunas apes circumuolitasse, osque insedisse fama tenet, suauem, ac facundum poëtam futurum portendentes. Infans octomestris Romam delatus est, *teste Petro Crinito lib. de Poët. & alij.*

Caio Cęsare tertiùm consule, idibus Iuniis, anni Christi quadragesimi secundi, Caij Imperatoris quarti, Iulius Agricola in lucem prodiit, ex patre Iulio Gręcino, senatorij ordinis, matre verò Iulia Procilla, rarę castitatis fæmina. *Tacitus lib. 12. Annalium.*

Titus, Vespasiani filius, futurus Imperator diem salutat tertio Kalendas Ianuarij, anni Christi quadragesimi tertij, Claudij Imperatoris primi. *Suetonius.*

Claudius Imperator habuit, eodem Christi anno, Britannicum ex Messalina vxore. *Auctor citatus.*

OPERA PVBLICA.

Baiarum medium interuallum, Puteolanas ad moles, trium millium, & sexcentorum fere passuum, ponte coniunxit Caius Cæsar, anno Christi quadragesimo primo, principatus tertio, contractis vndique onerariis nauibus, & ordine duplici ad anchoram collectis, superiectoque aggere terreno, ac directo in Appiæ viæ formam. Hæc autem peregit, vel vt Xerxis æmulus haberetur, qui omnium admiratione, aliquanto angustiorem Hellespontum contabulauerat; vel vt Germaniam, atque Britanniam, quibus eminebat, immensi operis famâ territaret. *Dio 59. Suetonius.*

Porrò Baiæ ciuitas est Campaniæ, secus Campanum mare sita, amœnitate, & aquarum salubritate celeberrima, ita dicta à Baio Vlyssis socio, ibi sepulto; Puteoli verò maritimum eiusdem prouinciæ Campaniæ oppidum, octauo lapide à Neapoli distans, nec procul ab Auerno lacu, à Samiis, tempore quo Tarquinij Româ fuere exacti, conditũ; & à puteorum aquis calidis scatentium copia; siue à putore, hoc est graueolentia aquæ sulphuratæ, hocce nomen sortitum est.

Liburnicas item ex ligno cedrino fabricauit: nauigia intellige velocissima, gemmatis puppibus, versicoloribus velis; magna thermarum, porticuum, ac tricliniorum laxitate; nec minori varietate vitium, & pomiferarum arborum, in quibus discumbens de die, inter choros, & symphonias, littora Campaniæ peragraret. *Suetonius.*

In extructione Prætoriorum, hoc est ædificiorum, quæ in agris, magnis sumptibus extruuntur, magnificentissimus fuit; iactæ siquidem sunt, propriis illius impensis, moles infesto, ac profundo mari; excisæ rupes silicis durissimi; campi montibus aggere æquati, complanataque montium iuga, incredibili cele-

ritate, Syracusis insuper collapsa vetustate mœnia, ab eodem Imperatore, eodem Christi anno quadragesimo primo restaurata fuere, immo, & deorum ædes. *Suetonius.*

In monumentum victoriæ, quam retulerat princeps in Oceano, vt videre est in paragrapho rerum bellicarum, altissimam in littore maris erexit turrim, anno Christi quadragesimo secundo, principatus quarto; ex qua velut ex pharo altera, nauibus, ad regendos earum cursus, ignes continuo emicabant.

Claudius verò Cæsar permultas ciuitates per totum Romanum Imperium condidit, ac præsertim Calliopolim, vrbem in Thraciâ illustrem. *Philippus Bergomensis.* Adde portum Ostiensem ab eodem excitatum, anno Christi quadragesimo septimo, principatus quinto, circumducto dextro, sinistroque brachio, & ad introïtum, profundo iam solo, mole obiecta: quæ vt stabiliùs fundaretur, nauis quâ obeliscus ex Ægyptò fuerat aduectus, demersa fuit, congestisque pilis altissimam super imposuit turrim. *Suetonius, & Dio lib. 60.*

Agrippa Iudæorum Rex, eodem anno, theatrum, amphitheatrum, balnea, porticus, aliaque eximia opera Hierosolymis extruxit. *Philippus Bergomensis.*

Fontes aquarum ex Simbruinis collibus deducti sunt in vrbem, Claudij Cæsaris sumptibus, anno Christi quinquagesimo, principatus octauo. *Suetonius, & Dio loco citato.*

Arcum marmoreum, Tiberio decretum quidem à Senatu, verùm omissum erigi curauit Claudius Princeps, eodem anno, iuxtà Pompeij theatrum. *Suetonius.*

PRODIGIA.

Inter Theram Insulam, vnam ex Cycladibus in Aegeo, & Therasiam in mari Cretico, Insula triginta continens stadia emersit anno Christi quadragesimo septimo, Claudij Imperatoris quinto. *Eusebius in Chronico, Cassiodorus, & Orosius.*

CALAMITATES.

Vniuersus terrarum Orbis ingenti fame laborauit anno Christi quadragesimo quarto, Claudij Cæsaris secundo; quo tempore Princeps operam nauauit, ne vrbs in tanta caritate annonæ periret: ciuitas verò Hierosolymitana munificentiâ Helenæ Reginæ Adrebanorum, eiusque filij Izatij, subleuata fuit. *Iosephus lib. 20. Antiquitatum. Et Dio lib. 60.*

RES BELLICÆ.

Germanici populi Pannoniam, Mœsiam, & Galliam inuaserunt anno Christi quadragesimo primo, Caij Cæsaris tertio, *Dio lib. 60.*

Caius Caligula expeditionem suscepturus in Britanniam ad Oceanum proficiscitur anno Christi quadragesimo secundo, principatus quarto, vbi militibus in acie prope littus dispositis signum ex alto suggestu incruentæ pugnæ dedit, iussitque vt conchas legerent, galeasque, vt sinus replerent; spolia Oceani vocans, capitolio, palatioque debita, & pronuntiato militi donatiuo, centenis viritim denariis, quasi omne exemplum liberalitatis supergressus esset: abite, inquit, læti, abite locupletes. Idem in Germanos modò, modò in Britanniam maiorem arma intentans, longum confecit iter, penè nihil aggressus. *Suetonius.*

Bellum in Britanniam Insulam inchoatum est anno Christi quadragesimo quarto, Claudij Cæsaris secundo, quando Orcades Insulæ Oceani Septentrionalis vltra Britanniam, & Hyberniam, numero triginta, secundùm Pomponium, parùm inter se distantes, Romano Imperio accessere, *Eusebius in Chronico.* Huius autem belli origo fuit, quòd Britanni qui partem illam Insulæ occupabant, quam nunc Angli possident sub Rege Togodumno, seu Gundetico, pacem cum Romanis à tempore Iulij Cæsaris seruatam, violassent.

Vespasianus anno Christi quadragesimo octauo, Claudij Imperatoris sexto, strenuè se bello in Britannico gessit, magna

hostium strage, acceptis in potestatem suam viginti vrbibus, & Vecte, Insula Britanniæ, ad meridiem adiacente, fretoque ab ea admodum exiguo discreta, Hantoniæ portu, quem Ptolomæus magnum vocat, obiectu suo, aduersùs magnas tempestates muniente: hodie duo habet oppida. *Dio loco citato, & Suetonius.*

Parthorum res eodem anno, intestino dissidio turbatæ fuere. *Tacitus lib. 11. Annalium.*

Chauci populi morte Sanquinij Maximi, viri fortissimi, & arte militari peritissimi, inferiorem Germaniam incursarunt, duce Ganasco, qui natione Caninefas, auxiliaris, & diu meritus, pòst transfuga, leuibus nauigiis prædabundus Gallorum oram deuastabat. At Corbulo Prouinciam ingressus, magna cum cura exturbato Ganasco, legiones operum, & laboris ignaras, atque depopulationibus lætantes, veterem in morem reduxit. *Tacitus loco citato.*

TRIVMPHI.

Claudius Nero Imperator de Britanniæ parte, sine prælio, & sanguine subacta, anno Christi quadragesimo sexto, principatus quarto, magno cum apparatu triumphum egit, quem spectandi causâ, non solùm in vrbem commeare prouinciarum præsidibus, verùm & ipsis exulibus permisit. Naualem Coronam, seu rostratam, *vt vult Plinius:* (ita dictam, quod nauium rostris ex auro compositis ornaretur; darique soleret illi qui primus in hostium nauim irruisset:) parti sublimiori, atque eminentiori Cæsarum domus, iuxta ciuicam qua Imperatores donabantur, & in vestibulo appendebant, affixit, quasi domiti Oceani insigne. Ipsius currum Messalina carpento suo aureo subsecuta est, vnà cum iis qui triumphalibus ornamentis, in eo bello aucti fuerant. Cæteri pedibus, & in prætexta: Crassus autem, cuius cognomentum Feragi, equo phalerato, & in palmata. *Suetonius.*

REI INSIGNES.

Caij Cæsaris sorores Insulari exilio mulctantur, anno Christi quadragesimo primo, Caij Imperatoris tertio. *Tacitus lib. 11. Annalium.*

Valerius Asiaticus bis Consul, Messalinæ Claudij Principis vxoris dolo, & Vitellij, damnatus, interfectus est anno Christi quadragesimo octauo, Claudij Imperatoris sexto. *Tacitus loco citato.*

OBITVS ILLVSTRES.

Pilatus vir nequissimus in exilio propria manu sibi vim fecit, anno Christi quadragesimo primo, Caij Imperatoris tertio. *Ado in Chronico.*

Cæsonia, Caio Cæsare coniuge mortuo, Centurionis gladio confoditur, illius verò filia parieti illiditur, anno Christi quadragesimo tertio, Claudij Imperatoris primo. *Dio lib. 60.*

Agrippa Iudæorum Rex, cùm in theatro verba faceret ad populum, quà splendore vestis insolito, quà adulatione multitudinis Deum succlamantis, suprà humanum fastigium elatus, ira diuini numinis ab Angelo percussus, fœda vermium tabe conficitur, anno Christi quadragesimo sexto, Claudij Imperatoris quarto, cùm annos regnasset septem. *Iosephus li. 19. Antiquitatum.*

Artabanus Rex Parthorum moritur, anno Christi quadragesimo octauo, Claudij Imperatoris sexto. *Tacitus lib. 11. Annalium, Zonaras, & alij.*

Messalina in omnem proiecta libidinem, cùm se C. Silio equiti dedisset, ferrum frustra iugulo, ac pectori admouens, interfecta est cum adultero, anno Christi quinquagesimo, Claudij Imperatoris octauo. *Tacitus loco citato.*

FVNERA.

Caij Principis interfecti cadauer, clam in hortos Lamianos asportatum, & tumultuario rogo semiambustum, leui cespite obrutum fuit: postea verò à sororibus, ab exilio reuocatis crematum, sepultumque. *Suetonius.*

DECAS SEXTA.

CLAVDII IMPERATORIS.
Gesta & Obitus.

IVdæos atroci, seueroque decreto Româ expulit, anno Christi quinquagesimo primo, principatûs nono; *Orosius, Suetonius.*

Extincta Messalina, ex qua Octauiam habuerat & filium, quem primò Germanicum, mox Britannicum, ob subactos Britones cognominarat, omine haud quaquam meliori neptem Agrippinam, Germanici filiam, & Domitij Neronis ex Cn. Domitio Aenobarbo matrem, Pallantis liberti suasu, cum Senatus decreto, quo iustæ inter patruos, fratrumque filias nuptiæ in posterum haberentur, in matrimonium duxit. *Tacitus lib. 12. Annalium.*

Parthis Meherdatem petentibus in Regem, aduersus dominationem Gotatzis, nobilitati, totique plebi intolerandam, concessit eodem Christi anno. Galliæ insuper Narbonensi ob egregiam in Patres reuerentiam, permisit vt Senatoribus prouinciæ, non exquisitâ principis sententiâ, iure, quo Siciliæ, res suas reuisere liceret; Lex enim lata fuerat, ne cui Senatori principis iniussu abire vrbe ad septimum lapidem fas esset, exceptâ Siciliâ, & Galliâ Narbonensi. Ituræos denique, ac Iudæos defunctis Regibus Soëmo, & Agrippa, prouinciæ Syriæ addidit. *Tacitus loco iam citato.*

Agrippinam vxorem suam Augustæ nomine cohonestauit,

anno Christi quinquagesimo secundo, principatus decimo. *Tacitus ibidem.*

Certior factus quod Iunius Scribonius mortem principis per Mathematicos scrutatus fuisset, eos ex Italia eiecit anno Christi quinquagesimo quarto, principatus duodecimo; decreuitque insignia Prætoriana Pallanti. *Tacitus.*

Inter lacum Frucinum, amnémque Lyrim, quo magnificentia operis à pluribus viseretur, nauale prælium in ipso lacu exhibuit eodem Christi anno; structo, vt quondam Augustus, cis Tiberim stagno, sed leuibus remigiis, & minori copia; Centum tamen triremes, ac quadriremes, hominumque millia vndeviginti armauit; cincto ratibus ambitu, ne vaga forent effugia; spatium nihilominus amplexus ad vim remigij, & gubernantium artes, impetusque nauium prælio solitos; ripas, & colles, montiumque edita in modum theatri multitudo proximis è municipiis innumera compleuit; alij ex ipsa vrbe videndi cupidine, aut officio in principem; ipse vero insigni paludamento, nec procul Agrippina Imperatrix, aurata chlamyde præsedere. *Tacitus lib. 12. Annalium.*

Reddidit Rhodiis anno Christi quinquagesimo quinto, principatus decimo tertio, libertatem ademptam sæpè, aut firmatam, prout bellis externis meruerant, vel domi seditione deliquerant. Tributum Appamiensibus terrę motu conuulsis, in quinquennium remisit, imò etiam Byzantiis. Coloniæ verò Bononiensi igni haustæ, centies sestertij largitione subuenit; Cois item immunitatem concessit. *Tacitus loco citato.*

Valetudine aduersa correptus, refouendis viribus mollitie cœli, & salubritate aquarum Sinuessam se contulit anno Christi quinquagesimo sexto, principatus decimo quarto; oppidum *inquit Plinius lib. 3. c. 5.* noui Latij extremum, & cui proximæ sunt calidæ balneæ ad quasdam ægritudines accommodatissimæ. *Tacitus ibidem.*

Tertio tandem idus Octobris eiusdem anni Christi quinquagesimi sexti, ætatis suæ sexagesimi quarti, imperij autem decimi tertij, suprà menses octo, & dies viginti, Agrippinæ vxoris suę artibus, veneno è viuis sublatus est. *Tacitus lib. 12. Annalium, Suetonius, & alij.*

ICON.

CLaudius ex Druso Nerone, fratre Tiberij Imperatoris, & Antonia minore genitus, Liuiæ Augustæ nepos, & Caij Caligulæ patruus, Lugduni natus; Græcis, Latinisque litteris instructus, è latebris, in quas se metu mortis abdiderat, ad Imperium extractus, bonus magis, quàm sapiens princeps fuit; multa tranquillè, ac moderatè; quædam crudeliter, & insulsè, annis tredecim, supra menses octo, & dies viginti gessit; Censuram intermissam reuocauit; de Britannia triumphauit, filiumque suum Germanicum Britannici nomine auxit; Orcadas Insulas imperio adiecit; Senatum suppleuit: ea propter Senatus pater nominatus; in operibus, varijsque substructionibus immortalitatem nominis quæsiuit; Aquam Claudiam Romam induxit; in conuiuijs, spectaculis, ludis, muneribus, congiariis, splendidus, & in amicos effusus; libidinis in feminas summa; aliæ studiosus; naturâ sæuus, in Deorum tamen numerum post mortem relatus.

NERONIS IMPERATORIS Gesta.

POst obitum Claudij Imperatoris anno Christi quinquagesimo sexto, Domitius Nero, in familiam Claudiam à Principe adoptatus, in castra deducitur, vbi promisso, ad exemplum paternæ largitionis, donatiuo, quindenis nimirum viritim sestertiis, *teste Suetonio, vel vt vult Iosephus*, quinis millibus drachmarum, quæ sunt sestertia vicena, siue, nostra ætate, quingenti Philippæi, Imperator à militibus acclamatur annum agens decimum octauum, licet in viuis adhuc superstes esset Britannicus Cæsar, ex defuncto Claudio, & Messalina, natus. *Suetonius, & Dio lib.* 60.

Ipso principatus initio in Iudæos propensus, potestatem illis in vrbem redeundi fecit; Regem Agrippam quatuor ciuitatibus in Abilinâ, & Galilæâ donauit; reliquâ autem Iudæa, Felicem, qui eam à Claudio principe curandam acceperat. *Iosephus lib.* 20. *Antiquitatum, & lib.* 1. *de Bello.*

Ob res à Quadrato Vindicio, & Domitio Corbulone feliciter gestas in Armenia, laurum more solemni, quoties hostes fuerant debellati, fascibus Imperatoris addi iussit, anno Christi quinquagesimo sexto; sibique statuas aureas, vel argenteas erigendas prohibuit. *Tacitus lib.* 3. *Annalium sub finem.*

In amores Actæ libertæ dilabitur, fremente matre Agrippina, & Britannicum filium suum, ad imperium se euecturam minitante. Eapropter materna potentia infringitur anno Christi quinquagesimo septimo, principatus primo. *Tacitus loco citato.*

Pallantem Libertum à Claudio impositum velut arbitrum regni, rerum curis dimouit anno Christi quinquagesimo octauo, principatus secundo; tum ad omnem sæuitiam, atque libidinem, animum adhuc continentem, prostituit. *Tacitus ibidem.*

Petente Berillo Syro (olim pædagogo suo, tunc verò

Græcarum literarum Magiſtro) Iudæis Cefareæ habitantibus ius ciuitatis ſub idem tempus abrogauit; quod hactenus commune cum aliis habuerant. Vnde omnes Iudæorum calamitates enatas eſſe *docet Ioſephus lib.* 20. *Antiquitatum.*

Coloniam Capuam, & Nuceriam, Campaniæ vrbes, additis veteranis, firmauit anno Chriſti quinquageſimo nono, principatus tertio. Quadragenos nummos viritim dedit, & ſeſtertiûm quadringenties ærario. Vectigal quintæ, & viceſimæ venalium mancipiorum remiſit; Edixit inſuper ne quis magiſtratus, aut procurator, qui prouinciam obtineret, gladiatorum, vel ferarum ſpectacula ederet; ne ea de cauſa immenſam præſides vim pecuniarum corroderent. *Tacitus lib.* 13. *Annalium.*

Aurelio Cottæ, & Haterio Antonino annonam pecuniariam ſtatuit anno Chriſti ſexageſimo, principatus quarto, quamuis per luxum, auitas opes diſſipaſſent. *Tacitus loco citato.*

Poppęam Sabinam T. Ollio patre genitam, cui cuncta alia cumulatè fuere, præter honeſtum animum, deperit, meretriciis illius lenociniis deuinctus; Othonem autem illius maritum Luſitaniæ præfecit eodem Chriſti anno ſexageſimo. *Tacitus ibidem.*

HEROES.

Sanguine, Geſtis, & Politiâ.

Magnus Annęus Seneca, ab exilio reuocatus, & Præturâ donatus, Domitio Neroni principi præficitur, anno Chriſti quinquageſimo primo, Claudij Cęſaris nono. *Tacitus lib.* 12. *Annalium.*

Mithridates Boſphoranus magni Achemenis proles, & Cotyos frater, Romanorum hoſtis infenſiſſimus. *Tacitus loco citato.*

Meherdates, Parthorum Rex, à Claudio Cæſare contra Gotarzen, illorum principem creatur. *Tacitus ibidem.*

Vonones ſecundus Medorum Rector, Gotaze mortuo, imperio, breui tamen, & inglorio potitus eſt, anno Chriſti quinquageſimo primo; mox ſiquidem rerum ſumma in Vologeſen tranſlata eſt. *Tacitus.*

Izates Adiabenorum, & Abbarus Arabum Reges celeberrimi, magnique nominis. *Tacitus.*

Zorſines Sarracenorum Rex, (ita enim vocantur populi Caucaſum incolentes) Mithridatem, qui in Romanos arma verterat, penitus deſerit. *Tacitus.*

Eunones Adorſorum, hoc eſt, gentis inter Scythas commorantis princeps potentiſſimus.

Iunius Solon Ponti, Prouinciæ ſcilicet Aſiæ minoris, à Ponto Rege ſic cognominatæ procurator, Mithridatem, Italiæ hoſtem iam debellatum, Romam deduxit: eapropter conſularia inſignia illi decreta fuere.

Iulius Aquila, eques Romanus ſummis honoribus auctus eſt, eodem Chriſti anno quinquageſimo primo.

Caractacus, Silurum Rex ſpectariſſimus, bellique gloriâ illuſtriſſimus, ingenti famâ non tantum per inſulas Britannicas, proximaſque prouincias, ſed etiam per vniuerſam Italiam celebrabatur. *Tacitus lib.* 12. *Annalium.*

Publius Attilius Hiſtrus Pannoniam regebat, anno Chriſti quinquageſimo ſecundo, Claudij Cæſaris decimo. *Tacitus loco citato.*

P. Oſtorius Britanniæ proprætor triumphalibus infulis, ob victoriam de Caractaco Silurum Rege reportatam inſignitus fuit, eodem Chriſti anno. *Tacitus.*

Q. Pomponius ſuperioris Germanicæ legatus iiſdem inſignibus, ob rem proſpere geſtam, in eadem Prouincia cohoneſtatur.

Vannius Sueuorum illorum Rex, qui Maroboduum; & Catualdam principes, (vt ſupra attigimus) comitati fuerant, Regno expellitur.

A. Didius ſenectute grauis, & multa honorum copiâ clarus in locum Oſtorij legati in Britannia ſuffectus eſt, eodem Chriſti anno quinquageſimo ſecundo.

Venutius Britannorum dux præcipuus, ſcientiaque rei militaris celeberrimus.

Vinidius Quadratus, Syriam prouinciam adminiſtrabat, anno Chriſti quinquageſimo tertio, Claudij Cæſaris vndecimo; Iunius vero Gallio Senecæ frater, Achaiam,

Rhadamiſtus Phæræmonis Hyberorum Regis filius, vi corporis inſignis, patrias artes edoctus, illuſtrique inter accolas fama, Patruum ſuum Mithridatem, poſtquam in ipſius complexus ſe ſe effudiſſet, adieciſſerque iuſiurandum, non ferro, nec veneno vim illaturum, fedusque cum eo, regio more, iniiſſet, hoc eſt implicaris dextris, ac pollicibus inter ſe vinctis, nodoque conſtrictis, vnde ſanguis leui ictu elicitus lambebatur, crudeliter prodidit, compedibuſque adſtrinxit, tum humi afflictum, quaſi iuriſiurandi memor, non ferrum, non venenum deprompſit; ſed veſte mulra, grauique opertum extinxit eodem anno Chriſti quinquageſimo tertio; exeunte verò anno quinquageſimo ſeptimo, Neronis primo, Armeniæ ſolio deiectus fuit, profuguſque bellum deſeruit. *Tacitus lib. 12. Annalium.*

Statilius Taurus res Africæ Imperio proconſulari gerebat, anno Chriſti quinquageſimo quarto, Claudij Cæſaris duodecimo. *Tacitus loco citato.*

Frurius Scribonius Camilli filius, vir nobilitate, opibuſque illuſtris. *Tacitus.*

Pallas Claudij Imperatoris libertus, illique percarus: centies, quinquagies ſeſtertia, prætoriaque ornamenta ob fidem, pietatemque erga Parronos, ei decrera fuere. *Tacitus.*

Felix Samariæ procuratos Pallantis fratris porentiâ amplioti ditione à Cæſare donatus eſt. Iudææinſuper, Ventidio Cumano Romæ damnato, procurator conſtitutus fuit; Hanc tamen prouinciam, nonniſi biennio circiter obtinuir, nimirum ab anno ineunte decimo tertio Claudij principis, vſque ad primum Neronis, quo labente Porcius Feſtus eſt ei ſubrogatus. *Tacitus.*

Iunius Silanus Lucij Silani, qui Octauiam Claudij Imperatoris filiam in vxorem duxerat, frater, Aſiam prouinciam ſub initium principatus Neronis, anno Chriſti quinquageſimo ſexto regebar. *Tacitus lib. 13. Annalium.*

Corbulo bellica laude clarus, corpore inſignis, viribus magnificus, ac ſpe immanium rerum validus, Armeniæ præerat eodem Chriſti anno. *Tacitus loco citato.*

Annæus Serenus vir ſpectatiſſimus, Vigilum Neronis principis

cipis præfectus creatur, anno Christi quinquagesimo septimo, Neronis Cæsaris primo; C. verò Balbilius Ægypti prouinciæ curam suscepit. *Tacitus.*

Cornelius Sylla claritudine generis, & affinitate Claudij, vt pote qui per nuptias Antoniæ illi gener erat, magnæ erat potentiæ, atque auctoritatis in aula; Clodius Quirinalis natalibus clarus, remigum qui erant Rauennæ, rector eligitur.

Otho, qui Galbæ in Imperio successit, omnium consiliorum, ac secretorum particeps, Lusitaniæ Dux à Nerone principe constituitur, anno Christi sexagesimo, principatus quarto, vbi ad ciuilia vsque arma integrè, sanctéque egit, procax otij, atque potestatis temperantior.

Porro Lusitania tertia est pars Hispaniæ à Luso, & Lysa, Liberi patris comitibus dicta, qui illum bacchantes, in Hispaniam secuti sunt, vt tradit *Plinius lib. 3. c. 1.* Hodie Portugalliam appellant.

VIRI ERVDITI.

Iulius Pomponius secundus, inter Tragicos longè princeps; Hunc senes Pindarum Tragicum nitore, & elegantiâ præstare fatebantur; Cænam Claudio Imperatori dedit, in qua vinum centum & sexaginta annorum propinauit. *Volaterranus.*

Euax Arabum Rex, insignis Philosophus, medicus, Rhetor, inter cetera doctrinæ suæ opera, volumen mirabili rerum cognitione refertum ad Neronem Imperatorem scripsit; In eo siquidem non solùm herbarum, sed & lapidum species, nomina, colores, virtutes, imò & regiones, in quibus reperirentur, diligenter obseruauit. *Plinius lib. 25. Historiæ naturalis, & Philippus Bergomensis.*

Vectus Valens medicus græcus, Messalinæ, vxoris Claudij Imperatoris adulterio nobilitatus, eloquentiæ affectator, vt refert *Plinius lib. 19. Historiæ naturalis*, multam in eo principe nactus potentiam, Romæ in medicinis nouam sectam constituit, *Galeno teste lib. 1. de regimine sanitatum.* Scripsit librum de arte medica, in quo, cunctis Medicis, & Philosophis tam

Sangundinus latine reddidit. *Gesner. Suidas, Cassiodorus, & alij.*

Probus Berytus, Grammaticus eruditissimus habetur Romæ, anno Christi quinquagesimo nono; Neronis principis tertio. Parua quædam, & exigua de quibusdam minutis quæstiunculis edidit, nec mediocrem syluam Obseruationum sermonis antiqui, ac nonnullos tractatus de re Grammatica. *Philippus Bergomensis.*

Alexander Ægæus Philosophus Peripateticus, Neronis Cæsaris præceptor, vnà cum Chæremone etiam Philosopho. *Suidas.*

OPERA PVBLICA.

Templum Veneris Erycinæ, in Sicilia, Tyrrheni maris insula, à Thucydide Sicania dicta, ab aliis Trinacria, quod tria habeat promontoria, vetustate collapsum restitui curauit Claudius Cæsar, anno Christi quinquagesimo primo, principatus nono. *Tacitus lib. 12. Annalium.*

Amphitheatrum ligneum ab eodem principe, & eodem anno construitur in campo Martio. *Tacitus loco citato.*

Post Britanniam Imperio Romano adiectam, vrbis Pomeriũ auxit item Claudius Imperator, sub idem tempus, & hoc quidem more prisco, quo iis qui Imperium protulerant, vrbis etiam terminos propagare concederetur: vt patet ex lapide Claudiani æui, qui etiamnum extat Romæ. *Lipsius in lib. 13. Taciti.*

PRODIGIA.

Tres soles in cœlo visi anno Christi quinquagesimo primo, Claudij Cæsaris nono, mox in vnum coacti. *Eusebius in Chronico.* Horum tamen memor *Plinius asserit* illud contigisse anno Christi quinquagesimo tertio, Claudij principis vndecimo, cuius hæc sunt verba *lib. 2. c. 37. vidit nostra ætas Diuo Claudio Imperatore, Consulatu eius, & Cornelio Orfito Collega, tres soles, &c.*

Biformes hominum partus editi in Italia, anno Christi quinquagesimo sexto, Claudij Cæsaris decimo quarto, & fœtus Suis, cui Accipitrum vngues erant. *Tacitus lib. 12. Annalium.*

Ficus ruminalis quæ supra octingentos, ac triginta annos, *vt vult Lipsius*, Remi, Romulique infantiam texerat, mortuis ramalibus, & arescente trunco, diminuta anno Christi sexagesimo, Neronis Imperatoris quarto, prodigij loco habita est, donec in nouos fœtus reuiuisceret.

CALAMITATES.

Crebris terræ motibus euersæ domus Romæ, anno Christi quinquagesimo tertio, Claudij Cæsaris vndecimo; Frugum item egestas summa, neque enim amplius quàm quindecim dierum alimenta vrbi superetant; magnâ tamen Dei benignitate, & modestiâ hyemis, rebus externis subuentum est. *Tacitus lib. 12. Annalium, Suetonius, Orosius, & alij.*

Bononiensis Colonia fædo igne exhausta, & Apamienses magno terræ motu conuulsi fuere, anno Christi quinquagesimo quinto, Claudij Cæsaris decimo tertio. *Tacitus loco citato.*

Signa, & tentoria militum cælesti flamma deflagrarunt, anno Christi quinquagesimo sexto, Claudij Cæsatis decimo quarto. *Tacitus.*

Iouis, ac Mineruæ ædes de cælo tactæ, anno Christi quinquagesimo septimo, Neronis Imperatoris primo. *Tacitus lib. 13. Annalium.*

Iuhonum ciuitas in Germania magnis incendiis afflicta fuit, anno Christi sexagesimo; Neronis quarto; enati siquidem ignes è terra, villas, arua, & vicos passim corripiebant, ferebanturque in ipsa conditæ nuper Coloniæ mænia; neque extingui vllis imbribus, vel aquis fluuialibus poterant, donec inopiâ remedij, & irâ cladis, agrestes quidam ictu fustium, vt feras terruissent. *Tacitus loco citato.*

RES BELLICÆ.

Meherdates Parthorum Rex prælio congressus cum Gotarze principe, ab eo penitus profligatur, anno Christi quinquagesimo ptimo, Claudij Cæsaris nono, præcisisque auribus, tanquam alienigena, & Romanus, non verò de gente Arsa-

cis, viuere iussus est. *Tacitus lib. 12. Annalium.*

Mithridates Bosphoranus, Ponti Regnum, aduersùs Cotyn Regem & Romanos, recuperare tentat eodem Christi anno, sed conatu irrito. *Tacitus loco citato.*

In superiori Germania, anno Christi quinquagesimo secundo, Claudij Imperatoris decimo trepidatum est aduentu Cattorum latrocinia agitantium; Hi duce Pomponio legato cæsi sunt.

In Britannia eodem Christi anno, turbidæ res P. Ostorium Proprætorem excepere, effusis in agrum sociorum hostibus, eóque violentiùs quòd nouum ducem exercitu ignoto, & cæpta hyeme iturum obuiàm non rebantur; Is primò hostem deiecit, dein pugnâ superauit.

Post cladem ingentem Icenorum, Congi longè latéque vastantur; Brigantes populi Hyberniæ paucis interfectis, & sedatis discordiis, componuntur. Itum etiam eodem anno contra Silures, qui pertinaciter Romanis restitêre, accensi maximè illa voce Imperatoris, quæ identidem geminabatur, Silurum nomen penitus extinguendum. *Tacitus.*

Acerrimo prælio, sub idem tempus, Cataractus Rex Silurum debellatus est, eiusque vxor capta, & filia, fratresque; ipse verò cum fidem Cartismunduæ, vel Carthimunduæ, vt volunt alij, Brigantum Reginæ petiuisset, dolo vinctus, victoribus traditur; ad hocce insigne spectaculum populus vocatur, stetere in armis prætoriæ cohortes campo, qui castris præjacet, tunc incedentibus regiis clientelis, phaleræ, torques, & quæ externis bellis quæsierat, traducta sunt; Mox fratres, & coniux, filiaque, postremo ipse prodiit; Ceterorum preces degeneres fuerunt ex metu; Caractacus autem vbi tribunali adstitit, in hunc modum præfatus est. *Si quanta nobilitas, & fortuna mihi fuit, tanta rerum prosperarum moderatio fuisset, amicus potius in hanc vrbem, quàm captus venissem; neque dedignatus fuissem claris maioribus ortus, ac pluribus gentibus imperitans fœdera pacis accipere. Præsens fors mea, vt mihi informis, sic tibi magnifica est: habui equos, viros, arma, opes; quid mirum si hæc inuitus amisi? nam si vos omnibus imperare vultis, sequitur vt omnes seruitutem accipiant; si statim deditus traderer, nec mea fortuna, neque tua*

gloria inclaruisset, & supplicium mei obliuio sequeretur; At si incolumem seruaueris, æternum exemplar clementiæ ero. Ad hæc Cæsar veniam ipsique, & coniugi, & fratribus tribuit. *Tacitus lib. 12. Annalium.*

Bellum inter Armenos, Hyberosque exortum est anno Christi quinquagesimo tertio, Claudij Cæsaris vndecimo, quod Parthis, atque Romanis grauissimorum motuum causa fuit. *Tacitus loco citato.*

Vologeses Parthorum Rex Armeniam, quam à maioribus suis possessam, externus Rex Rhadamistus flagitio obtinuerat, inuasit eodem Christi anno: fratremque suum Tiridatem in Regnum deducere parauit, sine acie pulsi Hyberi; vrbes Armeniorum Artaxata, & Tigranocerta iugum accepere; dein atrox hyems, seu parum prouisi commeatus, & orta ex vtroque tabes perpellunt Volosegem omittere præsentia. Vacuam rursus Armeniam Rhadamistus occupauit, truculentior quàm anteà, tanquam aduersùs defectores & in tempore rebellaturos. Illi quamuis seruitio assueti patientiam abrumpunt, armisque Regiam circumueniunt, nec aliud Rhadamisto subsidium fuit, quàm pernicitas equorum. *Tacitus.*

Agrestium Cilicum nationes, quibus Clitorum cognomentum, sæpè alias commotæ, Trosobore duce, montes asperos castris cæpere, anno Christi quinquagesimo quarto, Claudij Imperatoris duodecimo: atque inde decursum in littora, & vim cultoribus, atque oppidanis inferebant, ac plerumque in mercatores, & nauicularios irruebant. Antiochus Rex illius oræ cum blandimentis aduersùs plebem, fraude verò in ducem, Barbarorum copias dissociasset, Trosobore, paucisque primoribus interfectis, ceteros clementiâ composuit. *Tacitus.*

Senescente anno Christi quinquagesimo sexto, Claudij Imperatoris decimo quarto, turbidis rumoribus prorupisse Parthos, & rursùs Armeniam captam fuisse acceptum est, pulso Hadamisto, qui ea sæpè potitus fuerat; sed breui illam deserere coacti fuere. *Tacitus.*

Agrestium Cilicum nationes, quibus Clitorum cognomentum, sæpè alias commotæ, Trosobore duce montes as-

peros castris cæpere, anno Christi quinquagesimo quatto, Claudij Impetatoris duodecimo, atque inde decursum in litrora, & vrbes, vim cultoribus, atque oppidanis inferebant, ac plerumque in mercatores, & nauiculatios itruebant. Antiochus Rex illius oræ, cùm blandimentis aduersus plebem, fraude verò in ducem, Barbarorum copias dissociasser, Trosobore, paucisque primoribus interfectis, cereros clementiâ composuit. *Tacitus.*

Senescente anno Christi quinquagesimo sexto, Claudij Imperatoris decimo quatto, turbidis rumoribus prorupisse Parthos, & rursùs Armeniam captam fuisse acceptum est, pulso Rhadamisto, qui ea sæpè potitus fuerat; sed breuì, illam deserere coacti fuere. *Tacitus.*

Discordia magna iterum exorta est cum Parthis, super Armeniam, anno Christi sexagesimo, Neronis quarto, ad quod bellum, prisca seueritate, militem suum Corbulo firmauit; tum in Armeniam irrumpit, castella inscindit, vrbem Attaxata capit, & incendit, Rege Tiridate Vologesis fratre, prælium suscipere, aut defensionem, nusquam auso. *Tacitus lib. 13. Annalium.*

In Germania eodem tempore, Frisij res mouent, & sedes iuxta Rhenum conantur figere: sed frustra; pulsi enim à Romano equite, & disiecti fuere; Eosdem agros Ansibatij occuparunt, sed eodem fato. *Tacitus ibidem.*

Hermunduri, Cattique inter se bellantur, sed magno prælio; Catti siquidem, ad exitium gentis suæ, pene cæsi fuere. *Tacitus.*

REI INSIGNES.

Lollia consularis Lollij filia, illustris fœmina, Agrippinæ artibus, quòd secum de matrimonio principis decertasset, publicatis bonis, Italiâ cedere cogitur, anno Christi quinquagesimo primo; Claudij Cæsaris nono: quinquagies tamen sestertiûm, ex opibus immensis, exuli summa relicta est. *Tacitus lib. 12. Annalium.*

Calpurnia nobilis fœmina, quod formam illius principis

dilaudasset nulla libidine, sed fortuito sermone, *inquit Tacitus*, Agrippinæ dolo damnatur *eodem Christi anno.*

Vitellius, præcipuus propugnator Agrippinæ, validissima gratia, ætate extrema (adeò incertæ sunt potentium res) accusatione corripitur, anno Christi quinquagesimo tertio, Claudij Cæsaris vndecimo, deferente Iunio Lupo senatore, qui crimina maiestatis, & cupidinem Imperij obiectabat. *Tacitus.*

Furius Scribonius in exilium agitur, anno Christi quinquagesimo quarto, Claudij Cæsaris duodecimo, quòd finem principis per Chaldæos scrutatus fuisset. Eidem crimini adnectitur Iunia eiusdem mater. *Tacitus.*

Ventidius Cumanus, Iudææ, atque Galilææ procurator, apud Quadratum Syriæ præsidem accusatus quòd flagitiosè, & crudeliter in ea prouincia versatus esset, exilio mulctatur eodem Christi anno.

Agrippina Neronis mater defertur anno Christi quinquagesimo octauo, Neronis Imperatoris secundo, sed absoluitur; Illius vero accusatores plectuntur. Quare Iulia Silana insigni genere, exilio punitur, vnà cum Caluisia. Adimetus verò ad supplicium trahitur. *Tacitus lib. 13. Annalium.*

Clodius Quirinalis postulatus quòd Italiam luxuriâ, sæuitiaque afflictasset, veneno damnationem anteuertit, eodem Christi anno. *Tacitus.*

Pomponia Græcina, insignis fœmina, superstitionis externæ rea, Plantij mariti iudicio permissa est. Hic prisco instituto, coràm propinquis, de capite, famaque coniugis cognouit, insontemque nuntiauit, anno Christi quinquagesimo nono. *Tacitus.*

Cossutianus Capito, quem Cilices maculosum fœdumque detulerant, peruicaci accusatione defensionem omisit, legeque repetundarum damnatus est, eodem Christi anno.

P. Suillus publicæ pecuniæ peculatu conuictus, dum prouinciam Asiam regeret, in Insulas Baleares pellitur, anno Christi sexagesimo; Neronis Imperat. quarto. *Tacitus lib. 13. Annalium.*

Cornelius Sylla accusatur insidias nocturnas struxisse principi

cipi, propè pontem Miluium, quo noctu ventiabat, cedere patriâ, & Massiliensium mœnibus coërceri iubetur eodem Christi anno. *Tacitus ibidem.*

OBITVS ILLVSTRES.

Gotarzes Parthorum Rex morbo obiit, anno Christi quinquagesimo primo, Claudij Cæsaris nono. *Tacitus lib. 12. Annalium.*

Lucius Sylanus abdicare se præturâ iussus, ante quartum Kalendas Ianuarij ineuntis, eiusdem Christi anni quinquagesimi primi, ipso die nuptiarum Claudij Imperatoris, & Agrippinæ, mori cogitur. *Tacitus loco citato.*

P. Ostorius tædio curarum fessus, vitâ functus est anno Christi quinquagesimo secundo, Claudij Cæsaris decimo, hostibus exultantibus, tanto duce sublato. *Tacitus.*

Mithridates Rex crudeliter à nepote suo Rhadamisto extinguitur, anno Christi quinquagesimo tertio, Claudij Cæsaris vndecimo. *Tacitus.*

Iunius Sylanus Asiæ proconsul, dolo Agrippinæ, veneno inter epulas dato, è viuis eripitur, anno Christi quinquagesimo sexto, Claudij Cæsaris decimo quarto. Eiusdem artibus, & eodem anno, Narcissus Claudij principis libertus, ad mortem actus est. *Tacitus.*

Britannicus Cæsar, Claudij Imperatoris filius ex Messalina natus, veneno periit, Neronis principis iussu, ipso imperij initio, anno Christi quinquagesimo septimo. *Tacitus lib. 13. Annalium.*

L. Volusius antiquâ ortus familiâ, fatis concessit, anno Christi quinquagesimo octauo, Neronis Imperatoris secundo. Illi tres, & nonaginta anni, spatium viuendi, perceptæque opes bonis artibus, & inoffensa tot Imperatorum malitia fuit. *Tacitus lib. 13. Annalium.*

Pontia moras nectens in nuptiis, ab Octauio, amoris impatientiâ ferro transfigitur, anno Christi tricesimo, Neronis quarto. *Tacitus.*

Rhadamistus Pharasmonis filius, quasi proditor eneca-

tur eodem Christi anno. *Tacitus.*

FVNERA.

Cæelestes honores Claudio Imperatori decernuntur, anno Christi quinquagesimo sexto, & funus solemne, perinde ac Diuo Augusto, celebratur, æmulante Agrippina proauiæ Liuiæ magnificentiam. Die funeris, ipsius laudes princeps exorsus est, politáque oratione antiquitatem generis, consulatus, & triumphos maiores, liberaliumque artium peritiam, doctè, atque eleganter recensuit. *Tacitus lib. 13. Annalium.*

Britannici Cæsaris, Claudij Imperatoris filij ex Messalina, funebris apparatus modicus fuit; in campo tamen Martio, sepultus est anno Christi quinquagesimo octauo, Neronis Imperatoris secundo, adeóque turbidis imbribus, vt vulgus Deûm irâ portendi crederet aduersus crudele facinus. *Tacitus loco citato.*

DECAS SEPTIMA.

NERONIS IMPERATORIS Gesta & Obitus.

CITHARA in cœna, quod Regibus, & antiquis ducibus factitatum memorabat, pulsauit, cecinitque anno Christi sexagesimo primo, principatus quinto. *Tacitus lib. 14. Annalium.*

In circo Vaticano currus rexit, tum ludos Iuuenales, qui priuatim domi, vel in hortis habebantur, instituit: Baijs, vbi mater interfecta fuerat, angusta trophæa erexit. Ludos item maximos in honorem matris edidit. Equites Romanos cognomento Augustanorum, ætate, roboreque conspicuos, ac ingenio procaces, quique die, noctuque illum, vnicum orbis genium, ingeniumque, magnificis verbis prædicabant conscripsit, eodem Christi anno sexagesimo primo, principatus quinto. Historiam insuper exhibuit, qua & viri, & feminæ apud nemus prostituebantur. *Tacitus lib. 14. Annalium, & Dio lib. 60.*

Quinquennale certamen (ita dictum quod singulis quinquenniis instauraretur, eo modo, quo Romanum lustrum) triplex, more Græco; musicum scilicet, gymnicum, & equestre Romæ instituit, anno Christi sexagesimo secundo, principatus sexto. Huic agoni consulares moderatores præposuit, ea sortitione, qua prætores spectaculis præesse consueuerant, vbi & orationis solutæ, & strictæ coronam, omnibus suffragantibus retulit. Citharam à iudicibus delatam adorauit, illamque ad Augusti statuam deferri iussit. Ex iis collige certamen musicum non minus ad poëtas, & oratores referendum, quàm ad citharistas. *Tacitus loco citato.*

Gymnicum certamen, in quo nudati corpora exercebant in septis, quæ erant in Campo Martio, exhibuit eodem

Christi anno, primamque barbam in solemni illo sacrificij apparatu, prisco ritu deposuit, eamque in aurea pixide pretiosissimis ornata margaritis, Ioui Capitolino consecrauit. Tigranem item Armeniæ Regem creauit sub idem tempus, Puteolisque, veteri in Italia oppido, coloniæ ius, & cognomentum dedit. *Tacitus, Suetonius & Dio lib. 63.*

Senecam comiter dimisit, anno Christi sexagesimo tertio, principatus septimo; pulsâque tanquam sterili, Octauiâ, Poppæam induxit; verùm, populari ortâ seditione, eandem reuocauit. Exhibuit insuper ad ferrum, hoc est ad pugnam gladiatoriam, quadringentos senatores, sexcentosque equites Romanos, & quosdam fortunæ, atque existimationis integræ ex iisdem ordinibus, confectoresque ferarum, & ad varia arenæ ministeria. *Suetonius.*

Aquâ in theatrum deductâ, innantibus belluis, crocodilis scilicet, & hippopotamis nauale bellum confecit, anno Christi sexagesimo tertio; Tum Pirrichias quasdam edidit, & spectaculum, quo Icarius volatus repræsentabatur; Icarus primo conatu, iuxta cubiculum decidit, cruoréque suo illum aspersit; cænam denique lautissimam præbuit. *Dio & Suetonius.*

Nationes Alpium maritimarum in ius Latij transtulit, anno Christi sexagesimo quinto, principatus nono. Equitum Romanorum locos sedilibus plebis in circo antepoſuit; ad illum enim vsque diem, indiscreti inibant, cùm lex Roscia nihil nisi de quatuordecim ordinibus sanxisset. *Tacitus loco citato.*

Acriori cupidine scenas frequentandi tactus, (Iuuenales namque ludos, vt parùm celebres, & voci suæ angustos, spernebat) non ausus Romæ, in Græciam traiecit, anno Christi sexagesimo sexto, principatus decimo, venitque Neapolim Campaniæ ciuitatem, à Calcidensibus conditam, sperans fore, vt transgressus in Achaiam, & sacras coronas adeptus, maiori famâ, ciuium studium eliceret. *Tacitus lib. 14. Annalium.*

Vrbem reuisit eodem Christi anno sexagesimo sexto, dumque meditaretur iter in Ægyptum, mutato proposito, Romæ

ſubſtitit, conuiuiis, ac luxui inſeruiens. Sub idem tempus Pythagoræ nupſit; Ciuitatem incendit; in Aſiam, & Achaiam miſit, qui non tantum dona, ſed etiam deorum ſimulachra abriperent; Italiam inſuper, & prouincias penitùs exhauſit. *Tacitus lib. 15. Annalium.*

Coniurationem Piſonis in ſe factam accepit anno Chriſti ſexageſimo ſeptimo, principatus vndecimo; quo tempore multi ſenatores, & equites, fœminæ, ac milites cæſi ſunt; Multi exilio damnati; multi propriâ manu extincti; Adulatoribus conſularia largitus eſt inſignia; In Africam, qui Didonis theſaurum effoderent, miſit; Ipſi vero Romæ quinquennale ludicrum ſecundo luſtro celebrans, ſua recitauit carmina, coronamque obtinuit. *Tacitus lib. citato.*

Cladem Lugdunenſem eodem Chriſti anno ſolatus eſt; interfecto Veſtino: vxorem Statiliam Meſſalinam duxit, poſt occiſam Poppæam. Ponti regnum, concedente Polœmone, & Cottias Alpes, duodecim olim ciuitatibus inſignes, Cottio rege extincto, in formam prouinciæ redegit. *Euſebius in Chronico, Aurelius, Suetonius, & Tacitus.*

Forum petiit veſte triumphali ornatus, magnaque purpuratorum patrum, atque prætorianorum militum multitudine ſtipatus; Tum roſtra, ſeu tribunal conſcendens, inter ſigna militaria, atque vexilla, Tiridatem, Arſacis nepotem, & Vologeſis, ac Pachori regum fratrem, regem Armeniæ coronauit, anno Chriſti ſexageſimo octauo, principatus duodecimo; ſenatuſque decreto, ludos theatrales aperuit, in quibus auguſta omnia, tantoque auri ſplendore rutilantia, vt dies ille aureus fuerit appellatus. *Teſte Dione lib. 63.*

Incredibili ſtudio magiæ incumbens eodem Chriſti anno, non modò circulatores, artes ſuas ſponte offerentes excepit, ſed ab extremis orbis partibus exquiſiuit. Quare meritò *Plinius lib. 30. c. 2. Hiſtoriæ naturalis*, aſſerit, Neronem, ea ætate, omnis magiæ generis principem fuiſſe, neminemque vnquam vlli artium validiùs fauiſſe, neque Diis ipſis imperare tam ardenter exoptaſſe. *Suetonius.*

In Achaiam eodem anno profectus eſt ad Iſthmi Peloponnenſis foſſionem, vbi prætorianos pro concione ad opus

adhortatus, tubâque signo daro primus rastello humum effodit, & corbulo congestam humeris extulit. Verùm cum irritum conatum expertus fuisset, Olympicis ludis, non spectator modò, sed actor esse voluit. Quare Ceryras omnes, hoc est præcones, & caduceatores, & cytharistas, & aurigas longè superans, meritas coronas homo leuis adeptus est. *Eusebius in Chronico.* Cùm autem se à magis, sed serò delusum agnouisset, atroci edicto Philosophos, quia magicæ artis affines credebat, procul exegit; Ceterum, Sporum Iuuenem spadonem (quem in fœminam exsecandum curauerat) publico, maximoque nuptiarum apparatu duxit sub idem tempus. *Dio lib. 93.*

Ex Achaia, seu Græcia rediens, anno Christi sexagesimo nono, principatus decimo tertio, vrbem ingressus est eo curru, quo olim Augustus tot triumphos egerat; & in veste purpureâ, distinctáque stellis chlamyde, oleastro Olympiaco coronatus, dextraque laurum præferens, regiâ præcedenre pompâ, in qua coronæ omnes quas retulerat, deferebantur, cum titulis indicantibus, vbi, & quos, quóve cantionum, vel fabularum argumento, vicisset, sequentibus currum (in quo vnà cum eo Diodorus citharœdus vehebatur) ouantium ritu plausoribus; dein diruto circi maximi arcu, Capitolium conscendit: Mox in Palatium venit, incedenti plurimæ cæsæ victimæ, sparsus per vias identidem crocus, ingestæque aues, ac lemnisci, & bellaria; sacras coronas in cubili circum lectos apposuit; statuæ item citharœdo habitu induit, quâ notâ nummum etiam percussit. His peractis circenses aperuit ludos, omnesque coronas, mille nimirum quingentas, & octo in circum detulit, easque Ægyptiaco obelisco imposuit: tum personatus prodiit, citharâ cecinit, tragædias egit, curruque certauit. *Dio lib. 63. & Suetonius.*

Omnium tandem mortalium odio laborans, postquam Gallicũ exercitum sub Iulio Vindice, Hispanicum vero sub Galba defecisse, Rubriumque Gallum, quem in rebelles miserat, rebellasse accepisset, seque à prætorianis milibus desertum esse agnouisset, viliori veste, ne agnosceretur, indutus, in Phaetontis Liberti prædium, Salariam viam inter, & No-

mentanam, ſe contulit, vbi in ſpelunca deliteſcens, cum ab equitibus ſe ad necem peti reſciuiſſet, ferrum iugulo admouit: verum cùm animam diutius traheret, Epaphroditus libertus illum confecit, quarto Idus Iunij, anni Chriſti ſeptuageſimi, die quo Octauiam olim coniugem interfecerat. *Dio, Suetonius, & alij.*

ICON

NERONIS IMPERATORIS

DOMITIVS *Nero, Cn. Domitij Ænobarbi, & Agrippinæ filius, à Claudio principe, malo suo, & orbis fato adoptatus, Imperium tenuit annis tredecim, mensibus septem, & diebus viginti octo. Ipso principatus exordio omnes tum liberalitate, tum comitate, ac beneuolentiâ deuicit, maximè vero clementia, ex qua, cum à Burrho, præfecto quorundam latronum supplicio subscribere vrgeretur, exclamauit, vtinam nescirem litteras! Ianum bis claudit; Prauos, fœdosque mores castigauit; legesque optimas edidit. Paulò pôst tamen, in tot probra, quibus gloriam suam penitùs deturpauit, veluti fera è cauea emissa, prorupit, vt Romanorum ne Imperator; an ex Galbæ confessione, totius orbis immane prodigium; vel fæx humani generis, ex Plinio; vel lutum sanguine maceratum, ex Cælio; aut ex perenni omnium voce, sæculi sui Thyestes, Almeon, Oedipus, Orestes, dici debeat, incertum sit. Verum affecta illi iusta tot nominum dedecora, quid iustiùs probet, quàm crudelitas, non parca materni sanguinis, non Octauiæ vxoris, non fratris Britannici, non præceptoris Senecæ, & Lucani familiaris, non bonorum penè omnium, quibus ipse, non alio nomine, quàm quod boni essent, publicum bellum indixerat; non propriæ patriæ, cuius incendio Troiæ ardentis imaginem ex turri Mecenatica spectare voluit, Ilij deflagrationem scenico habitu ad citharam per iocum decantans? Sporo iuueni, quem in fœminam arte exsecandum*

exſecandum curauerat, publicè nupſit. Hinc votum illud cuiuſpiam, O ſi talem vxorem, talis Imperatoris pater duxiſſet! Doriphorum libertum, pro marito ſuo, ipſe ſe mulierem fingens, accepit Agrippinam matrem, inceſtauit, vnguentis ſemper maduit, nullam veſtem bis induit, retibus aureis piſcatus eſt; nunquam carrucis minus mille, iter fecit, ſoleis mulorum argenteis; Arenam à Palatio ad Exquilias montem, quem Rex Tullus Hoſtilius vrbi adiunxerat, immenſo ædificio ornauit. Maieſtatis immemor, in ſcenam non Tragœdus modò, ſed vt citharœdus prodiit: vt vitæ, ſic & fortunarum ciuium omnium prodigus, quas tam intemperanter occupauit, quàm proprias inaniſſimè effudit. Britannia pene ipſe erepta; Armenia penitus à Parthis ablata; Regnum tamen Ponti Polæmoniaci, concedente Polæmone, vt Alpes Cottias, Cottio Rege defuncto, in formam prouinciæ redegit. Ceterum in tanto hocce monſtro, Cæſarum progenies, tot annis in Imperio continuata, tandem defecit.

SERVII SVLPITII GALBÆ IMPERATORIS Geſta.

EXtincto Nerone, Seruius Sulpicius Galba, antiquiſſimæ nobilitatis Senator, ab Hiſpanis, & Gallis, vniuerſoque exercitu, Imperator creatus, in Italiam maturauit: iter ingreſſus paludatus, atque ornamentis militaribus indutus, pendente è collo pugione ante pectus, nec priùs vſum togæ recuperauit, quam Nymphidium, & Sabinum, Romæ præfectos prætorij; Fonteium Capitonem in Germaniâ, & in Africa Clodium Macrum, legatos, res nouas molientes oppreſſiſſet. *Suetonius.*

Vix vni, aut alteri, nec niſi ad certum tempus ius trium liberorum conceſſit, quo, quis apud Romanos, immunis à pu-

blicis muneribus credebatur; quemadmodum Bononiæ decem puerorum patres, liberi ab hisce oneribus habebantur. Ceterum hoc ius ab Imperatoribus, muneris amplissimi loco, impetrabatur, vnde gloriatur Martialis, sibi à Domitiano concessum fuisse ius illud trium natorum. *Suetonius.*

Ciuitatem Romanam raro dedit; Claros aliquot viros ex vtroque ordine, senatorio nimirum, & equestri, suspicione aliqua leui, inauditos, contra legem, & maiorum consuetudinem, qui neminem, indictâ causâ, inauditumque condemnabant, *teste Egesippo*, morte mulctauit. *Suetonius.*

Iussit item eodem Christi anno, vt Iudices hieme, & Kalendis Ianuariis, contra solemnem morem, ab Imperatore Claudio constitutum, euocarentur ad iudicandum. *Suetonius.*

HEROES.

Sanguine, Gestis, & Politiâ.

CN. Domitius Corbulo, mortuo Vinidio Quadrato Syriæ Rectori subrogatus est, anno Christi sexagesimo secundo, Neronis sexto. *Tacitus lib. 14. Annalium.*

Rubellius Plautus, vir illustris, & ex Iulia familia, ab omnibus celebrabatur, immo & futurus Cæsar credebatur, eapropter, Nero Imperator illi auctor fuit vt cum Antistia coniuge, & familiaribus, in Asiam ad auitos agros proficisceretur. *Tacitus loco citato.*

Tigranes Archelai Cappadociæ quondam Regis nepos, Cæsaris iussu, Rex Armeniæ salutatur, eodem Christi anno. *Tacitus.*

Auitus felicibus armis in Britannia, magnum sibi nomen fecit; Huic Veranius successit anno Christi sexagesimo tertio, Neronis septimo, Britannis bellum illaturus, ni morte fuisset prohibitus. *Tacitus.*

Suetonius Paulinus in locum Veranij suffectus est, Britanniamque penè perditam, Romano Imperio restituit, eodem Christi anno. Anno verò sexagesimo octauo consulares assumpsit fasces. *Tacitus lib. 14. Annalium.*

Domitius Balbus, vir prætorius, opibus clarus, & longâ senectâ. *Tacitus.*

Petronius Turpilianus exconsul, Suetonio Paulino in Britannia successit, eodem Christi anno sexagesimo tertio. Is non lacessito hoste, neque irritato, pacis nomen segni otio imposuit, tum in odium principis dilapsus, testamentum moriturus conscripsit, quo omnia Neronis flagitia continebantur. *Tacitus.*

Marcellus, Asinio Pollione proauo insignis, nec moribus spernendus, nisi quòd paupertatem, præcipuum malorum crederet. *Tacitus.*

Frennius Rufus, & Tigellinus, Burro sublato, præfecturâ prætorij donati sunt, anno Christi sexagesimo quarto, Neronis Imperatoris octauo. *Tacitus.*

Plautius Lateranus, vir magnæ auctoritatis, nobilem illam in Cælio monte basilicam habuit, quæ postea in vsum cessit Christiane, & in primatiam conuersa est Ecclesiam, eo nomine dictam Lateranensem. *Baronius.*

Memmius Regulus vir consularis, constantiâ, famâ, generis claritudine celebris, & Imperio dignus habitus ab ipso Nerone principe. *Tacitus lib.* 14: *Annalium.*

Cestius Gallus, Syriæ Rector constituitur, anno Christi sexagesimo sexto, Neronis Imperatoris decimo; Gessius verò Florus Iudææ procurator. *Tacitus loco citato.*

Helius Cæsarianus tantam habuit potestatem, vt inconsulto Nerone Imperatore, bona proscriberet, in exilium mitteret, & non solum plebeios, sed etiam equestris, senatoriique ordinis viros morte mulctaret. *Tacitus ibidem.*

Tiridates Arsacis nepos, & Vologesis, ac Pachori Regum frater, ætate, forma, nobilitate, & prudentia insignis, magno famulorum comitatu, & apparatu regio, Romam petiit, vbi ab Imperatore Rex Armeniæ Salutatur, anno Christi sexagesimo octauo, Neronis Imperatoris duodecimo. *Tacitus lib.* 15. *Annalium. Suetonius & Dio.*

Iulius Vindex natione Gallus, è stirpe regia ordinis senatorij, vir magna prudentia præditus, reique militaris peritus, & ad omne præclarum facinus audax, Galliæ præest. Galba

futurus Imperator Tarraconensi prouinciæ Lusitanæ, & Rufus Germaniæ. Clodius vero Macer Africæ præfecturâ donatur, & Amphidius Solinus prætorij dignitate, Romæ potitur. *Tacitus loco citato.*

Vespasianus dux celeberrimus in Syriam mittitur, anno Christi sexagesimo nono, Neronis Imperatoris decimo tertio, Cestio Gallo, vel fato, vel tædio è viuis erepto. *Tacitus ibidem.*

Titus Vespasiani filius patris iussu Alexandriam petit, vt inde legiones deducat. *Iosephus lib. 3. de excidio.*

Silius Italicus, vir ingenio illustri, & de quo fusiùs in sequenti decade, consulatum iniit, anno Christi septuagesimo, Neronis Imperatoris decimo quarto. *Cuspinianus.*

VIRI ERVDITI.

Annæus Cornutus, Lepti, in vrbe Africæ natus, Philosophus, & poëta Tragicus, Aulij Persij præceptor & commentator, immo etiam, & ipsius bibliothecæ emptor (hanc siquidem ab eius sororibus, quas heredes constituerat, pretio magno, comparauit) claruit hoc tempore Romæ, multaque philosophica, & oratoria nobis reliquit; illius breuis enumeratio, τῆς κατὰ τὴν ἑλληνικὴν θεωρίαν παραδιδομένων, extat Romæ in Vaticana bibliotheca: item liber de Diis cælestibus. Gesner, Suidas, Philippus Bergomensis.

Marcus Annæus Lucanus, Cordubensis orator, & poëta celeberrimus, Lucij Annæi Senecæ ex Mela iuniori fratre nepos, Romam semestris deportatur; deinde in disciplinam Rhemnio Polæmoni, & Cornuto traditur; Laleium Bassum, & Aulum Persium condiscipulos habuit; à Nerone deamatus Quæstor factus est; Ludum gladiatorum edidit; Vxorem Pollam Argenteam, Pollij Argentei filiam, variis instructam scientiis, matrimonio sibi iunxit. In theatrum prodiens, & in eo, vna cum Nerone Orpheum pronuntians, coronam obtinuit, quod certè adeo graue fuit principi, vt poëtæ foro interdixerit, & theatro, *teste Papinio*; tùm odio Imperatoris, coniurationi Pisonianæ adhærens, reusque factus morte mulctatus est. Scripsit Saturnalia, Medeam, Orpheum, Romanæ,

Troianæque vrbis incendium; Postremo (vt bella ciuilia dissuaderet) libros decem de bello Pharsalico, seu Pompeiano, (à Pharsalo, Thessaliæ oppido, in cuius campis Pompeius superatus fuit, sic dicto) aggressus, tres primos cum Polla vxore correxit, septem alios emendaturus, si vixisset. *Gesner. Philippus Bergomensis.*

Aulus Persius poëta clarissimus, ex patre equite Romano, & in Volaterrana Hetruriæ parte natus, vbi primò ad annum vsque ætatis duodecimũ studuit, & beneuolentiã virorum plurimorum illustrium sibi conciliauit; anno ætatis decimo septimo Cornuti amicitia vsus est; Eius mores fuere candidi, forma perpulchra, pietas erga matrem, sororemque, & amitam singularis; inter Satyricos secundam palmam obtinuit; de eo, sic Martialis habet.

Plus etiam libro laudatur Persius vno,
Quam, longus tota Marsus Amazonide;

Præter satyras Opeion, librum vnum, & paucos ad sorores versus scripsit; item de insigni, quo olim Romanorum nobilium tunicæ ornabantur; *Philippus Bergonensis, Eusebius in Chronico, & Gesner.*

Virginius Rufus orator illustris, quem, *vt refert Tacitus,* nominis claritudo maximè extulit studia iuuenum, eloquentia, vt Mussonius sapientiæ præceptis, fouebat. *Volaterranus.*

Mussonius Babylonius Philosophus Stoicus, & dialecticus, Capitonis filius, ex Vulsinio, Hetruriæ oppido mediterraneo, olim locupletissimo, sed posteà fulmine concremato, *vt asserit Plinius lib. 2. Historiæ naturalis cap. 52.* Apollonij Tyanei discipulus, *teste Suida.* Varias composuit Epistolas philosophicas, & orationes, ac præcipuè de optimo principe. Stobæus multa passim tanti viri fragmenta refert; *Vt quòd labor non sit contemnendus, exilium non sit malum; quòd oporteat Regem philosophari; quinam quæstus philosophis conueniat; an Philosophum impediant nuptiæ; de supellectile, & quid in nuptiis præsertim spectandum;* Suidas, Gesner, & alij.

Apollonius Philosophus Pythagoricus, Apollonij filius, ex matre illustri natus, *vt vult Suidas;* cum tamen *Volaterranus* eum arte olim nautam fuisse tradat, ortum è Tyana ciuitate Græ-

tur celebre, & augustum Fortunæ templum. *Tacitus lib.* 13. *Annalium*, *Dio lib.* 61. *Suetonius.*

OPERA PVBLICA.

Laodicea, Asiæ vrbs publicis sumptibus restauratur, anno Christi sexagesimo secundo, Neronis Imperat. sexto. *Tacitus lib.* 14. *Annalium.*

Gymnasium à Nerone principe erigitur, anno Christi sexagesimo tertio, principatus septimo. Templum item Claudio, à Britannis. *Tacitus loco citato.*

Thermæ ab Imperatore extruuntur, anno Christi sexagesimo quinto, principatus nono, quas Neronianas nominauit; Ædes insuper Fæcunditati, in gratiam Poppææ. *Tacitus lib.* 15. *Annalium.*

Domus ab eodem, ex patriæ ruinis, Romæ scilicet flammis exhaustæ, superbissimè ædificatur, anno Christi sexagesimo sexto, principatus decimo; in qua non tam gemmæ erant, & aurum, *inquit Tacitus*, quàm arua, stagna, syluæ, & aperta spatia. Vrbs etiam eodem anno combusta, restituta fuit firmior quidem contra incendia, & veteri pulchrior, non tamen amænior.

Templum saluti, & Neroni excitatur, decreto senatus, anno Christi sexagesimo septimo, Neronis Imperatoris vndecimo. *Tacitus lib.* 15. *Annalium & Suetonius.*

Artaxara, vrbem Armeniæ celeberrimam, ad Arxim amnem sitam, quam Annibal Artaxio Regi condiderat, à quo & nomen accepit, Tiridates Rex eiusdem prouinciæ, à Nerone creatus, reposuit, & Neronianam appellauit. *Dio lib.* 63.

PRODIGIA.

In sacrificiis Agrippinæ iam demortuæ, tanta fuit solis eclipsis, anno Christi sexagesimo primo, Neronis Imperatoris quinto, vt stellæ, quasi adultâ nocte, conspicerentur. *Dio in Nerone* Mulier in Italia, anguem eodem tempore enixa est, inquit *Tacitus lib.* 14. *Annalium.* Puer item decem anno-

rum, *Auctore Plinio lib. 7. cap. 20. Historiæ naturalis*; Septuaginta quinque millia passuum confecit, à meridie ad vesperam.

Stupendus apparuit Cometes, anno Christi sexagesimo secundo, Neronis Imperatoris sexto. *Tacitus lib. 4. Annalium.* Oceanus, Britannicam inter insulam, sanguine purpuratus, extra alueum sese effudit. *Dio in Nerone.*

Galba, in prouincia Tarraconensi sacrificante, anno Christi sexagesimo tertio, Neronis Imperatoris septimo, puer acerram dextrâ præferens, confestim toto capite, magno cum omnium stupore, incanuit. *Suetonius.*

Quadriennio, priusquam bellum Iudaïcum inchoaretur, filius Anani plebeius, & rusticus, in summa Hierosolymorum pace atque opulentia, cælesti veluti afflatus numine, dira, funestaque vrbi, ac templo minatus est, anno Christi sexagesimo quinto, Neronis Imperatoris nono; nec destitit, easdem identidem minas iactare, licet variis mulctaretur plagis, ac seuerissimè tractaretur; Quin immo, ad singula verbera, eum inclamasse ferunt. *Væ Hierosolymis!* Perseuerauit verò eadem præstare annos amplius septem. *Iosephus lib. 7. de bello. c. 12.*

Labente anno sexagesimo sexto, Neronis Imperatoris decimo, Cometes ingens in cælo visus est; Bicipites hominum, aliorumque animalium partus, in publicum obiecti, seu in sacrificiis Italiæ, in quibus grauidas hostias immolare mos erat, reperti. Natus insuper vitulus in agro Placentino, cui caput in crure erat. *Tacitus lib. 15. Annalium.*

Octauo mensis Aprilis die anni Christi sexagesimi octaui, Neronis Imperatoris duodecimi. Lux magna, horâ noctis nonâ, Hierosolymis, circa altare, enituit. In festo Azymorum, ad hostiam deductus, Agnam in medio templi, peperit. Porta item orientalis ærea, quæ vix à viginti hominibus claudi poterat, sponte, circa sextam noctis horam, aperta est. Ipso denique Pentecostes die strepitus magnus à sacerdotibus, cum hacce voce MIGREMVS HINC auditus est. *Iosephus lib. 4. de excidio.*

In agro Marrucino Vittij Marcelli Equestris ordinis, vniuersum oliuetum viam publicam transgressum fuisse; arua

verò

inde è contrario, in locum Oliueti profecta, anno Christi sexagesimo nono, Neronis Imperatoris decimo tertio, *asserit Plinius lib. 2. Historiæ naturalis cap. 28. & lib. 17. c. 25.* Vidit præterea ætas nostra, *inquit idem author lib. 2. cap.* 102, amnes retrofluere. In Albano, tanto pluit sanguine, vt fluuij multo cruore manarint, mare verò ab Ægypto recedens, maximam Ciliciæ partem occupauit. *Dio lib. 63.*

CALAMITATES.

Tactæ de cœlo quatuordecim Romanæ vrbis regiones, anno Christi sexagesimo primo, Neronis Imperatoris quinto. *Tacitus lib. 14. Annalium.*

Lugdunum, emporium totius Galliæ Celticæ celeberrimum, & à quo pars Galliæ, Lugdunensis dicta est, à L. Munacio Planco, dum Galliæ Comatæ præesset, supra confluentem Rhodani conditum, vbi Romani duces aureum numisma, argenteumque signarunt; templum communi vniuersæ Galliæ impensâ extructum, & Cæsari Augusto consecratum; Ara insuper dignitatis eximiæ, gentium sexaginta titulo insignis, quibus totidem dicata fuerant simulachra, *teste Budæo de asse*: vbi denique Cæsar Caligula certamen Latinæ, Græcæque linguæ instituit: hæc ciuitas, inter omnes alias augustissima, vna nocte, anno Christi sexagesimo primo, Neronis Imperatoris quinto, & centesimo, à quo fuerat condita, atroci incendio conflagrauit. Hodie in plano sita est, magna sui parte à Rhodano, & Arari fluminibus inclusa, in qua etiamnum extant non obscura antiquæ vrbis vestigia.

Nobilis, atque illustris Laodicea, Asiæ ciuitas, magno terræ motu, vnà cum Hierapoli, prostrata fuit, eodem Christi anno sexagesimo secundo; Adde & Colossas, eiusdem prouinciæ vrbem celeberrimam, funditùs euersam fuisse: *Eusebius in Chronico, & Tacitus lib. citato.*

Gymnasium ictu fulminis exhaustum fuit, effigiesque Neronis principis liquefacta, anno Christi sexagesimo quarto, Neronis Imperatoris octauo. Celebre item Campaniæ op-

pidum Pompeij totum fere corruit. *Tacitus lib. 15. Annalium.*

Casu ne, an Tyranni iussu (vtrumque enim proditur) Roma vrbium regina funereis flammis sex integros dies, vel, vt colligunt alij ex veterum inscriptione, nouem, deformata fuit: ferale hocce incendium quatuor tantum, ex quatuordecim regionibus, reliquit; vetustissima vrbis delubra, & ipsius Vestæ, cum penatibus populi Romani, exusta; necnon opes omnes, victoriis quæsitæ, & Græcorum artium decora, ingeniorumque monumenta antiqua. *Suetonius, Dio, & Tacitus lib. 15. Annalium.*

Clades rei naualis magna fuit eodem Christi anno sexagesimo sexto; dum enim sæuiente pelago, gubernatores promontorium Miseni, naufragiis infame superare contenderent, Cumanis littoribus impacti, triremium plerasque, ac minora nauigia passim amisêre. *Tacitus loco citato.*

Campania, magno ventorum turbine, vastata fuit anno Christi sexagesimo septimo, Neronis Imperatoris vndecimo; Romæ insuper pestis ingens, omne mortalium genus depopulata est; domus siquidem corporibus exanimis, & itinera funeribus complebantur; neque enim sexus, aut ætas periculo vacua; seruitia perinde, ac ingenua plebes raptim extinguebatur; sæpè eodem rogo coniuges, ac liberi cremabantur. Equitum, Senatorumque interitus, quamuis promiscui, minùs flebiles erant, quasi communi mortalitate, sæuitiam principis præuenirent. *Tacitus lib. 16. Annalium.*

RES BELLICÆ.

Corbulo Tigranocertam, oppidum in montanis maioris Armeniæ, à Tigrane conditum, dictumque, expugnauit, anno Christi sexagesimo secundo, Neronis Imperatoris sexto; Armeniamque Romanorum exercitu subiecit, cui Tigranem principem, Archelai, Cappadociæ quondam regis nepotem, Imperatoris iussu, imposuit. *Tacitus lib. 16. Annalium.*

Suetonius Paulinus, Monam Insulam incolis validam, receptaculumque perfugarum cepit, anno Christi sexagesimo tertio, Neronis Imperatoris septimo, omniaque cæde, ac

sanguine compleuit. Mox tamen restaurato bello Britannico, vniuersa defecit prouincia, tùm ob testamentum regis Icenorum Prosutagi, qui longa opulentia clarus Cæsarem heredem, duasque filias scripserat; tùm ob Romanorum militum rapinas; tùm etiam, *vt refert Dio*, ob publicationem bonorum, quam cùm Claudius Imperator primariis remisisset, Decianus Cattus eiusdem prouinciæ procurator, renouare voluit. Victor quidem primò, ingenti Romanorum clade, Britannus fuit, ducente etiam Bundicea Prosutagi vxore, & Icenorum regina, quæ centum viginti hominum millia armarat; Verùm Paulinus Suetonius, insulæ rector aciem iterum instruens, victorem insigni strage prostrauit, cæsis octoginta hostium millibus. *Tacitus loco citato, & Dio.*

Vologeses Parthorum Rex, cognitis Corbulonis rebus, Tigraneque principe alienigena, Armeniæ imposito, ac fratre Tiridate depulso; Armeniam inuasit, anno Christi sexagesimo quarto, Neronis Imperatoris octauo. Illum tamen Corbulo fortiter repressit; Cæsonius insuper in tuenda eadem Armenia æquè incautè profligatus fuit, turpique fœdere cum hoste depactus, se ipsum, antè Corbulonis occurrentis suppetias, liberauit. *Tacitus ibidem.*

Parthorum legati Romam profecti sunt, anno Christi sexagesimo quinto, Neronis Imperatoris nono, sed irriti dimittuntur, bellumque Corbuloni permittitur, qui tanta felicitate Armeniam aggressus est, tantumque metum Parthis iniecit, vt ad colloquium ventum fuerit, placueritque arma deponi; tum Tiridates Romana petiit castra, vbi detractum capiti diadema Neronis Imperatoris statuæ subiecit, illud in posterum non accepturus, nisi volente Nerone Cæsare. *Tacitus loco citato.*

Iudæi ingentibus oneribus à præsidibus oppressi, maximè verò à Floro, deficiunt à Romanis, anno Christi sexagesimo octauo, Neronis Imperatoris decimo, inchoaturque bellum Iudaicum; tunc enim Cestius Gallus Syriæ præses Hierosolymam obsidens mense Octobris, à Iudæis fugatus fuit, multaque Romanorum militum periere millia. *Iosephus lib. 2. de bello cap. 3. & 22.*

Vespasianus Galilæos, gentem fortissimam, atque munitissimam, cruento prælio debellauit, anno Christi sexagesimo nono, Neronis Imperatoris decimo tertio, cæsis plusquam centum millibus Iudæorum, captiuis adductis, ac venditis quadraginta millibus; quo etiam tempore, in expugnatione Iotopatæ ciuitatis, captus est Iosephus, qui Vespasiano Imperium prædixit; tota denique Galilæa in deditionem redacta fuit. *Iosephus lib. 3. de bello c. 27.*

Hierosolymis intestinis moribus maximè laboratum, eodem Christi anno sexagesimo nono, Zelotarum factione, qui ciues innumeros fœdè obtruncarant; inter quos fuit Ananus summus Pontifex, cùm iam antè per ludicrum Phananiam quendam, Samuelis filium, rure abstractum, Pontificem creassent. *Iosephus lib. 4. c. 14. & sequentibus, præsertim 17.*

Caius Iulius Vindex Galliæ præses defecit sub idem tempus à Nerone Imperatore, immo & Galba Hispaniæ rector. *Suetonius & Baronius.*

REI INSIGNES.

Vibius Secundus, Eques Romanus, à Mauris accusatus, Crispi fratris operâ, Italiâ tantum expellitur, anno Christi sexagesimo secundo, Neronis Imperatoris sexto. *Tacitus lib. 14. Annalium.*

Antistius Sosianus prætor, factitatis in principem probrosis carminibus, exilio mulctatus est, anno Christi sexagesimo quarto, Neronis Imperatoris octauo. Fabricius vero Viento, conuictus sub idem tempus, quòd multa in patres, ac sacerdotes scripsisset, ablegatus est, eiusque libri combusti. *Tacitus loco citato.*

Torquatus Silanus ob crebras largiriones, quibus prodigus fuerat, ad mortem adigitur, anno Christi sexagesimo sexto, Neronis Imperatoris nono. Verùm eum damnatio instaret, brachiorum venas aperuit. *Tacitus lib. 15. Annalium.*

Epicharis coniurationis Pisonianæ rea, tormentis admota, damnata est, eumque illa vinculo fasciæ, quam pectori detraxerat, in modum laquei, ad arcum sellæ restricto, ceruicem indi-

differ, tenuem spiritum expressit, anno Christi sexagesimo septimo, Neronis Imperatoris vndecimo. *Tacitus loco citato.*

Piso coniurationis princeps, abruptis brachiorum venis, supremum diem obiit. Proximam necem Plautij Laterani consulis designati, ob tanti criminis societatem, adiunxit Imperator, adeoque properè, vt ne quidem amplecti liberos permiserit; quare raptus in locum seruilibus pœnis sepositum (destinatus siquidem erat locus in pœnam seruorum, & vilium capitum) Statij Tribuni manu trucidatur. *Tacitus lib. citato.*

Secuta est ex ipsamet causâ, cædes Annæi Senecæ, qui paulò pòst solutis ferro brachiorum, crurum, ac poplitum venis, hausto veneno, balnei vapore extinguitur. *Tacitus ibidem.*

Eâdem fortunâ impliciti, pereunt Fennius præfectus, Annæus Lucanus poëta, & Flauius; Iunius quidem Gallio, declamator illustris, & Senecæ frater, propria manu cecidit. Permulti denique principes Cæsaris iussu, extincti sunt, inter quos, insignioris constantiæ fuit Thraceas; optabat enim Nero tot illustrium virorum cædibus, virtutem ipsam, *inquit Tacitus*, penitus exscindere.

OBITVS ILLVSTRES.

Agrippina Neronis mater, naufragio frustra tentata, ab Aniceto liberto palam, iubente principe, confoditur, mense Maio anni sexagesimi primi, Neronis quinti, ipsisque quinquatriis, vt refert *Tacitus lib. 14. Annalium.*

Porro quinquatria erant festa Romæ, Palladi sacra, nec dissimilia iis quæ ab Atheniensibus παναθήναια vocabantur; dicta autem sunt quinquatria à numero quinque dierum, quibus celebrabantur; quorum primo fiebant sacrificia, secundo, tertio, & quarto gladiatorum spectacula edebantur, quinto vrbis lustratio. *Consule Varronem lib. 5. de lingua Latina; & Ouidium lib. 3. Fastorum.*

Fatis item concessere sub idem tempus Domitius Afer, & M. Seruitius, viri summis honoribus, & magna eloquentia clari. *Tacitus lib. 4. Annalium.*

Festus Iudææ præses vitæ munus impleuit, anno Christi

ſexageſimo ſecundo, Neronis ſexto. *Tacitus ibidem.*

Pedauius præfectus vrbis, à ſeruo interficitur, anno Chriſti ſexageſimo tertio, Neronis Imperatoris ſeptimo. Verannius Britanniæ legatus, & Memmius Regulus, ſub idem tempus, obiere. Bundicea inſuper Icenorum Regina veneno, vt quidam volunt, alij verò morbo, vitam finiit. *Tacitus loco citato.*

Burrus præfectus prætorio, & magnum reipublicæ præſidium vita priuatur, anno Chriſti ſexageſimo quarto, Neronis Imperatoris octauo, incertum valetudine, an veneno.

Sylla in Galliam Narbonenſem relegatus, peruectis ſexto die percuſſoribus, in cæna confoditur; eius caput præmatura canitie deforme, Romam delatum, à principe illuditur.

Octauia verò Neronis coniux in inſulam Pandatariam deportata, balnei vapore, breui extinguitur, eodem Chriſti anno ſexageſimo quarto. Illius caput Romam deuectum Poppææ, quam Nero Imperator duxerat, defertur. *Tacitus.*

Neronis ex Poppæa nata filiola, intra quartum menſem anni ſexageſimi quinti, principatus noni, morte abripitur. *Tacitus.*

Aulus Perſius poëta ſatyricus, patria Volaterranus, fato præpropero deſiit, anno Chriſti ſexageſimo ſeptimo, Neronis Imperatoris vndecimo. *Teſte Euſebio, & Tacito lib. 15. Annalium.* Extat etiamnum Volaterris eius familiæ monumentum ex marmore, apud portam S. Angeli. Poppæa item grauida, à marito Nerone ictu calcis percuſſa moritur, eodem anno.

Domitius Corbulo ad ſinum Saronicum appulſus, manus ſibi intulit, anno Chriſti ſexageſimo octauo, Neronis Imperatoris duodecimo. *Tacitus lib. 1. Hiſtoriarum.*

Iulius Vindex Galliæ Rector, qui à Nerone principe deſciuerat, victus à Rufo, ſeipſum interemit, anno Chriſti ſexageſimo nono. *Mariana lib. 4. de rebus Hiſpaniæ; & Dio lib. 65.* Sunt tamen qui aſſerunt à militibus occiſum fuiſſe.

FVNERA.

Poppææ corpus non igne abolitum fuit, pro more ſolemni, ſed Regum externorum conſuetudine, odoribus conditum, tumuloque Iuliorum illatum; ductæ tamen publicè exequiæ; Ipſe princeps illius formam apud roſtra collaudauit, & quòd diuinæ infantis parens fuiſſet, aliáque permulta fortunæ inſignis decora, plena manu extulit. *Tacitus lib. 16. Annalium.*

DECAS OCTAVA.

GALBÆ IMPERATORIS Gesta & Obitus.

PRÆTORIANIS donatiuum grandius solito petentibus, anno Christi septuagesimo primo respondit, legere se milites, non verò emere consueuisse; quibus verbis militari inuidiæ atque alienationi faces subdidit. *Tacitus lib. 1 Historiarum. Suetonius, Dio lib. 64. & Mariana lib. 4. de rebus Hispaniæ.*

Ius ciuium quod antè à Claudio proceribus Galliæ concessum fuerat, in omnes Gallos, qui pro Vindice stetissent, diffudit; *vt refert Lipsius in librum primum Historiarum Taciti.*

Accepto nuncio de Germanicarum legionum defectione, ruptâ Sacramenti reuerentiâ, facultateque eligendi Imperatorem, à Senatu, populoque Romano expostulatâ, consilium de adoptando Cæsare maturauit. *Tacitus loco citato.*

Pisonem M. Crasso, & Scribonia genitum, candidis, antiquisque moribus iuuenem, ad frequentem militum concionem, imperatoriâ breuitate, more diui Augusti, & exemplo militari, quo vir virum legeret, in filium, & Imperij successorem adoptauit; Othone, qui id ambiebat, prætermisso. *Tacitus ibidem.*

Bis, & vicies millies sestertiûm, quod Nero donationibus, in eos, qui apud illum multâ florebant gratiâ, effuderat, hoc est, *teste Lipsio, in primum Historiarum Taciti*, quinquaginta milliones reuocauit, exegitque, concessis tantum decumis; itaut si quis ex munificentia tanti principis, centum sestertia accepisset, restitueret nonaginta, & decem tantum retineret. Passus est insuper, cuncta addici, & venditari pretio, aut gratia donari per libertos, eosque, à quibus regebatur; immo etiam ipsa vectigalia, atque immunitates, pœnas item nocentium, noxiorumque impunitates. *Suetonius.*

Detectis,

Detectis, ſub idem tempus, Othonis inſidiis, Tribunos exauctorauit, è prætorio quidem Antonium Taurum, & Antonium Naſonem; ex vrbanis cohortibus, Æmilium Pacenſem; & ex vigiliis, Iulium Frontonem. *Tacitus lib. 1. Hiſtoriarum, & Suetonius.*

Tandem decima ſexta die menſis Ianuarij, anni Chriſti ſeptuageſimi primi, à militibus in foro, iuxta Curtium lacum, interfectus eſt, annos agens ſeptuaginta tres, eius corpus neglectum, & licentiâ tenebrarum plurimis ludibriis vexatum; caput vero per lixas, & calones ſuffixum, laceratumque ante Patrobij, Neronis liberti tumulum, repertum, cremato iam corpori admixtum fuit.

ICON

GALBÆ IMPERATORIS.

SVLPICIVS *Galba, patre Sergio Galba, matre Numia, Achaia, ex nobilissima Sulpiciorum familia progenitus, liberalibus disciplinis, atque iure ciuili instructus, reique militaris peritus, ab Hispanis, & Gallis Imperator creatur; quinque principes prosperâ fortunâ emensus, alieno Imperio felicior, quàm suo; famæ neque incurius, neque venditor, pecuniæ suæ parcus, publicæ auarus; natalibus tamen illustris; dum vigebat ætas, bellica laude in Germania floruit; sæpè consul, & frequenter dux in grauissimis bellis; Proconsul Africam moderatè: iam senior, citeriorem Hispaniam, seu prouinciam Tarraconensem pari iustitia continuit: Huius Imperium breue fecit seueritas, septem enim tantum mensibus, ac tredecim diebus rerum potitus est.*

OTHONIS IMPERATORIS GESTA, atque obitus.

SVblato Galba, Imperium Othoni, à Prætorianis, delatum est; occurrere Patres, decreta est ei Tribunitia potestas, nomen Augusti, summique principum honores; cum cruento adhuc foro, per iacentium strages, in Capitolium, dein in palatium deuectus fuit; Neroque, inter cæteras gratulantium, atque adulantium blanditias, ab infima plebe

vocatus; quod nomen ita ei grarum fuit, vt primis suis epistolis ad quosdam prouinciarum præsides, Neronis cognomen adiecerit, ipsiusque imagines ac statuas reponi passus fuerit; procuratores, ac liberros ad eadem officia reuocarit; nec quicquam priùs, pro potestate, ac iure maiestatis imperatoriæ subscripserit, quàm quingenties sestertia ad perficiendam domum auream, quam Nero inceperat, concessisset; tum munia Imperatoris obiit. *Suetonius, & Tacitus lib. 1. Historiarum.*

Cadio Rufo, Pedo Blæso, Seuino Promptino, qui repetundarum criminibus sub Claudio, & Nerone ceciderant, locum Senatorium restituit. *Tacitus loco citato.*

Hispaliensibus, & Emeritensibus familiarum adiectiones; (solebant siquidem Romani Coloniarum infrequentiæ subuenire, noua familiarum aliquot adiectione) Lingonibus vniuersis, vrbem Romanam; prouinciæ Boëticæ, Mautorum ciuitates, dono dedit. *Tacitus ibidem.*

Noua iura Cappadociæ, noua item Africæ concessit, statuasque Poppææ, senatus decreto reposuit. Hispaniam nutantem, vt in officio retineret, Boëticæ præfecturæ, primus Romanorum Imperator, Mauritaniam Tingitanam contribuit. Hinc factum, vt à conuentu Gaditano, deinceps iura peteret, & in Gothorum ditione ea pars Africæ esset, quo tempore Hispaniam tenuerat. *Mariana de rebus Hispaniæ.*

Classem validam instruxit, misitque in Galliam Narbonensem, contra Vitellium, in quem ipse princeps profectus est pridie idus Martias, commendatâ patribus republicâ; fratri vero Saluio Titiano vrbis quiete, curaque Imperij: Verum apud Bedriacum vicum inter Cremonam, & Veronam situm, ab exercitu Vitellij, qui in Germania Imperator salutatus fuerat, deuictus, Brixelli oppido, in ferrum, luce prima, pectore incubuit die vicesima Aprilis, anni Christi septuagesimi primi, ætatis suæ tricesimi septimi, Imperij vero mensis quarti, *vt scribit Tacitus lib. 2. Historiarum.*

ICON

OTHONIS IMPERATORIS.

MARCVS *Syluius Otho, L. Syluio Othone patre consulari, & Albia Terentia splendidissima fœmina natus; priuata vita mollis; virtute publica illustris; bonaque fama apud posteros, tantum, quantum male meritus: Neronem ita sibi deuinxerat, vt secretorum omnium, atque consiliorum tanti principis particeps esset; ab eo in Lusitaniam missus, illam annis decem summa cum prudentia administrauit; tribus leuibus prœliis, contra Vitellianos victor fuit; quarto verò apud Bedriacum fraude superatus, Imperium, quod Galba eripuerat, breui sibi ipsi, vnà cum vita eripuit.*

AVLI VITELLII IMPERATORIS Gesta, atque Obitus.

OThoni Imperatori mortuo successit Aulus Vitellius; qui pugionem, quo se Otho occiderat, in Agrippinensem coloniam, vbi primum Imperator acclamatus fuerat, misit. Hæc vero colonia, ciuitas est celeberrima ad Rheni fluuium, Vbiorum metropolis, in quam Agrippina Neronis mater, vt patriam, & locum natalem splendidiorem redderet, sociisque nationibus potentiam ostentaret suam, veteranos deduci curauerat. *Suetonius.*

Equestri ordine Asiaticum libertum donauit, postulante

exercitu, tum in Italiam maturauit, vrbemque ingressus est paludatus, circumfusis militum legionibus. Comitia in decem annos ordinauit, seque perpetuum Consulem constituit; nobiles multos, vario mortis genere, è viuis abstulit, vnum verò propria manu, veneno, in aquæ frigidæ potione, propinato. Astrologos vrbe expulit, edixitque vt intra certum diem, quem ipse constituerat, Italiâ excederent; Illi autem contrà, diem principi præscripsere, qua excessit è vita. *Dio, Suetonius, & Tacitus loco citato.*

Federa sociis, Latium externis concessit; Tributa dimisit, aliosque immunitatibus auxit; denique nullâ imposterum curâ Imperium lacerauit. *Tacitus lib. 3. Historiarum.*

Tempore quo principatum tenuit, nouies millies sestertiûm, hoc est aureorum nonagies centena millia, in cænas consumpsit; decies enim sestertiûm, (aureorum decem millia intellige) in patinæ tantum vnius argenteæ ferculum impendit, linguis, cerebellisque, atque iecoribus piscium, & quarundam auium, in eam coniectis; Hanc Hadrianus Imperator conflari iussit. *Dio, Suetonius, & alij.*

Octauo Imperij mense desciuerunt ab eo Mœsiæ, & Pannoniæ exercitus; ex transmarinis item Iudaïcus & Syriacus; Moësiæ, & Pannoniæ, vtpote remotiores, in absentis Vespasiani verba; Iudaïci verò, quibus ipse præerat, in præsentis iurarunt. Mussianus autem ad idem Sacramentum præstandum Syriacos adegit. *Suetonius, & Tacitus lib. 3. Historiarum.*

Terrâ marique Vespasianum hostem circumuenit; hinc classem cum fratre, & tironibus, atque gladiatorum manu, illi opposuit; Illinc Bebriacenses copias, & duces Cæcinnam, ac Valentem; Flauianum Sabinum, Vespasiani fratrem, cum quo salutem sibi pepigerat, nihil iam metuentem, vi subita in Capitolium compulit, succensoque templo Iouis, oppressit; prælium, fœdumque incendium, inter epulas, è Tiberiana domo, prospiciens. *Egesippus, Suetonius, & alij.*

Capta vrbe à Vespasiani copiis, è pudenda latebra, in qua se occultarat, laniata veste, vinctisque post tergum manibus, à Iulio Placido Tribuno cohortis, extrahitur, turpe spectaculum, multis increpantibus, nullo verò illachrymante se-

minudus in forum prodiit, magnaque inter rerum, verborumque ludibria, per totum facræ viæ ſpatium deducitur, tum ad gemonias, minutiſſimis ictibus confectus, truncato capite, vnco, vnà cum fratre, & filio ad Tiberim raptatur, anno ætatis quinquageſimo quarto, *vt vult Dio*, Suetonius verò, quinquageſimo ſeptimo, Imperij autem, a nece Othonis, menſe octauo, & diebus quinque.

ICON

AVLI VITELLII IMPERATORIS.

AVLVS *Vitellius, Lucij Vitellij filius, & Sextiliæ probatissima, nec ignobilis fœminæ; Caio familiaris, quia augur; Claudio carus, quia aleator; sed Neroni acceptior, quia eius æmulus; Tragædorum, Aurigarum, Citharædorum, & gladiatorum agmine, diu noctuque stipatus: Horum principum indulgentiâ, magnis honoribus, atque sacerdotiis amplissimis auctus, proconsulatum Africæ, curamque operum publicorum administrauit, voluntate tamen dispari, & existimatione; Imperium ei detulere, qui ipsum non nouerant: priuatus melior, quàm princeps; amicitias hominum emit magis, quàm meruit, cùm eas munerum potius magnitudine, quàm morum constantia, sibi parasset, raro liber à vino, totusque in ludis, libidinibus, popinis, ac tantis comessationibus, vt si diuturnum ei fuisset Imperium, luxuriæ sumptibus, pretioque mensarum totius Italiæ opes obligurrisset: ea propter nec immeritò, vorago hæc, breui, felicique reipublicæ fato, Tiberis voragine, penitus absorpta fuit.*

VESPASIANI IMPERATORIS Gesta.

AVlo Vitellio interfecto, Vespasianus militum suffragio rerum potitus est Kalendis ipsis Iulij, anni Christi septuagesimi primi; tum præmissa, terrestri itinere, exercitus parte, Alexandriam profectus est, vbi diu substitit, multaque stupenda peregit, *Tacito teste*, quæ tamen ad Apollonij Tyanæi commenta, dæmonumque præstigias, sunt referenda.

Senatus Romæ, magna animorum propensione, omnia illa, quæ principibus pro more consueuerat, ei decreuit; mox lætus, atque spei certus, Alexandriâ soluens, in vrbem se contulit, filiumque Titum in Palæstinam dimisit. *Suetonius, Tacitus, & alij.*

Iudæorum terram, vtpote cultoribus distributam, diuendi curauit, anno Christi septuagesimo tertio, principatus secundo; Emaum vero militibus incolendam tradidit; hæc, mutato antiquo nomine, ex victoria parta, Nicopolis est appellata. *Iosephus lib. 7. de bello cap. 25.*

Oriundos ex stirpe Dauid diligentiùs conquisitos, necari iussit; vaticiniis enim didicerat, æternum Regem ex illa proditurum. *Eusebius lib. 3. Historiæ cap. 2.*

Cæsaream maritimam, Stratonis turrim olim nominatam, & iam totius Palæstinæ factam metropolim, Romanorum coloniam sub idem tempus instituit, immunemque esse à censu capitis, ac possessionum, ob egregiam contra Iudæos nauatam operam, voluit. Alexandriæ insuper, Iudæis tumultuantibus, mandauit Lupo præfecto, vt ipsorum templum, Onion dictum, quòd ab Onia pontifice constructum fuisset, funditus euerteretur. *Iosephus de bello.*

Rempublicam, superiorum Imperatorum culpâ, collapsam restituit, anno Christi septuagesimo quinto, principatus quarto; Edictum item sanciuit de pellendis ab vrbe philosophis, cùm dicendi temeritate quadam potius,

quam libertate, tùm alios, tùm etiam ipſum Imperatorem proſcinderent. *Dio.*

Nouiſſimi Juſtri cenſor fuit, vnà cum Tito filio, anno Chriſti ſeptuageſimo ſexto, principatus quinto, *vt refert Cenſorinus cap. 15. de die natali; vbi aſſerit*, inter primum luſtrum, à Seruio Tullo Rege conditum, (qui, ex Valerio *lib. 3.* quater luſtrum fecit, & triumphauit) annos interceſſiſſe fere ſexcentos quinquaginta, additque non plura luſtra, quàm ſeptuaginta quinque, illo interuallo celebrata fuiſſe; poſteà verò, deſiiſſe planè, & tempora per agones computari cæpiſſe. Hoc luſtro reperti ſunt, *Plinio teſte, lib. 7. Hiſtoriæ naturalis*, qui centum & quinquaginta annos vixiſſent.

Achaiam, Lyſiam, Rhodum, Byzantium, Samum, Thraciam, Ciliciam, Comagenam, quæ anteà liberæ erant, & ſub amicis regibus, in prouincias redegit, eodem Chriſti anno ſeptuageſimo ſexto. *Suetonius, & Euſebius in Chronico.*

HEROES.

Sanguine, Geſtis, & Politiâ.

Cluuius Rufus, vir admodum illuſtris Hiſpaniam regebat anno Chriſti ſeptuageſimo primo; Vitellius verò, Cenſoris Vitellij, & ter Conſulis filius, Germaniam. *Tacitus lib. 1. Hiſtoriarum.*

Lucinius Mutianus ſecundis, aduerſiſque iuxtà famoſus, Syriam obtinuit, inſignes amicitias coluit, triumphaleſque honores de bello ciuili meruit. *Tacitus.*

Tiberius Alexander, præfectus Auguſtalis, Ægyptum aditu difficilem, annonâ fœcundam, ſuperſtitione & laſciuiâ diſcordem, & mobilem, inſciam legum & ignaram adminiſtrabat. *Tacitus.*

Titus Vinius celebratæ familiæ; Cornelius Laco, præfectus prætorij; & Icellus Galbæ libertus, aureis annulis ornatus; viri in aula apud principem potentiſſimi. *Tacitus lib. 1. Hiſtoriarum.*

Alienus Cæcinna, quem Galba Quæſtorem in Boëtica im-

pigrè in partes ſuas tranſgreſſum, legioni præpoſuit. *Tacitus ibidem.*

Hordeonius Flaccus, vir magni nominis, ſenectute grauis, & prudentiâ clarus, ſuperiori Germaniæ præerat. *Tacitus.*

Claudius Ciuilis, apud Batauos regia ſtirpe editus, ingenio ferox ac ſolers, manuque promptiſſimus, & ad ſimulandum apprimè eruditus, multis enim ſe periculis, ſua induſtria, Neronis, Galbæ, Othonis, ac Vitellij principatu, vir callidus expedierat. Hunc cauſæ irarum multæ, ſpeſque ex magnis Romani orbis malis enata, ad magna incendebant.

Veſpaſiani amicitiam, ſtudiumque partium Flauianarum, nondum ſublato Vitellio, prætendit, vt accita à Vitellio auxilia, ſpecie Germanici tumultus retineret.

Pacarius Decimus, Corſicæ inſulæ maris, Liguriam Italiæ regionem alluentis procurator, arma in Othonem Cæſarem vertit. Virginius equeſtri familiâ, & patre ignotus, Imperator ab exercitu acclamatur. *Tacitus loco citato.*

Albinus Mauritaniam Cæſarienſem tenebat; Blæſus autem genere illuſtri, animoque magnus, ac par opibus, Lugdunenſem Galliam. *Tacitus lib. 2. Hiſtoriarum.*

Fabius Valens Fontei Capitonis percuſſor, Galbæ infenſus, ac proditor, & Vitellio fidus, illum ſiquidem Imperatorem ſalutarat; tum Bononiæ, quæ eſt princeps Hetruriæ colonia, Felſina olim vocitata, in octaua Italiæ regione, *vt tradit Plinius lib. 3. cap. 3.* Gladiatorum ſpectaculum, in ipſius gratiam, deuecto ex vrbe cultu, edidit. Romæ item, vnà cum Cæcinna, diem natalem eiuſdem principis, edictis vicatim tota vrbe gladiatoribus, ingenti apparatu, & antè illum diem inſolito, celebrauit. Vitellij verò Imperatoris filius, cui vniuerſus exercitus, iubente patre, occurrerat, Germanicus dictus eſt, omnibuſque ornatus fortunæ inſignibus. *Tacitus loco citato.*

Titus Veſpaſiani filius, è Iudæa, incolumi adhuc Galba, Romam mittitur à patre; profectionis cauſam, officium ergà principem, & matura honoribus iuuenta, ferebat. Huius ingenium magnum, & quantæcumque fortunæ capax: accepta in itinere principis cæde, ſubſtitit. Paphiam Venerem adiit,

illamque de futuris consuluit; læta omnia, & magna edidicir, tum patrem, qui belli consilia agitabat, auctus animo petiit.

Vibius Crispus pecuniâ, potentiâ, & ingenio inter alios splendidus. Suetonius Paulinus variis victoriis clarus. Saluius Titianus, cui frater Otho Imperator, Imperij curam permiserat. Titus Ampius Flauianus, Pannoniæ rector, & Pompeius Syluanus, Dalmaciæ. *Tacitus.*

Primus Antonius, vir nobilis, strenuus manu, sermone promptus, discordiis ac seditionibus potens, pace pessimus, bello celebris, labantibus Vitellij rebus, Vespasiano fauens, grande momentum addidit. Cornelius item Fuscus claris natalibus, & ætate vigens, susceptis Vespasiani partibus, bello ardentem facem prætulit. *Tacitus.*

Antiochus vetustis opibus potens, aliorumque omnium principum ditissimus, Vespasianum tuetur, vnà cum Iudæorum Rege Agrippa, qui initio belli aduersus contribules suos, Romanis adhæserat, nec amplius ab eo tempore, quo Romam ad Galbam Imperatorem nauigarat, in Iudæam reuersus est; nec post illum aliquis suffectus in regnum, solis Romanis vniuersæ Iudææ dominantibus. *Iosephus lib. 5. de bello.*

Actius Varus vir summæ gloriæ apud omnes, ob res prosperè gestas in Armenia. L. Vestinus Equestris ordinis, magnæque auctoritatis, & cui cura Capitolium restaurandi commissa fuerat. *Tacitus lib. 3. Historiarum.*

Flauius Sabinus, Vespasiani frater, quinque & viginti stipendia in republica fecerat; domi, militiæque clarus, septem annos Mœsiam, duodecim verò, vrbis præfecturam obtinuerat. *Tacitus.*

Heluidius Priscus opum contemptor, recti tenax, ingenio illustri, ordinem primipili duxit, Achaiam rexit, prætorque designatus fuit. *Tacitus lib. 3. Historiarum.*

Classicus nobilitate, opibusque potens, illi genus regium, paceque atque bello insignis. *Tacitus ibidem.*

Petilius Cerealis re militari inclytus, magnæque famæ apud principem; Valerius Festus Africam gubernabat, anno Christi septuagesimo secundo. *Tacitus loco citato.*

Lupus præfecturâ Augustali Ægypti donatus fuerat: Cæsennius autem Petus Syriam regebat, anno Christi septuagesimo quarto, Vespasiani Imperatoris tertio. *Iosephus lib. de bello.*

Frontinus vir Consularis, prætutam vrbanam gessit, Britanniæque curam, atque molem magna cum gloria sustinuit, anno Christi septuagesimo septimo, Vespasiani Imperatoris sexto. *Tacitus in vita Agricolæ.*

VIRI ERVDITI.

Titus Vespasiani filius Latinis, Græcisque literis excultus, Orator eximius, ingenio splendidus, & mirabili facilitate dicendi ex tempore illustris. *Suetonius.*

M. Cluuius Rufus historicus celeberrimus, singularique eloquentia clarissimus. *Tacitus lib. 1. Historiarum.*

Quirinus Asconius Pedianus historicus insignis, permulta ingenij sui opera nobis reliquit. *Eusebius in Chronico.*

Saleius Cassus, poëta Epicus, & Vespasiano carus, ac ab eodem quinquaginta sestertiis donatus. *Gyraldus.*

Gabinius magni nominis Rhetor docuit in Gallia hoc tempore. *Eusebius.*

Marinus Tyrius Geographiam scripsit, vnde Ptolomæus suam deprompsit. *Volaterranus.*

Dioscorides medicus Græcus, & in arte herbaria celebris, *teste Plinio lib.* 5. de herbarum, arborum, lapidum, aromatum, & animalium virtutibus, acuratè composuit. *Philippus Bergomensis.*

C. Plinius senior Veronensis librum vnum de Iaculatione Equestri, & duos de vita Q. Pomponij scripsit, tempore quo præfectura militari fungebatur; de bellis germanicis, viginti auspicatus est, dum in Germanos arma tractaret; de institutione item Oratoris, tres, quos in sex volumina, propter eorum amplitudinem, diuisit; dubij sermonis octo, sub Nerone; sub Vespasiano verò, cuius interdiu negotia administrabat, noctibus, & succisiuis horis, triginta septem libros Historiæ naturalis, opus diffusum, & eruditum, nec minus va-

rium, quàm ipsam naturam; Electorum Commentarios centum sexaginta, opistographos quidem, & minutissimè scriptos, qua ratione multiplicatur hic numerus. Referebat autem se potuisse, dum procuraret in Hispania, vendere hosce commentarios Largio Licinio quadringentis millibus nummorum, & tamen tunc pauciores multò erant, *vt testatur ipsius nepos.* Adde insuper, teste Albino Torino medico, libros quinque de re medica.

Silius Italicus Poëta, genere Hispanus, ex Italica ciuitate Boëticæ, prope Hispalim, & originem, & nomen traxit; Romæ tamen natus, & in literis educatus; prima ei fori contentio fuit, magna inter patronos auctoritate; Consulatum gerebat eo anno, quo Nero extinctus fuit; defunctus consulatu, totum se à publicis negotiis, ad otium poëticum, & studia conuertit; prædium Virgilij in agro Neapolitano, & Formianum Academicum, villam Ciceronis, possedit; composuit iam ætate prouectus, in Campaniæ secessu, libros septemdecim de bello Punico, versu hexametro, quibus bellorum Carthaginensium ingeniosissima consilia describuntur. *Petrus Crinitus de poëtis Latinis. Angelus Politianus, & Mariana lib. 4. de rebus Hispaniæ.*

Cornelius Celsus medicus florebat hac ætate: scripsit de arte Rhetorica, de re militari, rustica, & medica. *Quintilianus, & Volaterranus.*

NATALITIA AVGVSTA.

Hadrianus futurus Imperator nascitur vicesimo quarto Ianuarij, anni Christi septuagesimi septimi, Vespasiani Imperatoris sexti. *Spartianus.*

REGNORVM OCCASVS.

Debellatâ Iudæâ, & Hierosolymâ funditùs euersâ, Iudæorum regnum concidit, anno Christi septuagesimo secundo, Vespasiani Imperatoris primo. *Philippus Bergomensis refert,* Agrippam, vltimum eorum Regem Romæ commorantem,

regnum ſuum ſenatui teſtamento legaſſe, anno principatus viceſimo ſecundo.

OPERA PVBLICA.

Capitolium, bello Ciuili Vitelliano, Romæ concrematum, anno Chriſti ſeptuageſimo primo, magnificè reſtauratum fuit à Veſpaſiano Imperatore, anno Chriſti ſeptuageſimo ſecundo, principatus primo; curaque Veſtino equeſtris ordinis viro demandata. Vndecimo itaque Kalendas Iulias, ſerena luce, ſpatium omne, quod templo dicandum erat, euinctum vittis, coroniſque, ingreſſi milites, quibus fauſta omina, felicibus ramis, hoc eſt Diis gratis; dein virgines Veſtales, cum pueris, puelliſque patrimis, matrimiſque, aquâ riuis atque fontibus amnibuſque hauſtâ, perluere. Mox Heluidius Priſcus prætor, Plauto Eliano Pontifice præeunte, luſtratâ per bouem, tauroſque areâ, & ſuper ceſpitem extis redditis, Iouem, Iunonem, Mineruam, præſideſque Imperij Deos precatus, vt cæpta proſperarent, & ſedes ſuas diuina ope attollerent, vittas, quibus ligatus erat lapis, innixique erant funes, contigit. Tum ceteri magiſtratus & ſacerdotes, ſenatus, & equites, magnaque pars populi, ſtudio lætitiaque connixi, ſaxum ingens traxere, paſſimque aurum, argentumque rude, fundamentis iniectum, metallorum primitiæ, & nullis fornacibus victæ, ſed vt gignuntur. *Tacitus lib. 4. Hiſtoriarum.*

Aquæductus Segobiæ, vrbe celeberrima in Hiſpania, tanta arte, ſub idem tempus, extructus fuit, vt vulgò iactatum ſit, dæmonis operâ fabricatum fuiſſe; Licinij tamen opus eſſe creditur; plures ad Traianum principem referunt. *Mariana lib. 4. de rebus Hiſpaniæ.*

Domitianus Veſpaſiani filius, potiente rerum patre, ſacellum Ioui conſeruatori, aramque poſuit in ea domo, in qua Romæ latitarat, tempore quo Vitelliani in Capitolium irruerunt, ſuoſque caſus in marmore expreſſit; moxque Imperium adeptus, Ioui Cuſtodi templum ſuperbiſſimum conſecrauit. *Tacitus lib. 4. Hiſtoriarum.*

Poſt triumphum de Iudæis actum, Iano clauſo, & pace

vbique terrarum composita, celeberrimum Pacis templum condere aggreditur Vespasianus, anno Christi septuagesimo septimo, principatus sexto. In quo præter alia insigniora, totoque terrarum orbe exquisita decora, illa præsertim quæ ex templo Hierosolymitano sublata fuerunt, reposita fuere. *Dio, & Iosephus lib. 7. de bello c. 24.*

Aquas Curtiam, & Ceruleam, à Diuo Claudio perductas, posteà vero intermissas, delapsasque per annos nouem, suis sumptibus vrbi restituit Vespasianus princeps, *vt colligimus ex vetustissima inscriptione quæ Romæ legitur.* Multas præthereà vias publicas, superiorum temporum negligentiâ corruptas instaurauit. *Teste antiquo lapide marmoreo, ante ædes Conseruatorum, in vrbe posito.*

Colossus cum effigie Neronis, vel Titi, centum pedum altitudine, *vt scripsit Dio*; vel centum & septem, *vt Eusebius*; aut centum & nouem, *vt Plinius lib. 34. cap. 7. vbi ait Soli consecratum fuisse*, erigitur anno Christi septuagesimo septimo, Vespasiani sexto.

PRODIGIA.

Bos in Etruria prolocutus est, anno Christi septuagesimó primo, *auctore Tacito lib. 5. Historiarum.* Apparuit & Cometes, solesque duo, quorum vnus pallidus, alter verò lucidus, *ita Dio in Vitellio.* Cupressus insuper altitudine conspicua, in agris euersa, postera die, eodem vestigio resurgens, procera & lætior reuiruit, eodem anno. *Tacitus.*

CALAMITATES.

Tiberis immenso auctu, prorupto ponte sublicio, & strage obstantis molis, refusus, non modo recentia, & plana vrbis loca, sed secura eiusmodi casuum impleuit: rapti plerique è publico, plures in tabernis, & cubilibus intercepti; Fames in vulgus, inopiâ quæstus, & penuriâ alimentorum inducta; corrupta stagnantibus aquis insularum fundamenta; dein remeante flumine dilapsa, anno Christi septuagesimo primo,

Othone Imperatore. *Tacitus lib. 1. Historiarum.*

Eodem principe regnante, Placentiæ, ciuitate Galliæ Togatæ, ad Trabeium amnem in Padum influentem, amphitheatrum extra muros situm conflagrauit. *Tacitus lib. 2. Historiarum.* Romæ item, Vitellio regnante, sacræ Iouis Capitolini ædes incensæ sunt. *Tacitus lib. 3. Historiarum.*

Templum Hierosolymitanum toto orbe augustissimum decimo die mensis Augusti, quod aliàs à Rege Babylonis fuerat concrematum, fœdissimis flammis exhaustum fuit, anno Christi septuagesimo secundo, Vespasiani Imperatoris primo; anno verò à prima structione per Salomonem facta, millesimo centesimo tricesimo, mense septimo, die decima quinta; à posteriori autem per Cyrum Regem peracta, sexcentesimo tricesimo nono, & quadragesimo quinto die; reliqua ædificia solo æquata. *Teste Iosepho lib. 7. c. 9.* De hoc excidio plura habet *Tacitus lib. 5. Historiarum, Suetonius, Plutarchus, Minutius Felix, & alij.*

Ciuitates tres in Cypro periere terræ motu, anno Christi septuagesimo nono, Vespasiani Imperatoris octauo. *Eusebius in Chronico.*

Tanta pestis Romæ grassata est anno Christi octogesimo, Vespasiani Imperatoris nono, vt per multos dies, decem ferme mortuorum millia, in Ephemeridem, à Libitinariis quotidie referentur. *Eusebius loco citato.*

RES BELLICÆ.

Motus magnus in Germanicis legionibus exortus est anno Christi septuagesimo primo. Roxolani Sarmatæ in Moësiam irruperunt, sed repulsi, & cæsi. Seditio Romæ, & tumultus Prætorianorum ingens enatus, qui senatum vniuersum, ad cædem deposcebant, vt Othoni Imperatori infidum. *Tacitus lib. 1. Historiarum.*

Otho princeps Narbonensem classem, contra Vitellianum, in Galliam duxit: In Corsica motus aliquis temeritate prætoris. Cæsinna Italiam intrauit, & Placentiam oppugnauit; sed cum infamia, & strage magna repulsus fuit. Fabius

Valens

Valens Ticinium venit, vbi seditio in eum facta, quâ compositâ, Cæcinnæ rapido agmine iungitur. Haud procul Bedriaco pugnatum; Victi Othoniani, non tamen fracti; Othone mortuo, militum imperus factus est in Virginium; Albinus in Africa victus, & eæ prouinciæ Vitellio adiunctæ, qui mox magno, ac minaci exercitu vrbem ingressus est. *Tacitus lib. 2. Historiarum.*

Vespasiani copiæ sub idem tempus Italiam petiere, duce, ac motore Antonio primo; Classis Rauennas ad Vespasianum deficit; Alienus Cæcinna à milite vinctus, captusque; prælium Bedriacum commissum, quo victi Vitelliani; Castra ad Cremonam vrbem Galliæ Cisalpinæ, non procul à Mantua oppugnata sunt, & tandem expugnata, vbi magna strages; paulo post in vrbe omne genus cladium. Fabius Valens contra Antonium venit; verum cum paucis aufugit, & in mari oppressus est. Britannia turbata est, Germania item, & Dacia. Vespasiani duces Romam profecti sunt; Vitellius insidere Apeninum iussit, sed belli mox pertæsus, paciscitur cum Sabino, Vespasiani fratre, quod pactum Germanici milites ruperunt, ipsumque Sabinum in Capitolium compulerunt, obsederunt, expugnarunt, incenderunt. Vespasiani exercitus vrbem ingressus, omnia ferro, ac sanguine miscuit. *Tacitus lib. 3. Historiarum.*

Initia, & motus Germanici belli fuere anno Christi septuagesimo secundo, Vespasiani primo, quod duce Ciuili, Bataui primi cômouerunt; post eos Caninifates præsidia, atque Castella Romana eiecerunt; Aquileium primipilaré debellarunt; mox Mumium Luperculum, legatum: Batauorum veteranæ cohortes ad Ciuilem abiere, quas transitu arcere Herennius Gallus conatus est; Castra vetera à Ciuili obsessa; seditio Romanorum militum aduersus Herdeonium orta; summa belli Voculæ permissa, is in Ciuilem duxit, ac primo victus, conita spem victor extitit. Treueri, & Lingones à Romanis defecerunt, ac reliquæ Galliæ nutarunt: ipsæ legiones, cohortesque Romanæ parum fidæ, à Gallis corruptæ fuere.

Lingones à Sequanis fusi; Romæ imperium periclitari visum. Domitianus cum Mutiano ad hoc bellum accingitur.

Petilius Cerealis Treueros magnâ pugnâ deuicit. Defectores plerique ad Romana signa rediere; Paulopost acre iterum certamen cum Ciuili, & Classico, cuius initium ambiguum, finis vero, Romanis lætus fuit. *Tacitus lib. 4. Historiarum.*

Titus Vespasiani filius Alexandriâ Palæstinam repetens, anno Christi septuagesimo secundo, cum Cæsaream peruenisset, omnia, quæ ad expugnationem ciuitatis Hierosolymitanæ necessaria erant, comparauit. Instabant dies Paschæ, quo tempore incredibilis conuenarum numerus concesserat; Quare maturauit tunc princeps, exercitum vrbi admouere, omnesque vias obstruere, ne quis egredi posset, quò citiùs eos fames opprimeret, quæ haud diu cuncta infelicem populum extrema pati coëgit. Capta itaque est vrbs octauo mensis Septembris die, anni Christi septuagesimi secundi, ipso die Sabbathi. *Dione teste.* à Christi morte anno tricesimo octauo; ex quo fuit condita, bis millesimo centesimo septuage[illegible]o septimo; à Rege Dauide millesimo, centesimo, septuagesimo. Templum combustū; ædificiorum strages magna; Iudæorum vndecies centena millia ferro, fame, aut peste periere, totiq. genti iam subactæ imperatum, vt didrachma (nummum scilicet duas continentem drachmas, *vt vult Budæus*) Ioui Capitolino penderet, anteà vero templo. *Iosephus de bello lib. 7. c. 17. & 18.*

Clades Antiochi Regis Comagenæ (quæ est pars Syriæ, supra Ciliciam, trans Amanum montem, excurrens vsque ad Mesopotamiam, à qua Euphrate fluuio dirimitur) partim irruptione Alenarum, partim dolo Cæsennij Pæti, qui Syriam administrabat, contigisse videtur, anno Christi septuagesimo quarto Vespasiani Imperatoris tertio; Is enim Samosatam Comagenæ ciuitatem illustrem, iuxta Euphratem sitam occupauit, Rege bellum contra Romanos ne cogitante quidem. *Iosephus lib. 7. c. 27.*

Alani prouincias Mediæ, cuius Rex Pachorus, & Armeniæ, cuius princeps Vologeses, variis incursionibus, atque depopulationibus euastarunt, anno Christi septuagesimo quinto, Vespasiani quarto. *Iosephus de bello loco citato.*

Frontinus dux magni nominis, validam atque pugnacem Silurum gentem armis subegit, virtutem hostium, & loco-

rum difficultatem eluctatus, anno Christi septuagesimo septimo, Vespasiani Imperatoris sexto. *Tacitus in vita Agricolæ.*

TRIVMPHI.

Titus Vespasiani filius, inclitum vna cum patre, de debellata Iudæorum gente, triumphum egit, anno Christi septuagesimo tertio, Vespasiani Imperatoris secundo. In eo Ioannes, & Simon præcipui Iudæorum duces, cum septingentis viris, virtute, sanguine, ac fama clarissimis, captiui ducebantur; Templique Hierosolymitani spolia, ac sacra vasa, cum lege Mosis, præferebantur; immo & balsami arbuscula translata, quâ, vt olim Pompei, ita ipsius triumphus ornaretur; victoriæ prætetea insignia, quæ *Iosephus fuse describit lib. 7. de bello Iudaico cap. 24.* Hæc Romæ hactenus visa sunt ad radices montis Palatini, in arcu triumphali insculpta, inter quæ templi Candelabrum, opus stupendum prorsus, eminebat.

REI INSIGNES.

Antonius Flamma crimine repetundarum petitus, in exilium mittitur anno Christi septuagesimo primo. *Tacitus lib. 1. Historiarum.*

Diogenes conuictus, quòd multa probra in populum iactasset, virgis cæditur Sabinus vero Gallus, reus factus, quòd Cæsarem se dixisset, Romam adductus morte mulctatur, vnà cum Peponila vxore, anno Christi septuagesimo secundo, Vespasiani Imperatoris primo. *Dio.*

Alienus, & Marcellus sub idem tempus defetuntur, quod contra Vespasianum Imperatorem coniurassent: primus in conuiuio occiditur; secundus in senatu damnatus, guttur sibi nouaculâ præcidit. *Vt refert auctor citatus.*

OBITVS ILLVSTRES.

Nimphidius, præfectus res nouas moliens Galbæ, Impera-

toris iussu interfectus est, anno Christi septuagesimo primo. Titus vero Vinius ante ædem Diui Iulij, primo ictu in poplite corruit, mox à Iulio legiodario milite in vtrumque latus transuerberatus. Piso item iuuenis magnæ spei à principe Galba adoptatus, è templo Vestæ extractus, periit in foribus. *Tacitus lib. 1. Historiarum.*

Sophonius Tigellinus, accepto supremæ necessitatis nuntio, inter stupra concubinarum, & oscula, sectis nouacula faucibus, infamem vitam, turpiori exitu defœdauit. Pacarius insuper Corsicæ procurator, auxilij inops, ab insulanis extinctus est, eodem Christi anno septuagesimo primo. *Tacitus lib. 2. Historiarum.*

Vitellij principis parens ætate fessa vitæ finem attigit, ipso Imperante. *Tacitus lib. 3. Historiarum.*

Calpurnius Galerianus, C. Pisonis filius, cui nomen insigne, & decora iuuenta, interemptus est anno Christi septuagesimo secundo, Vespasiani Imperatoris primo. *Tacitus lib. 4. Historiarum.*

Iulius Priscus prætoriarum, sub Vitellio, cohortium præfectus, manus sibi, sub idem tempus intulit. *Tacitus loco citato.*

FVNERA.

Interfecto Othone Augusto, funus eius maturatum est, id enim precibus ambitiosis expetierat, ne caput amputaretur, ludibrio futurum. Tulere corpus prætoriæ cohortes vasto cum luctu, vulnus, manusque ipsius exosculantes; quidam militum iuxta rogum propriâ dexterâ ceciderunt, non noxâ, neque ob metum, sed æmulatione decoris, & caritate principis.

DECAS NONA.

VESPASIANI IMPERATORIS Obitus.

VESPASIANVS Auguſtus annum agens ætatis ſexageſimum nonum, & diem triceſimum ſeptimum, è viuis in villa propria, circa Sabinos abreptus eſt, octauo Kalendas Iulij, anni Chriſti octogeſimi primi, principatus decimi, ducendo annorum numerum ab eo die, quo in Ægypto primò acclamatus eſt Imperator; ille ſiquidem dies, *inquit Suetonius*, veluti natalis Imperij, à multis receptus fuit: alij tamen à nece tantùm Vitellij; alij ex quo per ſenatuſconſultum rerum potitus eſt, Imperij numerum ſumpſere. *Baronius.*

ICON
VESPASIANI IMPERATORIS.

FLAVIVS *Vespasianus, genere obscuro, cæteris principibus impar quidem, sed non virtute ac rerum gestarum gloria; vtpote qui Tribunus militum in Thracia; Quæstor in Creta, & Cyrenis; Prætor sub Caligula; & sub Claudio Legatus in Germania; dein in Britanniam translatus, vicies & bis cum hoste conflixerit, viginti oppida, & insulam Vectem, Britanniæ proximam, Imperio adiecerit: denique à Nerone principe ad pacandos Iudææ motus cum valida manu missus, permultas Iudæorum vrbes, quâ armis, quâ consilio ceperit. Imperium annis decem, minus sex diebus sapienter tenuit; Rempublicam pene collapsam restituit; Triumphum cum Tito filio de Iudæa egit; Achaiam, Lyciam, Rhodum, Byzantium, Samum, quæ liberæ anteà, Thraciam item, & Comagenam, quæ sub amicis Regibus erant, in prouinciæ formam redegit. Vrbem ruinis deformem, nouis ædificiis exornauit; Capitolium extruxit, Amphiteatrum inchoauit, templum Pacis erexit; Crebras per orbem Romanum ciuitates, terræ motu, vel incendio afflictas, restaurauit; Rhetoribus, atque Poëtis annuam mercedem constituit. Tandem fato proximus, in has erumpens voces, Imperatorem stantem mori oportere, decessit.*

TITI IMPERATORIS GESTA, & Obitus.

VEſpaſiano mortuo, Titus ipſius filius Imperium aſſumpſit, anno Chriſti octogeſimo primo. Berenicem, quam in deliciis habuerat, ab vrbe, inuitam dimiſit, ne à populo, fœdo amore deflagrare crederetur. Duos patricij generis, initæ ſub idem tempus aduerſum ſe coniurationis conuictos, in eadem familiaritate, qua anteà, habuit. *Eutropius, & Suetonius.*

Ad Campaniam, quæ ingenti arſerat incendio, viſendam proficiſcitur, anno Chriſti octogeſimo ſecundo, principatus primo, cui parentis officium præſtitit, curatoreſque, ad reſtauranda damna, è Conſularium numero, ſorte eduxit: bona eorum, qui Veſuuij flammis perierant, & quorum heredes non extabant, ad reſtituendas, ciuitates ignibus abſumptas conceſſit. *Suetonius.*

Romanæ vrbis deflagratione, nihil ſibi, niſi publicè periiſſe teſtatus eſt: eaptopter, prætoriorum ſuorum ornamenta, operibus, ac templis deſtinauit: Muſſonium item Rufum philoſophum ab exilio reuocauit. *Suetonius, & Euſebius in Chronico.*

Delatores, mandatoreſque aſſiduè in foro, flagellis, fuſtibuſque cæſos, ac nouiſſime traductos per Amphitheatri arenam, partim ſubiici in ſeruos, partim in aſperrimas inſulas deuehi imperauit; Vetuitque inter cetera, de eadem re pluribus legibus agi, quæriue de cuiuſquam defunctorum ſtatu, vltra certos annos. *Suetonius.*

Munus edidit apparatiſſimum, largiſſimumque; Grues inuicem, & quatuor Elephanti depugnarunt; pecorum, ferarumque nouem millia à militibus interfecta fuere; poſtridie ludi Circenſes exhibiti; tertio die, nauale prælium trium millium hominum, commiſſum; poſt hæc terreſtris pugna conſecuta: Hæc vero ſpectacula per centum dies traducta, plebique magnopere grata, atque vtilia fuere, jaciente identidem in theatrum Tito principe ligneos globulos, in quibus ſcripta erat nota alicuius eſculenti, veſtiſve, aut vaſis argentei,

vel aurei, equorum, aut iumentorum, vel etiam pecudum, aut mancipiorum; hos globos qui rapuiſſet, & ad ipſius diſpenſatores detuliſſet, illud omne, quod in eis ſcriptum fuerat, conſequebatur. *Dio.*

Tanta igitur, tamque inſigni rerum gloriâ conſpicuus, veneno, vt creditur, à Domitiano fratre propinato, purpurâ cum homine, ſummo totius vrbis, orbiſque mœrore, exuitur, idibus Septembris in eadem aula, qua pater, anno ætatis ſupra quadrageſimum, Imperij vero biennio, menſibus duobus, & diebus viginti, Deoſque inter relatus eſt. *Vt refert auctor citatus.*

ICON

TITI IMPERATORIS.

TITVS *Vespasianus, ex patre Vespasiano & matre Flauilla Domitilla natus, patratæ in Christum necis vltione inclytus, Adolescens Latinis, Græcisque litteris excultus; Tribunus militum in Germania, & Britannia militauit; Quæstor factus præfecturam legionum in Iudæa meruit; Hierosolymam crudeli oppugnatione, fame, ferro, flammaque conficit; Romam reuersus particeps, & Tutor Imperij creatus, cum patre de Iudæis triumphum egit; susceptâ patriæ causâ, non solum virtutum multitudine, sed etiam magnitudine claruit; ac inprimis tanta facilitatis fuit, vt nulli quidquam denegauerit, subinde habens in ore, Neminem ab Imperatore tristem debere discedere: Tantæ liberalitatis, vt cum aliquando inter cœnam, diem beneficio vacuum, abiisse meminisset, conuersus ad amicos dixerit, hunc diem sodales perdidi: Tantæ demum clementiæ, vt Pontificatus dignitate ornari voluerit, ne sanguine manus pollueret, aut cuiusuis necis auctor, vel conscius esset. Amphitheatrum perfecit, dicauitque: spectacula magno cum apparatu centum dierum spatio exhibuit; adeóque carus summis, infimisque fuit, vt humani generis deliciæ diceretur, sed biennij Imperij breuitas, tantum bonum, carius reddidit.*

T.

DOMITIANI IMPERATORIS *Gesta.*

DOmitianus, Tito fratre sublato, in Imperium euectus est, anno Christi octogesimo quarto; Initio principatus castrari quemquam, intra fines Imperij prohibuit; Magistratibus vrbicis, prouinciarumque præsidibus coërcendis tantùm curæ adhibuit, vt neque modestiores vnquam, neque iustiores extiterint: Licentiam identidem amouit; Quæstorium virum, qui gesticulandi, saltandive studio tenebatur, è senatu ablegauit; scripta famosa vulgò edita, quibus viri primates, & feminæ notabantur, abrogauit. Spectacula edidit sumptuosissima, non solum in Amphitheatro, verum etiam in circo, vbi præter solemnes bigarum, quadrigarumque cursus, prælium duplex, equestre, & pedestre commisit, immo & venationes, gladiatoresque, & nocturnos ludos. *Dio, Suetonius, & alij.*

Legem Iuliam de Adulteris, sub idem tempus restituit; seuerissimas in nobilium feminarum impudicitiam, ipse impudicissimus, cum nepti Iuliæ stuprum intulisset, sanctiones tulit, lecticæque vsum, atque ius capiendi legata, & hereditates, ipsis ademit. *Eusebius & Suetonius.*

Primus, solusque ex priuatis ciuibus, atque Imperatoribus Consul in decem annos designatus est, & Censor quandiu viueret: immò etiam concessum, vt veste triumphali vteretur, cum in senatum veniret. *Dio.*

Larua humanitatis depositâ, anno Christi octogesimo quinto, principatus secundo, immani seueritate in ciues desæuire cepit, quosdam exilio mulctans, alios supplicio. *Suetonius.*

Philosophos, edicto iterato, ab vrbe & Italia expulit, sub idem tempus. *Philostratus lib. 7. scribit*, quosdam mutato habitu in Hispaniam, alios autem in Lybiam, Scythiæque deserta confugisse: alios denique, sese illi scelerum consiliarios

adiunxisse, inter quos fuit Euphrates, quem citatus auctor, ex philosopho, assentatorem factum fuisse, & delatorem, *refert Eusebius in Chronico.*

Quinquennale certamen Ioui Capitolino instituit, anno Christi octogesimo octauo, principatus quinto, à quo tempore, anni per agones numerati sunt: Porro Agon quarto quoque anno exacto, quinto inchoabatur; Hunc verò agonem Capitolinum, lustrum vocari, in veteribus scriptoribus, *testatur Scaliger lib. 5. de Agone;* Vbi obseruat certamen illud fuisse triplex, musicum, Equestre, & gymnicum, in quo etiam mulieres in stadio decertabant.

Eò Vesaniæ venit, vt se Deum, ac Dominum iusserit appellari, anno Christi octogesimo nono, principatus sexto; cautumque fuerit, vt ne scripto quidem, vel sermone, aliter nominaretur: Hinc illud assentatoris Poëte lib. 8. Epigrammatum, *Edictum Domini Deique nostri.* Immo & Deæ Palladis, quam inter cetera numina impensè colebat, filius dici voluit; Eapropter in Albano, Quinquatria Mineruæ, quotannis celebrabat, cui Collegium instituit, ex quo sorte ducti, magisterio fungerentur, ederentque eximias venationes, & scenicos ludos, oratorumque, ac poëtarum certamina; Aurigarum item duo genera adiunxit, quorum vnum aureum, alterum argenteum appellauit, multa insuper spectatoribus, summa munificentiâ largitus est. *Dio.*

Statuas aureas, argenteasque, in omni fere Romano orbe erexit; Dauidis item progeniem extingui curauit, Vespasiani patris hac in parte æmulus. *Eusebius in Chronico. Dio. & Suetonius.*

Ludos sæculares anno Christi nonagesimo, principatus septimo, Romæ exhibuit. *Eusebius loco citato*, vbi asserit eundem principem, expeditionem duxisse in Cattos.

HEROES.

Sanguine, Gestis, & Politiâ.

C. Iulius Agricola Britanniæ præerat; illi triumphales ho-

nores, ob res feliciter gestas in illa Insula, quam Romanorum primus comperit, decreti fuere; Imperium insuper in Britannia, vltra solitos limites protulit anno Christi octogesimo nono, Domitiani Imperatoris sexto. *Tacitus in vita Agricolæ.*

Decebalas Dacorum Rex, re militari illustris, in cognoscendis rebus bellicis perspicax; in agendo solers; rectè inuadendi, atque opportunè recedendi gnarus; Insidiis locandis artifex; In præliis manu promptus; denique tam victoriâ probè vtendi, quàm cladi acceptæ probe medendi peritus, Romanorum hostem infensissimum se præbuit. *Dio.*

Chariomerus Cheruscorum Rex à Cattis eiectus è suo solio, quod Romanis faueret, eosque antiquâ coleret amicitiâ. *Auctor citatus.*

Masyus, princeps Nasamonum, apud omnes proceres celeberrimus fuit; à Domitiano Imperatore perhumaniter exceptus fuit, vnà cum Ganna virgine, quæ post Validam, in Celtica Vates oracula reddebat. *Dio.*

Fuscus laude bellica insignis Romanum exercitum regebat in Germania, anno Christi octogesimo octauo, Domitiani Imperatoris quinto. *Nicephorus, & Iornandes.*

Attilius Rufus vir Consularis Syriam administrabat; Cerealis Asiam; Antonius Germaniam; & Flaccus Numidiam. *Dio, & Zonaras.*

VIRI ERVDITI.

Iulius Higynus, vir de litteris benè meritus, scripsit de mundo, & sphæra, opus de signis cælestibus, in quatuor libros distinctum. Commentarios in Virgilium, qui non extant; & librum de arte, quâ loca opportunè capi, & stationes in castris ordinari possint. *Volaterranus.*

Seruius Sulpicius, patricius, ac nobilis, Orator eximius, & Iurisconsultus peritissimus, librum vnum de dotibus, alterum de nuptiis, duos item de sacris disceptandis, aliaque permulta edidit opera. *Philippus Bergomensis, & Volaterranus.*

Marcus Fabius Quintilianus, Rhetor, ac Philosophus ce-

libertinus, natione Hispanus, è ciuitate Calaguritana; patre vsus erudito viro, & in reipublicæ administratione honestissimè versato, *vt vult Eusebius, & Angelus Politianus.* A Galba Cæsare, adolescens Romam perductus, Domitiani Imperatoris nepotes erudiit; in vrbe ludum aperuit, mercede publica donatus; tum inter patricios insertus, siue iure Tatij, siue principum liberalitate, quod multis factitatum videmus, vt Plinio iuniori: Declamationes nouemdecim; Oratoriarum verò institutionum sexdecim libros nobis reliquit, adeò vtiles, vt D. Hieronymus eos se diligenter perlegisse profiteatur; Hi tamen, *teste Philippo Bergomense*, cùm annis fermè sexcentis in tenebris latitassent, tandem à Poggio, viro eruditissimo, Florentino, in quodam ipsius ciuitatis monasterio integri reperti, anno Christi millesimo quadringentesimo decimo quarto, tempore Concilij Constantiensis, eius ope transcripti, & emendati fuere. *Gesner. & alij.*

Statius Papinius poëta illustris, Neapolitanus, Sellis tamen, Epirotico oppido oriundus, magni nominis fuit apud Domitianum, *vt refert Gyraldus, dialogo quarto de poëtis.* Syluarum libros quinque, Thebaïdos duodecim; Achilleïdos duos, opus inchoatum, & infelici fato abruptum, versu heroïco contexuit; Adde insuper Agauen tragœdiam; Hæc erat filia Cadmi, & Hermionis, vxorque Echionis, quæ in furorem versa Pantheum filium Regem Thebanorum, in Orgiis Bacchi suis manibus dilaniauit. *Gesner, & Philippus Bergomensis.*

Claudia Rufina mulier nobilissima, linguæ Latinæ, atque Græcæ perita, scripsit librum Epigrammatum; Elegiam in mariti obitum, & alia in vtroque scribendi genere non pauca. *Gesner.*

Marcus Aurelius Martialis, natus Bilbili, in Hispania, patre Frontone, & Flacilla matre; Romam propter ingenij sui magnitudinem se contulit. *Plinius Iunior* vocat eum ingeniosum, acutum, & acrem, vt qui plurimum in scribendo, & salis haberet, & fellis, nec candoris minus; libros Epigrammatum quatuordecim composuit. *Philippus Bergomensis.*

Iuuenalis Aquinas, humili natus genere, poëta satyricus, Romæ claruit hoc tempore; verùm cùm in suo poemate Pa-

ridem, Pantominum Domitiani, ac nonnullos alios notaſſet, vrbe, honoris ſpecie ſubmotus, ad præfecturam cohortis, Ægypti extrema perentis mittitur. *Philippus Bergomenſis.*

Stella Patauinus, poëta non ignobilis, multa compoſuit opera, *vt aſſerit auctor citatus*; Vxoremque Violentillam nomine, & eiuſdem literaturæ peritam habuit.

NATALITIA AVGVSTA.

Antonius Pius, futurus Imperator naſcitur Kalendis Octobris, ſub Domitiano duodecimùm, & Cornelio Dolabella conſulibus, anno Chriſti octogeſimo octauo. *Iulius Capitolinus.*

OPERA PVBLICA.

Titus Imperator Amphitheatrum Romæ conſtruxit, anno Chriſti octogeſimo ſecundo, principatus primo, in cuius dedicatione ferarum quinque millia cecidit. Adde inſuper Thermas, non longè diſtantes ab Eccleſia ſancti Martini in montibus, vocanturque Capaces, ob aquarum capacitatem. *Dio, & Euſebius.*

Templa ſub Tito principe Romæ exuſta, ac præſertim Iouis Capitolini ſummâ impenſâ reſtituenda curauit Domitianus Imperator, anno Chriſti octogeſimo ſexto, principatus tertio. Præterea noua alia, ac inprimis Iuliæ gentis, in ſexta regione condidit, quando Flauios conſtituit Sacerdotes. *Suetonius.*

PRODIGIA.

Ingens hominum numerus ſtupendæ magnitudinis in Veſuuio monte, antequam conflagraret, regioneque finitima, interdiu, noctu verò in aëre, ſpectandum ſe dedit, anno Chriſti octogeſimo primo, initio principatus Titi Imperatoris. *Dio.*

CALAMITATES.

Srupenda illa, ex monte Vesuuio, flammatum eruptio, quam *Dio asserit* autumni tempore contigisse, *Plinius autem epistolâ ad Tacitum Kalendis Septembris, horâ septimâ*, accidit anno Christi octogesimo primo, quâ, Vesuuius mons nunquam hactenus atrociori incendio conflagrauit, maiorique incolarum incommodo, ac terrore. Principium auditi sonitus subterranei, ac repentinus fragor, quasi montes simul conciderent; Dein mare fremere, cælumque quò quò versus mugire, atque horrendum detonare cepit; Tellus tanta, tamque vehementi succussione commota fuit, vt Herculanium, & Pompeij, Campaniæ vrbes, populo sedente in theatro, funditus perierint; Tum monte, hiatu maximo, fatiscente, fumi, flammæ, cinerisque, ac lapidum vis magna erupit; fumus non Campaniam modo, sed alias quoque circùm oras oppleuit; flammarum impetu, & copiâ, multi homines absumpti; arbores combustæ, atque ædificia immensa. Cinis, arborum, ac domorum æquauit culmina; Quin Africam vsque, & Asiam, atque Ægyptum peruenit; Immo Romæ pluisse, aërem infecisse, solem obscurasse, grauemque pestilentiam induxisse proditur.

Roma eruptione Vesuuij iam satis afflictatâ, igne cælitus immisso per triduum bacchante, noctu, diuque, miserè vastata fuit, anno Christi octogesimo secundo, Titi Imperatoris primo. Periere eo incendio, aut saltem deformata superfuere, *inquit Suetonius, & Dio in Tito*, præter priuatas ædes, templa, aliaque publica ædificia complura, Serapiani septa, Isium, Neptuni fanum, balnea Agrippæ, Diribitorium, Pantheon, Theatrum Galbæ; scena Pompei; Octauiana ædificia, vnà cum libris, Templum Iouis Capitolini, cum proximis sacellis, & innumera penè alia.

RES BELLICÆ.

Cn. Iulius Agricola, Britanniæ præfectus, Britannos per-

domuit anno Christi octogesimo secundo, Titi Imperatoris primo, crebrasque reportauit victorias. *Tacitus in vita Agricolæ.*

Picti relicta Scythia, nouas quærentes sedes, Britanniæ maioris partem borealem inuaserunt, victisque incolis domicilium ibi fixerunt, anno Christi octogesimo septimo, Domitiani Imperatoris quarto. *Polydorus lib. 2.*

Exercitus Romanus, occiso duce Fusco, profligatus fuit à Rege Daciæ, anno Christi octogesimo octauo, Domitiani Imperatoris quinto. *Nicephorus & Iornandes.*

Continuatur bellum Britannicum magno incolarum damno, anno Christi octogesimo nono, Domitiani Cæsaris sexto; resque Romanorum in Britannia promouit Agricola. *Tacitus.*

Dacicum bellum exortum contra Regem Decebalum, in quem ducto exercitu, Domitianus multam belli partem attigit; posteà victus à Marcomannis, & fugatus, cum Decebalo pacem iniit. *Dio lib. 67.*

REI INSIGNES.

Tres Virgines Vestales stupri crimine conuictas, viuas, more maiorum, infodi iussit Domitianus, anno Christi octogesimo sexto, principatus tertio. *Eusebius in Chronico.*

OBITVS ILLVSTRES.

C. Plinius secundus, Historiæ naturalis auctor, cùm ad Vesuuianum incendium perscrutandum propiùs accessisset, extinctus est, anno Christi octogesimo primo, *vt testatur Plinius Iunior, ipsius nepos, lib. 6. Epistolarum, Epistola 6. ad Tacitum.*

DECAS DECIMA.

DOMITIANI IMPERATORIS, *Gesta, & Obitus.*

Spectacvlvm magna cum pompa, in qua virgines decertarunt, edidit anno Christi nonagesimo primo, principatus octauo. Post hæc, triumphales dies, & varia certamina, prælijs peditum, equitumque commissis, naualesque pugnas, iustarum penè classium, hoc est magnarum, effuso, & circumstructo iuxta Tyberim lacu, in quibus non solum omnes ferè qui depugnarunt interiere, verum etiam spectatorum magna pars, ob fœdam derepente subortam tempestatem; eapropter nocturnum epulum publicè populo præbuit, solandi causâ. *Suetonius, & Dio.*

Sed vt populo, ita etiam paulopost, primoribus senatorij, & equestris ordinis funebrem cænam dedit, seu potius horrendum territamentum aulæ, in qua eos excepit. Parietes enim, laquearia, sedilia, immò & pauimenta ipsa, pullato colore vndequaque erant obducta; Iuxta vnumquemque, columnam, earum instar, quæ in sepulchris adhibentur, collocauit, in qua ipsius nomen inscriptum; Tum ex ea paruulum lychnuchum, vt in monumentis solet, suspendit. Pueri atramento obliti, subinde ingressi, veluti quædam spectra insolenti saltatione circumire, modò ad pedes subsistere, modò verò funereæ epulæ, in vasis horrenda nigredine imbutis, deferri cæperunt. Altum omnium silentium, nec alij principis sermones, quàm interrupti, & identidem iactati, de cædibus, sanguine, atque cruenta carnificina; quæ omnia non inanem miseris conuiuis inieecere mortis imminentis timorem. At præmissis famulis, qui vestibulis ædium substiterant, tandem metu solùm plenos, lecticis, aliisque vehiculis deportari ad proprios lares curauit; quos vix quisque suos subierat,

respirare ex tanto periculo incipiens, cum adhuc adesse ab Imperatore quosdam, nuntiantur; rursum noui metus, peti se ad necem nemo non putat, cùm tamen tanti mali loco, augusta principis munera, argenteas nimirum columnas, aut vasa magni pretij, ex iis quæ in cæna apposita fuerant, alij ab aliis nuntiis acceperunt. Postremò puer ille qui Dæmonis formâ ad pedes iacuerat, laruâ depositâ, perpulchro corpore, variisque indutus ornamentis prodiit. Hos Domitianus Imperator funebres triumphos egit, eorum causâ, qui partim in Dacia, partim Romæ interierant. *Dio in Domitiano.*

Iudæis Romæ agentibus adeo grauis, & molestus fuit, vt eos ex singulis agrorum arboribus, quos colerent, tributum pendere coëgerit, anno Christi nonagesimo quarto, principatus vndecimo; quo etiam tempore Germanici cognomine assumpto, ob victoriam de Germanis reportatam, Septembrem mensem Germanicum, & Octobrem Domitianum appellauit; eò quòd altero suscepisset Imperium, altero verò natus fuisset. *Eusebius, Dio, & Suetonius.*

Ob summam vini copiam, frumenti verò inopiam, existimans nimio vinearum studio arua negligi, prohibuit seuerissimè anno Christi nonagesimo quinto, principatus duodecimo, ne quis in Italia nouellaret, vitesque sereret; quin immò Vineta in Prouinciis succidi iussit. *Suetonius & Eusebius.*

Mathematici atque Astrologi iterato illius edicto vrbe pelluntur, anno Christi nonagesimo octauo, principatus decimo quinto. *Eusebius.*

Tandem omnibus, ob nimiam crudelitatem exosus, à Stephano, Clementis Consulis liberto confoditur; Hic enim ad colloquium Tyranni admissus, libellum coniurationis indicem porrigere se simulans, exerto gladiolo, diutius licet obluctantem confecit Romæ in palatio. *Dio, & Suetonius.*

ICON

DOMITIANI IMPERATORIS.

DOMITIANVS *Vespasiani ac Domitillæ filius, Titi frater, eiusque laudis æmulator, primis annis moderatus in Imperio fuit; Leges optimas tulit; tenacem se Iustitiæ præbuit, & popularem; spectacula sumptuosissima siue in circo maximo, siue in Amphitheatro assiduè edidit, vbi etiam naualem pugnam commisit; seculares ludos exhibuit; Quinquennale certamen Ioui Capitolino triplex instituit, musicum, equestre, & gymnicum: Expeditiones quatuor habuit, vnam aduersus Sarmatas, alteram aduersus Cattos, & duas in Dacos. Duplicem de Dacis, Cattisque triumphum egit, magnisque vtrumque emptum cladibus; Lauream verò solum de Sarmatis obtinuit; Romæ multa opera extruxit; Verum hanc, si quæ fuit, gloriam altissimè obruit admixta, aut superueniens vitiorum turpitudo; Quàm enim immemor maiestatis, qui sepositum quotidie tempus habuit, quo muscas captans, stylo configeret. Vnde cuidam interroganti, esset ne quis intus cum Cæsare, non absurdè responsum sit à Vibio Prisco, ne musca quidem: Quàm superbus, qui nullam sibi nisi auream, vel argenteam statuam in Capitolio poni voluit; Immò Dominum se, ac Deum appellari iussit? Quàm crudelis, qui nobilissimos quosque Senatorij ordinis viros interfecit, & ab Eusebio heres sæuitiæ Neronis; à Tertulliano, Neronis portio; ab*

Ethnicis, nomine ipso, Nero vocari meruerit? Quàm libidinosus, qui inter vulgatissimas meretrices, diu, noctuque versatus est? Ob hæc, & alia infinita penè scelera, vniuersis exosus, Romæ, suorum coniuratione, periit in palatio, anno ætatis quadragesimo quinto, Imperij decimo quinto, & die quinto, Christi denique nonagesimo octauo.

NERVÆ IMPERATORIS, Gesta, & Obitus.

EXtincto Domitiano, Nerua Cocceius senatus, militumque suffragio salutatus est Imperator, anno Christi nonagesimo octauo; Statuas omnes, tùm aureas, tùm argenteas, quæ in Domitiani honorem erectæ fuerant, conflauit. Arcus triumphales euertit, iussitque vt Octobris nomen, quod tyrannicè inuaserat, quasi infaustum vocabulum ex omni ære atque marmore eraderetur. *Dio, & Macrobius.*

Exules in patriam reuocauit; Impietatis in Deos conuictos absoluit; Iudæis grauissima tributa, quibus Domitianus Cæsar eos oppresserat, remisit, vt constat ex principis nummo his verbis inscripto. FISCI IVDAICI CALVMNIA SVBLATA. Vetuitque quempiam eiusdem sectæ virum dehinc insimulari; statuas aureas, vel argenteas respuit, & adempta per iniuriam bona restituit. *Dio.*

Ad sustentandam ciuium vitam decies & quinquagies nummorum centena millia erogauit; immò quosdam senatorij ordinis, qui agros emerent, egenisque diuiderent, elegit. *Dio.*

Exhaustus munerum sumptibus, atque impensis, vestes primo, tum vasa aurea atque argentea, pretiosamque supellectilem auctioni subiecit; amicos ingentibus beneficiis auxit; sacrificia quædam, equorum cursus, certamina, ac spectacula, vt impendia leuaret, sustulit. *Dio.*

Iurauit in curia senatorum neminem occisum iri eo iubente; quod Sacramentum, quamuis insidiis petitus, illiba-

tum ſeruauit; legemque rogauit, ne mares caſtrarentur, neve quis neptem in vxorem duceret. *Dio.*

Ceterum cum iam ſenio fatiſcentem ſe, & continuis morbis langueſcentem conſpiceret, conſulturus Romano orbi, Traianum, qui tunc in Germania præerat, nulla habita ratione ſibi ſanguine coniunctorum, in filium adoptauit, Imperiique heredem conſtituit; Febre denique correptus annos ætatis agens ſexaginta quinque, menſes decem, & dies totidem, principatus annum vnum, menſes quatuor, & dies nouem, è rebus humanis ſexto Kalendas Februarij, anni Chriſti centeſimi, ſublatus eſt.

ICON

NERVÆ IMPERATORIS.

NERVA *Cocceius, Narniæ ciuitatis Vmbriæ, quæ est Italiæ regio, inter Apenninum, & mare Adriaticum, claris ortus natalibus, iam senex, Petronio secundo Præfecto prætorij, & Parthenio fauentibus, rerum potitus est; Priuatâ vitâ moderatus maximè, ac strenuus fuit, breuissimique principatus angustias, multis, ac magnis modestiæ, beneficentiæ, liberalitatis, clementiæ, iustitiæ, fidei, integritatis, aliarumque virtutum argumentis, quæ distributa longissimum certè explere potuissent, confecit.*

TRAIANI IMPERATORIS Gesta.

MOrtuo Nerua Cocceio, Traianus Cæsaris nomine auctus, quanquam nulla nobilitate illustris, tantumque ob rem feliciter contra Iudæos, sub Vespasiano gestam commendabilis, apud Coloniam Agrippinam inauguratus est, annum agens quadragesimumsecundum, *vt scribit Dio, & Iosephus de bello.*

Ipso principatus initio Neruam in Deorum numerum retulit impiè pius, *Plinio teste in panegyrico.* Constarque ex nummo, in quo hæc leguntur. DIVVS NERVA PERPETVVS. *Dio.*

Edicta quædam ad senatum misit, illudque imprimis, nullum virum bonum nece, aut ignominiâ affecturum. Quod

Sacramentum non solùm in præsens confirmauit, sed per totum Imperij tractum constanter seruauit; Tùm strictum ensem præfecto prætorij tradidit, his verbis; Cape ensem, & si bonus, pro me; sin malus, contra me vtitor. *Dio.*

HEROES.

Ælianus Cosperius, Præfectus prætorij sub Domitiano principe, & Nerua; Parthenius, cui ius gladij ferendi Domitianus Imperator concesserat, & Longinus Dux inter Romanos, rei militaris peritissimus. *Dio.*

Marcus Iunius Cappadociam, regionem Ponticam, à Cappadoce amne ita dictam, administrabat; Antonius verò Germaniam. *Auctor citatus.*

Iulius Caluaster adolescens, Domitiano principi carus, Tribunus militum, spe senatoriæ dignitatis obtinendæ, creatus fuit. *Dio.*

Agricola Britanniam regebat anno Christi nonagesimo quarto, Domitiani Imperatoris vndecimo, Romam à principe reuocatus, peracerbè exceptus fuit. *Tacitus in vita Agricolæ.*

Rufus Virginius, Vindicis interfector in Germania, à Romanis legionibus Imperator acclamatus, in Collegam à Nerua Augusto assumitur, anno Christi nonagesimo nono. *Plinius lib. 1. Epist.*

Longinus Proclus cum in Germania Domitiani principis necem prædixisset, quadraginta sestertia à Nerua Cæsare accepit.

Licinius Sura adeò diues, vt gymnasium propriis sumptibus, populo Romano construxerit. *Dio.*

VIRI ERVDITI.

Iosephus Iudæus, sacerdos Hierosolymitanus, Historicus celeberrimus ac philosophus, multarumque litterarum peritissimus, subactâ à Tito Galilæâ, capitur, vir sanè bonus, & qui de Christo benè sensit; Hierosolymorum perniciem futuram, Vespasiano verò, atque eius filio Tito, Romanam

rem breui administraturos, vt alter Propheta prædixit. Liberatur à seruitute, expugnatâ Hierosolymâ, & à Vespasiano principe summis cumulatur honoribus; Tum Romam perductus, ciuitate, ac Flauia familia donatur. Scripsit libros septem de Iudaïca captiuitate, non solùm Græcâ, sed patriâ linguâ, propter quos statuam Romæ meruit, *teste Hieronymo.* Alios item viginti de antiquitate Iudæorum, ab exordio mundi, vsque ad bellum Iudaicum, Græcè reliquit; Hos Romæ absoluit annò Christi nonagesimo sexto, ætatis quinquagesimo sexto, *vt ipse asserit.* Duos insuper aduersus Apionem Grammaticum Alexandrinum, & vnum contra Philonem. Adde alia permulta ingenij sui opera, à Rufino Aquileiensi latio sermone donata; *Philippus Bergomensis*, *Volaterranus, & alij.*

Iustus Tiberiadensis Historicus, Iosephi æmulus, in magno habetur pretio, *Eusebio auctore in Chronico*, anno Christi nonagesimo nono; Hic librum de re Iudaïca composuit.

Euphrates magni nominis philosophus hac tempestate claruit; de eo *sic Plinius lib. 1. Epist.* Multa in Euphrate sic eminent, vt doctos quoque aduertant, & afficiant, disputat subtiliter, grauiter, & ornate; frequenter etiam maiestatem illam Platonis effingit, sermo est copiosus, ac Varius, dulcis in primis, & qui repugnantes inducat, & impellat.

Pompeius Saturninus ingenio splendido, & doctrina singulari, eloquentia summa, & poëtica facultate insignis fuit.

Plutarchus Cheroneus, Philosohus, & Historicus illustris, Traianique præceptor, de quo *ita Policrates*; Fuit ille in sententiis fidelis, in verbis luculentus, & in sacrario morum magnus arbiter; Quatuòr in primis principi impensè commendabat, Dei scilicet reuerentiam, sui cultum, domesticorum disciplinam, & subditorum affectum; Vitas tum illustrium virorum Græcorum, tum Latinorum composuit; Homeri item, vbi asserit illum omne genus artium, ac sapientiæ coluisse, totamque philosophiam ex ipsius poëmate, tanquam fonte vberrimè profluxisse. Non omittam opus de proprietate linguæ Græcæ, seu dialectis, & moralia opuscula; Stylus illius grauis est, & medicatus, nec cuiuis clarus, nisi Græcis in litteris

ris maximè versato. *Philippus Bergomensis*, *Gesner*, *& Volaterranus*.

OPERA PVBLICA.

Varia Iani simulachra, arcusque triumphales penè innumeros, omnibus in vrbis regionibus erexit Domitianus Imperator, anno Christi nonagesimo primo, principatus octauo. *Suetonius*.

Mineruæ Chalcidiorum templum, vetustate corruptum instaurauit, anno Christi nonagesimo sexto, principatus decimo tertio. Diuorum item porticus, Vespasiani templum, Isium, Pantheon, nouamque ædem, seu sacellum in Capitolió, Custodi Ioui. *Eusebius in Chronico*, *& Cassiodorus*.

CALAMITATES.

Continuis octo mensibus, anno Christi nonagesimo octauo, Domitiani Imperatoris vltimo, cælum tot vibrauit fulgura, tamque horrendè detonuit, vt exclamarit princeps, feriat iam, quem volet. *Suetonius*.

Tactum de cœlo sub idem tempus Capitolium, domus Palatina, & Augusti cubiculum. *Suetonius*.

RES BELLICÆ.

Defecerunt ab Imperio non paucæ nationes, ex iis Numida aliqui contra Flaccum Prætorem, à quo breuì castigati fuere, anno Christi nonagesimo primo, Domitiani Imperatoris octauo.

Agricola dux, re militari illustris Britanniam subegit, crebrasque reportauit victorias, anno Christi nonagesimo quarto, Domitiani Imperatoris vndecimo. *Tacitus in Agricola*.

TRIVMPHI.

Domitianus Imperator triumphum de Cattis, Dacisque post varia cruenta certamina, magno cum apparatu egit;

lauteamque de Sarmatis, pro more solemni Ioui Capitolino retulir, in eiusque gremio deposuit, anno Christi nonagesimo primo, principatus octauo. *Suetonius.*

REI INSIGNES.

Saluius Cocceius reus factus, quòd Othonis principis patrui sui diem natalem celebrasset. Metius Pomposianus, quòd Imperatoriam genesim haberet, depictum etiam terræ orbem in membranis, concionesque regum, atque ducum ex Tito Liuio circumferret; seruisque nomina Magonis, & Annibalis dedisset. Salustius Lucullus Britanniæ legatus, quòd lanceas nouæ formæ, Lucullcas appellari passus esset. Iunius Rusticus quòd Thraceæ, & Eluidij Prisci laudes edidisset, vocaretque eos, Viros sanctissimos.

Cocceius Netua eodem anno Christi nonagesimo primo, principatus octauo, in exilium mittitur à Domitiano Imperatore, quòd cum Tyaneo consuetudinem habere compertisset, verùm breuí, ab eodem principe consul designatus est. *Philostratus, lib. 7.*

Apollonius Tyaneus Romam vocatus, sub idem tempus accusatur, quòd vaticinandi causâ, de futuro Netuæ Imperio, puerum occidisset, Deus haberi vellet, eosque coleret, quo Imperator odisset: perductus ad Domitianum principem, comâ, ac barbâ (quod philosophantium erat insigne) contemptus causâ, coram ipso radi, & inter sceleratos vinciri iussus est. Post hæc verò defensione habita, cùm eum munitum princeps retinere vellet, iniectis veluti tenebris, recessit inuisus, & Puteolis, nec opinatò in medium suspicientibus discipulis prodiit. *Philostratus.*

Mulier quædam rea habita est, quòd ante Domitiani statuam se exuisset, & morte mulctata, anno Christi nonagesimo tertio, Domitiani Imperatoris decimo.

Cornelia Maximilla virgo, Vestalium maxima, absens, & inaudita, à Domitiano Imperatore stupri damnata, viua sub terra more maiorum defossa est, anno Christi nonagesimo quarto, principatus vndecimo; cùm ipse fratris filiam incesto

non polluisset solum, verum etiam occidisset, *Vt refert Plinius Iunior, lib. 4. Epist. ad Munitianum, vbi rem immanitate Domitiani planè dignam egregie describit.*

OBITVS ILLVSTRES.

Apollonius Tyaneus, qui suis magicis artibus mundum dementarat, fatis concessit, anno Christi nonagesimo nono: qua vero morte incertum est, cum à se Damidem (quem hactenus habuerat secretorum suorum omnium conscium) Romam ad Neruam principem, quo familiariter vsus fuerat, ablegasset, ne exitus sui testem haberet, occultam experens mortem, vt immortalis crederetur, & in cælum translatus. *Philostratus lib. 8. in vita Apollonij. Lucianus in Alexandro, illius vitam, tragœdiam appellat.*

FVNERA.

Domitiani Imperatoris cadauer loculo plebeiorum inclusum, à vespellionibus delatum est, & à Phille nutrice in suburbio suo, Latinâ viâ funeratum. *Ita Suetonius.*

FINIS SÆCVLI PRIMI.

qui

SAECVLI SECVNDI DECAS PRIMA.

TRAIANI IMPERATORIS Gesta.

GERMANICI cognomen, ob insignes victorias, quas in Germania reportarat, adeptus, Imperijque insignibus, apud Coloniam Agrippinam, Galliæ Belgicæ vrbem celeberrimam, auctus, Romam venit, anno Christi centesimo primo, principatus secundo, breui iturus in Dacos. *Plinius in Panegyrico*, vbi eum plena manu collaudat, quod præsentis anni consulatum recusasset; vnde contigit priuatis, annum aperire, fastósque referere; cum tamen alij principes, honorem illum vehementer ambirent.

Interfuit, eodem anno, ipse candidatus comitiis tertij consulatus, *inquit citatus auctor*, quem auspicaturus erat anno sequenti, in quo adeò se æquum præbuit, vt abiturus magistratu, iurarit nihil se contra legem fecisse; Varia item, sub idem tempus, edicta constituit, multaque ad alendos in Italia pueros, largitus est. *Dio.*

Arma moturus in Decebalum Regem, vrbe cessit anno Christi centesimo tertio, principatus quarto; quo victo, Dacius est cognominatus. Regios insuper thesauros, hoc est immensam auri, argentique, ac cuiusque pretiosissimæ supelle-

ctilis copiam, quam ipse Decebalus, auerso Sargetiæ amnis cursu, in amplissima specu latissimè defossa, abdiderat, fortunatissimè reperit, anno Christi centesimo quinto, principatus sexto. Daciam præterea in prouinciam redegit, moxque coloniam in eam deduxit. *Eusebius in Chronico, & Dio.*

Dacico bello confecto, Romam repetentem anno Christi centesimo sexto, principatus septimo, plurimæ Barbararum gentium legationes, immò & Indorum, adiere; spectacula magno cum apparatu centum, & viginti dierum spatio Romæ edidit; In iis enim, decem ferarum millia cæsa fuere, & innumerabiles penè gladiatores exhibiti. *Dio.*

Athenas profectus, anno Christi centesimo septimo, principatus octauo, Chosrois Parthi legatos audiit, quibus, postquam in Syriam venisset, responsurum se esse, subdidit. Dein nobilem illam expeditionem suscepit, in quâ, vix Parthorum, atque Armenorum fines ingressus fuerat, cùm regionis illius Satrapæ, quin & ipsi Reges obuiàm prodeuntes, pretiosissimis quibusque muneribus, eum coluere, equumque ita edoctum duxere, vt ipsum adoraret, siquidem anteriores pedes, in morem supplicantis flectens, caput pedibus illius, qui proximus erat, subiecit. *Dio.*

Subactâ Armeniâ, multa ei senatus decreuit, illudque in primis, vt optimus appellaretur, sicut & Parthicus, captâ posteà vrbe Nisibi, ab Antiocho condita, vnde Antiochia nominata, & Ecbatanis ciuitate, maioris Mediæ metropoli, ac Parthorum regia, à Seleuco extructa.

HEROES.

Sanguine, Gestis, & Politiâ.

Adrianus futurus Imperator præturâ fungebatur, anno Christi centesimo tertio, Traiani principis quarto. Primæ legioni Mineruiæ præerat, secunda expeditione Dacica, anno Christi centesimo quinto, immò & adamante gemma, quam Traianus a Nerua acceperat, donatus fuerat, ac Tribunitia potestate. *Dio.*

Parthamasiris, rex à Parthorum principe creatus fuit, vnde bellum illud atrox, & cruentum exortum est inter Romanos, & Parthos, anno Christi centesimo septimo, Traiani Imperatoris octauo. *Dio.*

Plinius secundus iunior Nouocomensis, oppidi Galliæ cisalpinæ, auctor Epistolarum, consul honoratius factus est anno Christi centesimo tertio, Traiani Imperatoris quarto, qui in eo discrepabat ab ordinatiis, quòd honoratius in fastis quidem, honoris causâ inscriberetur, anno tamen non daret nomen, vt ordinarius, sub quo honoratium dicebatur gerere consulatum; quo defunctus magistratu, more maiorum prouinciam Bithyniæ, quæ est regio minoris Asiæ, aduersa Thraciæ, & proxima Troadi, vbi Annibal sepultus fuit, administrandam suscepit anno Christi centesimo quarto, Traiani Imperatoris quinto. *Plinius lib. 1. Epistola 28. & Spartianus.*

Palma, Imperatori carus Syriam regebat, anno centesimo quinto, Traiani Imperatoris sexto. Socius, & Celsus statuâ à Cæsare cohonestati fuere, quòd eos princeps singulari, præ cæteris omnibus, prosequeretur amore. *Dio.*

Licinius Sura, prætorianorum præfecturâ, eodem Christi anno centesimo quinto, ornatus fuit ab Augusto, qui eum gladio, pro more accingens, his verbis compellauit: accipe hunc, Licini, ensem, quo pro me, si benè imperauero, sin secus, contra me vtere. *Cuspinianus.*

Priscus Netarcius Marcellus magno in pretio, & honore habitus in aula, tantæque expectationis, vt constans famâ fuerit, Traianum Imperij heredem eum voluisse constituere, amicis fauentibus; ea propter prouincias illi commendauit, si quid fatale contingeret; Adrianus vero tanti illum æstimauit, vt ad consilium semper adhibuerit. *Teste citato auctore.*

Plutarchus Cheroneus à Traiano Imperatore, apud quem summæ erat auctoritatis, in Illyricum, cum consulari potestate missus est, vbi magistratus, eo inconsulto, nihil omnino aggredi poterant, ira volente, ac iubente principe. *Cuspinianus.*

Quadratus, vir magni nominis, & antiquæ virtutis, à Quadratilla fœmina ditissima heres relictus, consulatum iniit, anno Christi centesimo septimo, Traiani Imperatoris octauo,

ferunt. Tertius habet ſtratagemata obſidionis inferendæ, vel ſoluendæ; Duos inſuper de aquæductibus, in quorum præfatione attigit aquatum officium, tùm ad vſum, tùm ad ſalubritatem, atque vrbis ſecuritatem pertinens; Dein proponit, quid in hoc opere ſit tractaturus; Ac primo aquarum nomina, quæ in vrbem influunt, quibus conſulibus, quoto poſt vrbem conditam anno, productæ ſint, quibus ex locis, &c. Adde librum de qualitate agrorum, de menſurarum ratione, & limitum controuerſiis inſcriptum, inuentumque in cœnobio Bibij oppidi, in Italia. *Volaterranus, & Geſner.*

Lucius Florus Titi Liuij hiſtoriam in epitomen contexuit; Rerum item Romanarum libros quatuor ab vrbe condita, ad Auguſti tempora. *Geſner.*

Claruit etiam hoc tempore Voconius Victor, poëta inſignis, ipſe quidem Romanus, eius tamen mater è primis citerioris Hiſpaniæ erat, *vt refert Gyraldus lib. 4. Hiſt. Poët. de ea plura Plinius in Epiſtolis: Martialis, & Vaſæus in Chronico Hiſpaniæ.*

Adrianus princeps, illuſtris fuit Mathematicus, Aſtrologus, Geometra, Muſicus, Poëta, Medicus, picturâ item, ſculpturáque tantum valuit, vt plurimas imagines propria manu depinxerit, immò, & quaſdam in ære, atque lapide arte mirabili ſculpſerit; Nonnullos inſuper ſoluta oratione, ſtricta vero complures libros typis mandauit. *Spartianus.*

OPERA PVBLICA.

Pontem immenſæ magnitudinis, ac ſtupendi artificij in Iſtro, ſeu Danubio extruxit Traianus, anno Chriſti centeſimo quinto, principatus ſexto; vt expeditiùs etiam non glaciato amne, præſidia traducerentur, quoties Romani à Barbaris, bello, atque armis vexarentur. Ingens certè opus, & arduum; viginti ſiquidem ſtabant ex quadrato lapide pilæ, quarum altitudo centum & quadraginta pedum, præter fundamenta; latitudo ſexaginta: diſtabant vero inter ſe centum, & ſeptuaginta pedibus, fornicibus coniunctæ. Verum hoc præcipuè demirandum, qua arte, quove labore, atque induſtria, tanta columnatum moles, in tam alto, tamque

diffuso, ac præcipiti flumine, quod aliò auerti non poterat, fuerat erecta. *Dio.*

Non minori impensa, multorumque populorum stipe collata, pontem super Tagum, fluuium in Hispania, ea Lusitaniæ parte, quam Extremaduram vocamus, principis nomine appellatam, nunc vulgo Dalcantara dictum, in quo etiamnum variæ leguntur inscriptiones ex vtraque parte arcus, ædificari iussit, anno Christi centesimo sexto, principatus septimo. *Vasæus in Chronico Hispaniæ, & Mariana.*

In Pontinis paludibus, iuxta forum Appij, haud longè à Tarracina, viginti nouem passuum millibus, ab vrbe distantibus, & à Cornelio Cethego consule exsiccatis, viam sub idem tempus, saxo construxit, variasque ædes excitauit; Bibliothecas insuper, & columnam cochlidem, præclara quæque bellica facinora, quæ ipse, in bello Dacico, peregerat, opere cælato referentem, in foro, Traiano dicto, aliorumque omnium pulcherrimo, erexit. Hæc olim inter nobilia vetera monumenta, Constantio Imperatori Romam venienti, admirationi fuit, extatque etiamnum; In eius apice Sixtus Quintus ingentem B. Petri statuam, magnis sumptibus, ac singulari industriâ ex ære inaurato conflatam, factis ritibus solemniter collocauit, anno pontificatus sui tertio. Odeum item condidit Imperator, in quo certamina musica spectabantur. *Dio, Eusebius in Chronico, & Baronius tomo primo Annalium.*

CALAMITATES.

Ingenti terræ motu quatuor Asiæ vrbes funditùs euersæ fuere, anno Christi centesimo septimo, Traiani Imperatoris octauo, quarũ nomina hæc sunt. Elea ciuitas Lucaniæ, à Phocensibus condita, Parmenidis & Zenonis Pythagoricorum patria. Myrrhina in Æolide, Pitane, vel Pitana in eadem prouincia, duos portus habens non procul à Caici fluminis Ostio; In hac Arsecilaus Academicus natus est, qui cum Zenone, apud Palæmonem operam dedit; Cyma, seu Cuma ex aduerso Lesbi sita, Æolicarum vrbium maxima, & fere metropolis aliarum ciuitatum, quæ erant circiter triginta, patria fuit

Ephori viri doctrinâ clari, & Poëtæ Hesiodi. Duæ etiam vrbes Græciæ prostratæ, quarum vna dicitur opus Locrorum Epionemediorum, non longè ab Asopo fluuio; altera ab Historicis non nominatur. *Eusebius in Chronico.*

RES BELLICÆ.

Ineunte anno Christi centesimo tertio, Traiani Imperatoris quarto, ducitur exercitus in Decebalum, Dacorum Regem; quem ingenti affectum clade, perdifficiles quasque pacis conditiones subire coëgit princeps, ac in primis, vt sibi arma omnia bellica, atque machinas, ipsosque artifices traderet; transfugas, omnes qui ad Dacos confugissent, siue Romani, siue socij essent, remitteret; arces, & quælibet propugnacula, deductis præsidiis euerteret; omnem denique terram, quam per vim à finitimis cepisset, desereret. His impletis, ad Traianum Augustum deductus, humi procumbens Imperatoriam adorauit maiestatem. In eo bello cùm militum vulneribus fasciæ defuissent, propriam vestem in fasciolas concissam, eos in vsus tradidit, mortuisque aras constituit, atque annua parentalia peragi voluit. *Dio.*

Rebellantem Decebalum, anno Christi centesimo quinto, principatus sexto, extructo ponte in Istro, ingenti prælio, atque cæde profligauit; Palma verò Syriæ præses Arabiæ partem, quæ ad Petram vergit, eodem Christi anno potenter perdomuit. *Dio.*

Armenis, & Parthis, aliisque finitimis populis bellum intulit, anno Christi centesimo septimo, principatus octauo; quorum alios in deditionem accepit, alios victricibus subegit armis. Porrò huius belli origo fuit, quod Parthemasiris, insignia, atque iura Armeniæ, non à se, sed à Parthorum rege sumpsisset; ea propter eum in ordinem redegit, regioque priuauit diademate. *Xiphilinus, & Theodosius.*

In expeditione orientali perseuerans, anno Christi centesimo octauo, principatus nono, aliisque sequentibus, Iberos, Hosdroenos, Arabas, Phosphoranos, Colchos, Assyrios, Persas, aliasque nationes, vrbesque celeberrimas partim vi

occupauit, partim in fedus accepit. *Dio.*

TRIVMPHI.

Triumphum egit Traianus Imperator de Dacis, anno Christi centesimo tertio, principatus quarto, vt paret ex nummo. *Eusebius in Chronico.*

OBITVS ILLVSTRES.

Decebalus Dacorum Rex à Traiano Imperatore debellatus, mortem sibi consciuit, anno Christi centesimo quinto.

DECAS SECVNDA.

TRAIANI IMPERATORIS Gesta, & Obitus.

BABYLONEM petens anno Christi centesimo decimo septimo, principatus decimo octauo, vrbem nobilissimam,& à Nembrod gigante ad Euphratē fluuiū, qui eam mediam interfluit, conditam, *vt referunt Hebræi.* Postea à Nino, vel Semiramide restauratam, olim Chaldeæ totius caput, & à qua magnaMesopotamiæ, Assyriæque pars, Babylonia est appellata, lacum bituminis, ex quo ipsius mœnia extructa fuerant, spectare voluit ex itinere, cuius vis tanta est, vt lateribus, vel exiguis lapidibus interlitum, saxo, immò etiam quouis ferro, muros solidiores, firmioresque reddat. Os præterea antri inuisit, vnde adeo grauis, ac pestilens halitus effundebatur, vt illum, nec terrestres animantes, nec cœli volucres sustinere possent; & verò si supra deuolassent, vel propius aberrassent, olfactu ipso statim exanimes concidebant, quare vt locus incultus, & ab omnibus derelictus habebatur. *Dio.*

Ctesiphonte sub idem tempus capta, senatus, Parthici nomen, quod ei anteà attributum fuerat, confirmauit; Dies festos, supplicationes, ac triumphos decreuit; Dehinc mare rubrum nauigare instituit; Tum Oceanum vsque progressus, cognitáque maris naturâ, in has erupit voces: vtinam essem iuuenis, viresque suppeterent, fines certè Indorum penetrarem, & vltrà quàm Alexander, progrederer. Mox ad senatum, victarum à se gentium nomina scripsit, quarum tantus, *Dione teste*, erat numerus, vt vix recenseri, aut numerari possent; Ea propter triumphalis arcus, præter multa alia honoris monumenta, quæ eidem decreta fuerunt, in ipsius foro substructus est. Ceterùm nunquam ad tantam amplitudinem peruenit

Imperium Romanum, iamque mole ſua laborans, cœpit ab hoc ſupremo faſtigio ruere in præceps.

Poſt multa bella feliciter confecta, langueſcente corpore, ac viribus deficientibus, plures quas ſubegerat prouincias, ſiue quod ægrè eas poſſet continere, ſiue tædio bellorum, & curarum pondere, coactus fuit liberas facere, armaque mouens in Meſopotamiam, morbo correptus, apud Salinuntem (Seleuciam *vocat Eutropius*) Ciliciæ ciuitatem, quæ poſteà dicta eſt Traianopolis, defertur, vbi purpuram cum homine exuit, tertio idus auguſti, anni Chriſti centeſimi decimi noni. *Dio.*

ICON

TRAIANI IMPERATORIS.

TRAIANVS *natione Hispanus, familiâ antiquâ magis, quàm clarâ; quippe quæ, ipsius ante patrem, neminem consulatu dedit; Moribus, ac rebus gestis clarior omnibus Imperatoribus fuit, aut certè non obscurior; Apud populum mitis; Apud senatum quem patrem appellabat, venerandus; Cuiuis amabilis, nemini grauis; in promouendis ad honores, viris probis, ac studiosis, iustus; suauitate in milites singularis; Bellicæ disciplinæ custos seuerus; Victor ferè perpetuus; Erga hostes tam benignus, vt ipsius amore potius, quàm armis, superati se dederent; Romani Imperij, quod post Augustum, defensum magis fuerat, quàm nobiliter ampliatum, fines longè, latéque propagauit. Germaniam cis Rhenum, Daciam, aliasque gentes vltra Danubium, ditioni Romanæ adiecit; Parthos domuit; Albanos deuicit; Euphratem, atque Tigrim incolentes, prouinciales fecit; In Armeniam expeditionem suscepit; Babylonem vsque penetrauit; Arabiam petiit, & Agarenos rebellantes frustra adortus est; spectacula magnifica, centum, & viginti dierum spatio, edidit; Pontes duos operis demirandi, alterum quidem in Germania, quo Danubium iungebatur, alterum in Hispania, supra Tigrim, construxit; Bibliothecas ornauit, ingentemque columnam in foro erexit. Tandem post tanta gloriæ decora, belli, domique*

quæsita, è Perside rediens, apud Salinuntem Ciliciæ vrbem, post administratum annis nouemdecim, mensibus sex, & diebus quindecim Romanum Imperium, extinctus est, moxque inter Diuos adscriptus; Huius verò memoriæ tantum delatum est, vt nihil aliud in senatu principibus acclamaretur, nisi felicior Augusto, melior Traiano.

ADRIANI IMPERATORIS Gesta.

AElius Adrianus à Traiano Imperatore adoptatus, legatum agens in Syria, renuntiato principis obitu, tertio idus augusti, anni centesimi decimi noni, rerum potitus est, militibusque, in Imperij felicia auspicia, largitionem dedit. *Dio, & Spartianus.*

Prima illi cura fuit, Imperium crebris defectionibus sub mortem Traiani, in Oriente, Ægypto, Mauritania, Britannia maiori, & Palæstina, turbatum, pacatum reddere. *Spartianus.*

Cum Parthis sub idem tempus composuit, iisque Armeniam, Mesopotamiam, & quæ à Traiano principe armis occupata fuerant, restituit. Iura sua illis permisit, immo vtriusque Imperij limitem futurum Euphratem constituit. *Spartianus.*

Compositis rebus in Oriente, anno Christi centesimo vicesimo, principatus primo, Romam è Syria reuersus, summo studio, ac diligentia nihil antiquius habuit, quàm exemplo Traiani principis de republica benè mereri. Triumphum Traiano debitum recusauit, ne post mortem tantus Imperator tanto priuaretur honore; tum clementiæ, ac liberalitatis specimen insigne dedit, iurans nullum se senatorem nisi ex senatusconsulto puniturum. Aurum coronarium, quod Imperatori triumphaturo in coronam decernebatur, Italiæ remittens, in prouinciis verò minuens, milliones insuper viginti

ginti duos cum dimidio, fisco debitos condonans, tabulis in foro crematis, *vt non solum Dio, & Spartianus, imo etiam numismata testantur.*

Spectacula, die suo natali, populo dedit, in quibus tantus animalium numerus cæsus, vt simul leones centum, & totidem leænæ confectæ fuerint. Dona insuper in theatro, ac circo viris, mulieribusque, in sphæris missilibus, effusè largitus est. *Spartianus.*

HEROES.

Sanguine, Gestis, & Politiâ.

Lupus Ægyptum regebat, anno Christi centesimo decimo sexto, Traiani Imperatoris decimo septimo. *Eusebius in Chronico.*

Parthamaspates princeps clarissimus à Traiano Imperatore Rex constitutus, anno Christi centesimo decimo octauo, principatus decimo nono, è solio à Parthis rebellantibus, anno sequenti expellitur; verùm ab Adriano Imperij sui initio, proximis gentibus, vicinisque prouinciis in Regem conceditur. *Dio.*

Lucius Quietus re bellicâ illustris, Iudææ præerat, anno Christi centesimo decimo octauo, Traiani Imperatoris decimo nono: Marcus autem Iunius Cappadociæ. *Dio.*

Cælius Tacianus, eques Romanus, fisci procurator multùm Traianum principem, consobrinum suum, cum quo Adriani futuri Imperatoris tutor fuerat, gratia, & auctoritate valebat. *Mariana lib. 4. de rebus Hispaniæ.*

Apronius vir magnæ famæ, Ciliciam administrabat, anno Christi centesimo decimo nono, Traiani Imperatoris vltimo, cuius fauore, & potentia Ælius Adrianus Imperium obtinuit; *Dione teste.*

Ericius, seu Erucius re, ac nomine insignis habebatur: ad eum D. Antonius scripsit, *vt refert Iulianus lib. 1. digestorum.* Plinius Iunior opus suum Epistolare illi dedicauit; consularibus infulis auctus fuit eodem Christi anno centesimo decimo nono.

Fuſcus Salinator, è domo patricia, patre honeſtiſſimo, matre pari laude, ab omnibus proceribus ſummè colebatur in aula. *Plinius Iunior* eum ob virtutum magnitudinem, quibus ornatus fuerat, in deliciis habeat: Puer ſimplicitate videbatur, comitate iuuenis, & ſenex grauitate: ea propter Seruiano principi gratulatur *Epiſtola* 26. *lib*. 6. Quod tanto viro filiam ſuam in matrimonium dediſſet. *Cuſpinianus*.

Maximus Iulius Alexander, & Martius Turbo duces periciſſimi, atque ſpectatiſſimi habebantur, *vt ſcribit Dio*.

VIRI ERVDITI.

C. Plinius Cæcilius Nouocomenſis, nepos ex ſorore Plinij ſecundi Hiſtorici, Epiſtolarum libros duodecim in lucem dedit, & Panegyricum Traiani Imperatoris, quo gratias ei egit de conſulatu; ſcripſit item de viris illuſtribus in re militari, & adminiſtranda republica; Adde Hendecaſyllaborum volumen, & tragœdiam Græcam, quam annos quatuordecim natus compoſuit, multáque alia carmina, *vt ipſe teſtatur Epiſtola* 4. *lib*. 4. *ad Pontium*. De eo autem ſic Franciſcus Zeffius. Ita petit, vt extorqueat; ita gratias agit, vt referat; ita offert, vt largiatur; qua modeſtia laudat; quo ardore inuehitur; quibus rationibus ſe, alterúmue purgat, ac tuetur; quàm feſtiuiter, quàm verè gratulatur; quàm breuiter, quàm lucidè narrat; quàm aptè, quàm lepidè iocatur; flentem, ſi lamentatur, videas, vnáque collachrymabis; quæ omnia vir emunctus, acutus, acer, ea verborum puritate, varietate, compoſitione veſtit, iiſque luminibus, ſententiis, & ſalibus aſpergit, vt nihil terſius, floridius, concinnius, nitidius, ſucculentius, acutius, aut dici, vel excogitari poſſe videatur.

Pauſanias Cæſarienſis, Ariſtidi æqualis, vniuerſæ Græciæ geographiam elaborauit; librum item problematum, & de conſtructione. *Volaterranus*.

Ariſto Iuriſconſultus periciſſimus, libros aliquos iuris ciuilis nobis reliquit. *Geſner*.

Cornelius Tacitus orator clariſſimus, & Plinio iuniori carus, hiſtoriam principum ab Auguſto, vſque ad Adrianum, vitamque Agricolæ, ſoceri ſui contexuit, egitque de claris

oratoribus, Ciceronis Brutum, & materia, & dicendi copia imitatus, de moribus insuper, & situ Germaniæ. Hunc quotannis decies describi, & in omnibus bibliothecis reponi, ne periret, iussit Tacitus Imperator, *vt refert Flauius Vopiscus.*

Mocellus Pergamenus, vir magni nominis, librum, qui Adrianus inscribitur, seu de Regno, composuit; *Suida teste.*

Appianus Alexandrinus rerum Romanarum historiam, à prima Romuli origine, vsque ad Augustum perduxit, inde etiam sparsim vsque ad Traianum: libro enim 3. 4. & 5. bellorum ciuilium Romanæ monarchiæ, & Augusti initia est prosecutus, aliqua tamen exciderunt, quare cum delectu legendus est. Primus liber, Regalis inscriptus, agit de septem Romanorum Regibus; secundus habet Italica; tertius Samnitica; quartus Celtica, quintus Sicula; sextus Iberica; septimus Annibalica; octauus Lybica, Punica, & Numidica; nonus Macedonica; decimus Græca, & Ionica; vndecimus Syriaca, & Parthica; duodecimus Mithridatica. Consequentes alij nouem, à P. Candido, Nicolai pontificis quinti ab Epistolis magistro, latia lingua donati, Romanorum bella ciuilia continent. Vicesimus vero secundus, annorum centuriam; vicesimus tertius Dacica, & vicesimus quartus Arabica. *Suidas, Photius, Volaterranus, Gesner, & alij.*

OPERA PVBLICA.

Alexandriam Ægypti vrbem celeberrimam, nec longè ab ostio Nili, à Romanis subuersam, publicis instaurauit impensis Adrianus Imperator, anno Christi centesimo decimo nono, principatus vero sui initio. *Eusebius in Chronico.*

PRODIGIA.

Stupendum illud prorsus, ac maximè suspiciendum contigit, anno Christi centesimo decimo octauo, Traiani Imperatoris decimo nono, vt quoties Romani contra Agarenos in Arabia manus consererent, toties quoquo versum æther horrendum in modum circumfremens, miræque magnitudi-

nis grando, constantiores quosque, ac re bellica præstantiores duces deterrerent. Ad hæc muscarum vis ingens vndequaque inuolabat, quarum fœdo contactu cibi omnes corrumpebantur, humanaque corpora grauiter afficiebantur; *Dio.*

CALAMITATES.

Tres Galatiæ regionis minoris Asiæ ciuitates, terræ motu erutæ fuere, anno Christi centesimo duodecimo, Traiani Imperatoris decimo tertio; Pantheon item, Iouis scilicet vltoris delubrum de cœlo tactum Romæ. *Eusebius in Chronico.*

Traiano Imperatore Antiochiæ vrbe Syriæ hyemante, anno Christi centesimo decimo septimo, principatus decimo octauo, quò turbatim milites, ac priuati vndequaque confluxerant, hi vt iura caperent, alij vt Imperatoria maiestate, variisque gladiatorum spectaculis iucundissimè fruerentur, fœdi illius, & atrocis terræ motus calamitas accidit, cuius testis, & particeps fuit Græciæ magna pars, Asiæque permultæ ciuitates, immò vniuersus penè orbis, circa principem collectus. Hanc crebra fulgetra, horrendaque fulmina ac magni ventorum turbines prænuntiarunt; Mox ingenti, ac repentino oborto fragore, mare cœpit feruescere, æstus vehementiùs, atque violentiùs insurgere; Terra omnis succuti; domus ictu contrario quassari; supernè assultantia tecta concidere; mœnia modò huc, modò illuc nutantia confringi; Casius mons, ita conuelli, vt in subiectas vrbes penè ruere æstimaretur; puluis adeo densus excitari, cunctaque tanta caligine obduci, vt videre, vel alloqui, vel audire, aut etiam respirare, ingruente vento, ac puluere, nemini liceret. Cæterum hacce vehementi terræ succussione, tanto omnes metu perculsi fuere, vt è tectis præcipites erumperent, ac veluti facto agmine aceruatim exirent; Ingentem turbam prostratæ domus, ac subuersi muri obruere, quin vix vllus sine noxa fuit; Videre enim erat hos confracto humero, illos contusis pedibus, atque tibiis, istos adempto capite, hos denique elisio corpore permixtim miserandum in modum iacere, inter quos Pedo consul non multò post animam emisit; Traianus verò Imperator, inter tan-

tos tectorum, domuumque lapsus, incolumis per fenestram euasit. Verum in tam luctuoso, ac funebri casu, illud in primis demirandum, quod dum protrita accuratè perquirerentur cadauera, infans repertus fuerit, qui matris extinctæ vbera sugeret. Stupendam istam cladem habes fusiùs apud Dionem, & Xiphilinum, qui eam ob oculos ponit, ac veluti in scena exhibet lugendam.

RES BELLICÆ.

Ineunte vere anni centesimi decimi septimi, principatus decimi octaui, Traianus Imperator in Parthorum fines irrupit; Vniuersam Adiabenorum gentem subegit; Abilla, & Gaagamela Assyriæ oppida, in quorum campis Alexander olim Darium debellauit, victricibus cepit armis. Babylonem insuper, & Ctesiphontem, aliasque ciuitates, atque prouincias expugnauit; Mare vero rubrum, & Oceanum nauigans, gentium quas domuerat defectione, egredi coactus fuit, vt eas in ordinem redigeret. *Dio.*

Iudæi Cyrenenses, eodem anno, Andrea quodam duce, Græcos, atque Romanos penè innumerabiles interemerunt; Nec tanta cæde contenti, humanis carnibus vesci ceperunt; Tum illorum intestinis, stillante adhuc sanguine, cincti, pellibusque induti, alios serris medios à capite dissecarunt; alios bestiis subiecerunt; alios inuicem pugnare coegerunt. Cæsa denique fuere hominum capita, ducenta fere millia, *vt scribit citatus auctor.*

Lupo Ægypti præfecturam obtinente, anno centesimo decimo octauo, Traiani Imperatoris decimo nono, ijdem Cyrenenses in Ægyptum grassati, Gentiles primo impetu profligarunt. Hi propere confugientes Alexandriam, Iudæos omnes interfecere. Interim cæteri Iudæi Lucua duce, ingentem cladem Ægypto intulere, Cyprumque peruadentes, Salaminem euerterunt, vbi ducenta, & quadraginta hominum millia cecidere. *Dio.*

Martius Turbo Iudæorum stragem magnam, sub idem tempus edidit; Q. item Lucius eosdem in Mesopotamia iu-

multuantes felici aggressus est exitu, tum in Cypro occidione occisi; ex quo tempore, Iudæis ad Cyprum appellere, etiam tempestate delatis, capitale fuit. *Dio, & Eusebius lib. 4. Histor. c. 2.*

Maximus, & Lucius duces celeberrimi in rebellantes populos mouerunt; Horum alter acie victus occubuit; Lucius vero, re prospere gesta, Nisibim recepit, & Edessam, Mesopotamiæ, seu Syriæ, *vt vult Plinius* ciuitatem, vi captam diripuit, igneque exhausit, dum Erucius, & Iulius Alexander legati Seleuciam, Syriæ Antiochenæ oppidum, ab Antiocho conditum expugnant, vicinaque omnia flammis consumunt. *Dio.*

Traianus Imperator contra Agarenos Imperium detrectantes profectus est; Horum vrbe frustra tentata, ac recepto vulnere, aliò cogitauit, Adrianoque in Syria relicto, in Mesopotamiam ducere parauit anno sequenti, centesimo scilicet decimo nono, principatus vicesimo, sed morbo propere correptus, ab ea expeditione reuocatus fuit. *Auctor citatus.*

OBITVS ILLVSTRES.

Euphrates Stoicus Philosophus, morbi, ac senectutis tædio, cicutæ haustu, vitam finiit anno Christi centesimo vicesimo, Adriani Imperatoris primo, petita priùs facultate à principe: Nemini siquidem licebat sibi mortem consciscere, sine magistratus licentia: *Scaliger in Eusebij Chronico.*

FVNERA.

Deusti Traiani corporis cineres, Romam, aurea in vrna, magno cum apparatu, Plotina Augusta comitante, & Taciano viro consulari, deuehuntur, anno Christi centesimo vicesimo, Adriani Imperatoris primo; quos ipse ex itinere, Antiochia digressus summè coluit, scripsitque ad senatum se optare illos supremo cultu excipi. Quare iis decretus est triumphus, quod vni tantum Imperatorum Romanorum contigisse satis constat, vt de hostibus mortuus triumpharet; solusque, *vt ait Eu-*

tropius. Intra vrbem ſepeliretur; hoc enim lege duodecim tabularum vetitum fuerat. Deferuntur igitur curru triumphali, ſenatu cum exercitu, ad forum Traianum, quod ipſe ſibi extruxerat, præeunte, vbi hæc inſcriptio aureis characteribus marmori inſculpta legebatur. TALEM PRIVATIS IMPERATOREM ESSE OPORTERE, QVALES SIBI PRIVATOS IMPERATOR OPTARET HABERE. Tum ſub columna cochlide à principe in eodem foro erecta, ſolemni ritu religioſiſſimè reponuntur. *Sextus Aurelius, & Mariana lib. 4. de rebus Hiſpaniæ.*

DECAS TERTIA.

ADRIANI IMPERTORIS Gesta.

SOLEMNI edicto statuit, anno Christi centesimo vicesimo primo, principatus secundo, ne communi balneo viri, ac feminæ vterentur. *Spartianus.*

Vrbanis rebus compositis, peregrinationem per vniuersum orbem Romanum instituit, anno Christi centesimo vicesimo secundo, principatus tertio, ac primo in Galliam profectus, largus, & magnificus in omnes fuit; Inde Germaniam petens, ad rigorem militaris disciplinæ, militem exercuit. Ibi equitatus Batauus Danubium armatus transiit, hostemque stupore magno, nec abs re perculsum, ad pacem impulit. Mox Britanniam versus iter egit, vniuscuiusque prouinciæ securitati, atque vtilitati prospiciens, *vt testantur permulti, qui etiamnum extant cusi nummi, cum hisce inscriptionibus.* RESTITVTORI GALLIÆ, GERMANIÆ, ITALIÆ, HISPANIÆ, ALIARVMQVE QVAS PERAGRAVIT. *Spartianus, & Dio.*

In præfectos, qui turpem quæstum fecerant, seuerè animaduertit. Assessores Iulium Celsum, Caluium Iulianum, Neracium Priscum, aliosque viros doctrina celebres adhibuit, *vt constat ex citato auctore.*

In Galliam reuersus est anno Christi centesimo vicesimo tertio, principatus quarto, Alexandrina seditione orta, ob inuentum multos post annos Apim vitulum, certantibus inter se ad internecionem Ægyptiis, apud quem deberet locari.

Colonias, in Lybiam à Iudæis sub Traiano principe vastatam, deduxit anno Christi centesimo vicesimo quarto, principatus quinto. Tum Hispaniam adiit, quam in sex prouincias Boeticam nimirum, Lusitaniam, Carthaginensem,

Tarraconensem,

Tarraconensem, Galæciam, & Mauritaniam Tingitanam diuisit, *ita Sextus Rufus.* Boëricæ, & Lusitaniæ legati consulares præerant, *vt lapidum inscriptiones, & Codicis Iustiniani leges referunt.* Quatuor verò aliæ prouinciæ præsidibus traditæ fuere. *Mariana lib. 4. de rebus Hispaniæ.*

Ex Hispania, in Achaiam nauigauit, anno Christi centesimo vicesimo quinto, principatus sexto. Inde Athenas, vbi exemplo Herculis & Philippi Eleusina suscepit sacra, quæ quàm obscæna, & homine indigna sint, satis ex prophanis æquè, & nostris scriptoribus exploratum habemus. Multa item Atheniensibus, ac in primis leges ex Draconis, Solonisque velut officina reclusas contulit, transactâque Athenis hyeme, Romam repetiit: Sequenti verò anno Africam perlustrauit, quò paulo antè colonias deduxerat: in ea siquidem, Iudæi permulti, frequentibus seditionibus, misere perierant. His beneficiis cumulati Afri numisma procuderunt cum hac inscriptione. RESTITVTORI AFRICÆ. *Spartianus.*

Athenas iterum appulit, anno Christi centesimo vicesimo octauo, principatus nono; vbi festa Liberi patris, seu Dionysia, quæ apud Athenienses magno erant in pretio, indigena veste celebrauit. Pecuniæ magnam vim, & frumentum annuum, vniuersamque Cephaleniam, hoc est Insulam Ionij maris, à Cephalo Amphitrionis socio, vel Dionei filio dictam, illis largitus est. Multas item leges sanxit, ac præcipuè illam, quâ cautum erat, ne quis senator per se, vel alium vectigalia induceret. Inde orientem petiit, seu Asiam minorem, in qua principes multos, atque Reges, magnis sibi deuinxit muneribus, præsertim Chosroem Parthorum Regem, cui filiam, quam Traianus Imperator ceperat, honorifice remisit. *Spartianus.*

Res agens in minori Asia, anno Christi centesimo vicesimo nono, principatus decimo, prouinciarum præsides, vrbiumque præfectos, qui rempublicam suis fœdarant sceleribus, magna mulctauit pœna, æquè, ac in Gallia. *Vt testatur auctor citatus.*

Ex Asia minori in Syriam venit, anno Christi centesimo tricesimo, principatus vndecimo. Vbi Antiochenis offensus, Phœnicem è Syria seiungere voluit, ne Antiochia tot ciuitatum metropolis diceretur

HEROES.

Sanguine, gestis, & Politia.

Catilius Seuerus, vir consularis, ac principi charus Syriam administrabat, anno Christi centesimo vicesimo primo, Adriani Imperatoris secundo. Tinius vero Rufus Iudæam. *Spartianus.*

Martius Turbo bellica laude clarus Pannoniæ, Daciæque præerat, anno Christi centesimo vicesimo secundo, Adriani Imperatoris tertio, Ægyptiacæ præfecturæ insignibus auctus, vt maioris esset auctoritatis. *Auctor citatus.*

Antoninus, dictus Pius Asiam proconsulari Imperio regebat, anno Christi centesimo vicesimo tertio, Adriani Imperatoris quarto, cui Serenius Granianus successit, Serenio vero Minutius Fūdanus. *Dio.*

T. Aurelius Fuluius Antonini Pij auus, *teste Iulio Capitolino*, vir omnibus fortunæ donis cumulatus, magnæque famæ apud proceres. *Cuspinianus.*

Antinous, Augusti amasius tū ob formæ elegantiam, tū etiam ob alia varia ornamēta, quibus eū natura larga ditarat manu. *Spartianus.*

Fuscus, cui crebra portenta Imperium prænuntiarunt. Pletorius Cæsaris nepos, eique familiaris. Et Suetonius Tranquillus, Adriani Principis Epistolarum magister. *Spartianus.*

VIRI ERVDITI.

Dionysius Halicarnasseus, Sophista, cognomento musicus, quòd in musicæ studium impensè incumberet; cōmentariorum rythmicorum libros viginti quatuor cōposuit, Musicæ historiæ triginta sex, in quibus tibicinum, citharædorum, & variorum poëtarum meminit. Musicæ item disciplinæ, seu disputationum, viginti duos; Aliquor insuper de iis, quę in politia Platonis, musicæ dicta sunt. *Suidas.*

Ælianus Sophista Romanus scripsit libros sexdecim de animalibus; de re militari vnum; de varia historia vnum, & Epistolas Græcas nouemdecim. *Gesner. & Volaterranus.*

Lucius Apuleius, Platonicus Philosophus, è Madaura, Africæ oppido; Patrem habuit Theseum, matrem Saluiam, Athenis liberalibus disciplinis excultus, Platonis decreta sibi proposuit antè omnia sectanda; Nouum dicendi genus assumsit; In verbis enim nouus; In sententiis creber; In translationibus audax; In inuentione acutus, In elocutione varius, vt licet ex suis operibus colligere. Libros vndecim edidit metamorphoseos, de Asino aureo, Lucianum imitatus sophistam, qui simile argumentum antè à tractauit, fingitque se ingenij, fortunæque periclitandi gratiâ cùm aliò, tum in Thessaliam profectum, à quadam saga, dum auis formam optaret, in asinum fuisse immutatum, pristinum tamen sensum retinentem, multaque passum, ac variis laboribus perfunctùm. Quo commento humanos mores, atque euentus apertè indicauit. Tandem lunæ auxiliatricis ope, vt ipse ait, rosisque, è manu Ægyptij sacerdotis acceptis, ac deuoratis, antiquæ restitutus est formæ, magnisque mysteriis initiatus. Floridorum item libros quatuor elucubrauit, ita dictos ob verborum varietatem, rerumque multiplicem cognitionem, in quibus orationes ad Africæ proconsulem habitæ leguntur. De Deo insuper Socratis egit libro vno, De magia duobus, cuius criminis, à Sicinio Amyliano, apud Claudium Maximum Africæ proconsulem, accusatus fuerat; De dogmate Platonis, illius decreta breui epitome complexus, cum altero libro, qui de philosophia inscribitur, ad Faustinum filium; Tum de mundo libro vno ad eundem, in quo de naturali philosophia. Adde de cōuiualibus quæstionibus, de piscibus, de gemitu animalium, & de medicaminibus herbarum. Postremo Trismegisti antiquissimi philosophi dialogum conuertit; *Volaterranus, & Gesner.*

Ptolomæus Alexandrinus Grammaticus Hephæstionis filius, Chennus cognominatus, quædam de admirabili historia, nobis reliquit; Sphingem item, & Anthomerum *lib.* 24. facultate poëtica, *vt vult Suidas.*

Caius Suetonius Tranquillus Plinio iuniori carus scripsit quàm elegantissimè de Grammaticis, & Rhetoribus; Hunc secutus est D. Hieronymus de viris illustribus, & Petrus Crinitus de poëtis Latinis, *vt ipsimet testantur.* Librum vnum prætetea de genere vestium typis mandauit; de Regibus tres; de vitiis corporalibus; de arte ludicra & de Prætoribus. Verum inter reliqua ingenij sui opera duodecim Cæsarum vitas transmisit ad posteros, ea animi libertate, & elegantia, vt qui dissimulare iudicium nesciunt, habeant quem cum Tranquillo conferant neminem. *Hæc Tuccius Marianus Florentinus in auctoris vita.*

Saluius Iulianus, vetus Iurisconsultus Digestorum libros nonaginta nouem composuit; Ad Minutium Natalem, sex, & ad Verserium Ferocem, quatuor. *Gesner.*

Iulius Celsus quædam de gestis Cæsarum dedit. *Citatur à Margaritica poëtica Alberti.*

Neratius Priscus, Iurisconsultus antiquus responsorum libros tres contexuit; membranarum septem, & Regularum quindecim. *Gesner.*

Heliodorus Æthyopicam historiam, dictione polita, nitida, & docta, libris decem, quos Stanislaus, eques Polonus, latinitate donauit, attigit; multorum quoque locorum situs, Cosmographica ratione depinxit. Non paucarum item rerum causas, licet occultissimas eruit. Populorum insuper ritus, moresque eruditè descripsit, variorumque fluminum, herbarum, & regionum naturas incognitas aperuit, omnia tam variis, tamque amænis narrationibus illustrans, vt præ cæteris, Heliodori appellationem meruerit. *Vincentius Obsobæus.*

Seruius multis disciplinis excultus commentarios in opera P. Virgilij Maronis, nobis reliquit. *Gesner.*

Agathobulus, & Oenomaus habebantur hoc tempore insignes Philosophi. *Teste Eusebio in Chronico.*

Dionysius Milesius Historicus res post Darium gestas li-

in qua ſtatuam ſuam vnà cum Dracone ex India adlato, collocauit, anno Chriſti centeſimo viceſimo octauo, principatus nono. Græcis autem permiſit vt templum ſibi ponerent, quod Panhellenium nominarunt, hoc eſt, Græcis commune, in cuius gratiam Princeps certamina conſtituit, magnæque pecuniæ vim, & frumentum annuum. In Cephiſo item fluuio, iuxta Eleuſinam ciuitatem, pontem condidit. *Caſſiodorus, & Spartianus.*

Hieroſolymorum vrbem inſtaurare aggreſſus eſt anno Chriſti centeſimo triceſimo, principatus vndecimo, quam Æliam Capitolinam vocauit, tantoque ambitu, vt intra ipſius mœnia ſacrum Caluariæ montem incluſerit. *Anonymo teſte.* In ea fanum Ioui Capitolino, è regione templi Salomonis, ædificauit. Huiuſce tamen ciuitatis, ac templi extructionem factam fuiſſe poſt debellatos Iudæos *ſcribit Euſebius.* Hoc eſt anno Chriſti centeſimo triceſimo ſeptimo.

PRODIGIA.

Apis vitulus è vacca, vt volunt aliqui, fulgure icta genitus, colebatur tùm ab Ægyptiis, tùm etiam à Romanis. Hic toto corpore niger fronte figuræ quadratæ candorem præferebat; tergo effigiem aquilæ; cantharum, ſiue ſcyphum palato; cauda denique pilos duplices; quem cum Cambiſes Perſarum Rex curioſiùs inſpexiſſet, ſacerdotum fraudem ſtomachatus, populique irridens inſaniam, educto gladio per femur transfixit. *Spartianus.*

Eâ horâ qua natus eſt Pertinax, equus tegulas conſcendit, vbi breuiter commoratus decidens extinctus eſt. *Iulius Capitolinus.*

CALAMITATES.

Fames ingens, ac peſtilentia, crebrique terræmotus Nicomediam, Nicæam, atque alias complures vicinas vrbes, magnis cladibus affecerunt, anno Chriſti centeſimo viceſimo ſecundo, Adriani Imperatoris tertio.

Nicopolis vehementer quaſſata, funditus euerſa fuit, anno

Chriſti centeſimo triceſimo, Adriani Imperatoris vndecimo. *Euſebius in Chronico.*

RES BELLICÆ.

Martianus Turbo poſt repreſſos Iudæos, in Africam miſſus eſt, vbi Maurorum motus compeſcuit, anno Chriſti centeſimo viceſimo primo, Adriani Imperatoris ſecundo. *Spartianus.*

Iudæi, eodem anno, apud Palæſtinam Romanum iugum excutere tentantes, ingenti accepta clade, Tinio Rufo duce, ad officium redacti ſunt. *Hieronymus in Danielem.*

Expeditionem parauit Adrianus Imperator in Alanos, & Sarmatas, anno Chriſti viceſimo ſecundo, principatus tertio, ſed breui ſecuta eſt pax. *Spartianus.*

Bellum Iudaicum, quod graue admodum, ac diutinum fuit, exortum eſt anno Chriſti centeſimo triceſimo, Adriani Imperatoris vndecimo; Iudæis ægrè ferentibus, Gentiles Hieroſolymam incolere, ac in ea externorum deorum ſacra fieri, eò ſiquidem Imperator coloniam deduxerat. *Spartianus.*

REI INSIGNES.

Detecta conſpiratione Nigrini, Palma Terracinæ; Celſus Baijs, Nigrinus Fauentiæ; Lucius in itinere, iubente ſenatu, atque inuito Adriano principe, *vt ſcribit Spartianus*; tanquam rei maieſtatis, morte mulctari ſunt, anno Chriſti centeſimo viceſimo tertio, Adriani Imperatoris quarto.

OBITVS ILLVSTRES.

Filia Antonini, Aſiæ Proconſulis, fatis conceſſit, anno Chriſti centeſimo viceſimo tertio, Adriani Imperatoris quarto. *Iulius Capitolinus.*

DECAS QVARTA.

ADRIANI IMPERATORIS Gesta, & Obitus.

EX Syria, in Arabiam, res Imperij Romani vbique compositurus, profectus est, anno Christi centesimo tricesimo primo, principatus duodecimo; sequenti vero, ex Arabia in Ægyptum se contulit, vbi apud Pelusium, Pompeio parentauit, magiamque, cui maximè deditus erat, & ob quam, illum *Tertullianus* omnium curiositatum exploratorem vocabat, exercuit. *Spartianus.*

Mandauit Saluio Iuliano, anno Christi centesimo tricesimo quarto, principatus decimo quinto, vt edictum perpetuum conscriberet, quo sancitum esset, vt non solùm omnes in posterum prætores, qui hactenus arbitratu suo annua edicta tantùm proposuetant, vterentur; sed etiam, vt omnes ciuitates, Romanæ vrbis consuetudines, atque leges sanctissimè colerent. Voluit item vt vicesima hereditatis pars, fisco addiceretur, cui aduocatum assignauit, cùm antea iura fisci penes Cæsarum procuratores essent; Quod tamen edictum post annos prope quadringentos, à Iustiniano Imperatore abrogatum fuit. *Eusebius in Chronico.*

Legem tulit anno Christi centesimo tricesimo septimo, principatus decimo octauo, quâ, cuique, è Iudaica gente, vetitum erat pedem in agrum Hierosolymitanum inferre, immò è loco edito, & remoto paternum solum inspicere. Ipsam autem vrbem Hierosolymam exteris nationibus incolendam tradidit. *Eusebius lib. 4. Historiæ c. 6.*

Iudaicis rebus compositis, peragratoque orbe Romano, ac toto Oriente sedato, vrbem petiit, anno Christi centesimo tricesimo octauo, principatus decimo nono, è qua tamen quietis amans Tiburtinam in villam, magnis sumptibus exæ-

dificatam, identidem ſecedebat, in qua, tum prouinciarum, tum locorum omnium celeberrima nomina inſcripſerat, eam modò Liceum ſuum, modo Academiam, modò Prytaneum, modo Canopum, modò Tempe vocitans, *vt teſtatur Spartianus.*

Iam ætate, morboque grauis Lucium Ceionium Commodum futurum Imperij heredem adoptauit eodem Chriſti anno, Æliumque Verum Cæſarem appellauit. Hoc genus honoris, tunc primum inductum fuiſſe in Rempublicam aſſerunt aliqui, ita vt Cæſares veluti canditati quidam Imperij, & heredes haberentur, relicta ipſis Imperatoribus pixrogatiua, vt Auguſti dicerentur. *Spartianus. Victor tamen aſſerit*, Adrianum à Traiano Imperatore nominatum fuiſſe.

Ælio Vero Cæſare extincto, anno Chriſti centeſimo triceſimo nono, principatus viceſimo Arrium Antoninum, qui poſtea Pius dictus eſt, in filium aſſumpſit, quinto Kalendas Martij eiuſdem anni, ea tamen lege, vt ſibi duos adſciſceret Lucium nimirum Verum, & Marcum Aurelium Antoninum; Horum iſte filius erat Annij Veri, fratris Sabinæ vxoris ſuæ; ille autem filius prædicti Ælij Veri, quem diximus priùs adoptatum fuiſſe, iamque vita functum. *Spartianus.*

Laborans, eodem anno, profluuio ſanguinis in villa Tiburtina, & lenta tabe correptus in hydropiſim incidit, quæ nec vlla medicorum arte, nec magicis incantationibus curari valuit. Quare vitæ tædio, mortem ſibi conſciſcere ſæpenumero tentans, ſeruos, ac medicos promiſſâ ingenti pecuniâ enixè identidem precatus eſt, vt ferro, vel veneno ipſum vita priuarent; recuſantes verò ita increpuit, terruitque, vt eorum aliqui fugâ ſibi conſulere, alij mortem præuertere coacti fuerint. Tandem quod nec veneno, nec ferro potuerat extorquere, longâ magnáque inediâ obtinuit anno ætatis ſexageſimo ſecundo, menſibus quinque, & diebus ſex; Imperij viceſimo, & menſibus vndecim ſupremum obiit diem apud Baias ciuitatem Campaniæ, à Baio Vlyſſis ſocio, illic ſepulto, ita dictam, ſexto idus Iulij anni Chriſti centeſimi quadrageſimi, principatus viceſimi primi. *Spartianus.*

ICON
ADRIANI IMPERATORIS.

AElivm *Adrianum, Italicæ in Hispania ortum, Ælij Adriani, & Domitiæ Paulinæ Gaditanæ filium, Traiano propinquum, genus fecit; Opera Plotinæ Augustæ, Imperatorem; Studium Latino sermone facundissimum, græcisque peritissimum, & ita amantem, vt Atheniensium studia, moresque auxerit; memoria tam recordantem, & sibi præsentem, vt veteranorum, quos aliquando dimiserat, nomina sine nomenclatore redderet; immò pellectos semel libros statim efferet, scriberet, dictaret, audiret, & fabularetur eodem tempore. Indoles denique liuidum, venereum, & ad ostentationem insolentem; comem tamen, & in omnes largum, ac munificum, ægreque ferentem, quidquam à se peti, quòd præuià benignitate preces anteuertere gestiret. Pacis amator Prouincias Asiæ tres, Assyriam, Mesopotamiam, & Armeniam, quas Traianus princeps Imperio adiecerat, reddidit. Exercitus reuocauit. Finem Imperij, quod annis viginti & mensibus vndecim rexit, Euphratem constituit, regesque innumeros, crebris muneribus, sibi conciliauit. Bellum nullum mouit: excitatum ab aliis statim composuit: solos in Iudæos arma cepit, quos totâ Palæstinâ rebellantes maximis obtriuit cladibus. Vniuersum Romanum orbem pedibus ferme obiit, arces muniens, ac populorum commodis seruiens; Patriam tamen multis licet auctam beneficiis, nunquam reuisit. Apud Nicopolim*

Campaniæ vrbem, & Adriam oppidum illuſtre, quinquennalis Demarchus, hoc eſt, populi princeps creatus eſt. Athenis Archon, qui ſummus erat magiſtratus, qualis Carthagini Suffes, & Romæ Dictator; Mox inter Theſmothetas, ſenos nimirum legum conditores, adnumeratus. Sedit vt Rex in Prytaneo, & Theſmotheco, vbi Theſmothetæ, id eſt, iuridici Iudices. Præclara, & ſtupenda extruxit opera; Hieroſolymam inſtaurauit, quam Æliam ſuo nomine, æquè ac plures alias ciuitates, in primiſque Carthaginem, Athenarum partem, & varios Aquæductus appellauit. Leges optimas edidit. Publica demum, atque Palatina, nec non militiæ munia in eam formam redegit, vt paucis, per Conſtantinum mutatis, etiamnum hodie perſeuerent. Diſcant hinc Principes æqua ſemper ſtatuere, & optima, ſi velint eſſe diuturna.

ANTONINI PII IMPERATORIS *Geſta.*

ÆLio Adriano defuncto, Antoninus, Pius annos natus quadraginta tres, Imperij curam ſuſcepit, ipſoque principatus initio, ſenatum Adriano patri infenſum, eiuſque acta reſcindere volentem, mirabili ingenij ſui felicitate, ſuauitateque ſingulari placauit. *Iulius Capitolinus, & Dio.*

Fauſtinam vxorem ſuam, Auguſtam appellari à patribus conceſſit, ipſe Pij nomine donatus, Patri, matrique, auis, & fratribus vita functis decretas ſtatuas vltro accepit, ludoſque Circenſes, natali ſuo dicatos. *Dio, & Iulius Capitolinus.* Adrianum inſuper inter Deos retulit; Sacerdotes, ac certamina inſtituit, reiſque omnibus veniam largitus eſt.

HEROES.

Sanguine, Gestis, & Politiâ.

Seruianus, vir summæ auctoritatis apud Principem, *vt refert Spartianus*, bis consul sub Traiano fuit, & semel legatus: immò ab eodem Augusto, dignus Imperio habitus. Adrianus Imperator eum tanto coluit honore, vt venienti semper occurreret, factusque de herede solicitus, in illum spem totam coniecerit, sororemque suam Paulinam nuptui dederit. *Cuspinianus*.

Turbo, vir illustris, præfectus prætorio, & maximè popularis, diu noctúque cum Imperatore versabatur. Fertur autem illum Adriano principi consulenti, vt aliquantulum quiesceret, respondisse Præfectum stantem mori oportere; statuâ denique auctus fuit ab Augusto. *Dio*.

Similis, proceres omnes ætate, & honore anteibat, nulli vel moribus, vel virtute secundus. Præfecturam obiit prætorianorum, sed inuitus, & qua posteà se abdicauit, rurique annos septem conquieuit; Tum moriens sepulchro suo inscribi iussit. HIC IACET SIMILIS, CVIVS ÆTAS SEPTVAGINTA SEX ANNORVM FVIT, IPSE TAMEN SEPTEM DVMTAXAT ANNOS VIXIT. *Dio*.

Iulius Seuerus, Britanniæ præses, multarumque palmarum vir, confecto bello Iudaïco, anno centesimo tricesimo septimo, Adriani Imperatoris decimo octauo, in Bythiniam, quæ non armis, sed præsidio, Præfectóque multiplici virtute ornato carebat, à principe missus est. *Dio*.

Ceionius Commodus, Ælius Verus dictus, natalibus clarus, comptus, decorus, formâ venerandus; at voluptatibus ita solutus, vt lectum rosarum foliis refertum, stragulamque è liliis contextam habuerit; tam subtilis gulæ, vt pentapharmacum, seu tetrapharmacum, hoc est sumen fasianum, pernam crustulatam, & aprugnam inuenerit, quod genus cibi

exquisitissimum habebatur ab omnibus; tam demum præceps in eundo, vt suis cursoribus alas frequenter addiderit, ventorumque nomina imposuerit. Hunc Adrianus Imperator præfectum Pannoniæ constituit, Cæsaremque nominauit, anno Christi centesimo tricesimo octauo, principatus decimo nono; Facultatem insuper vtendi coccineo, se etiam præsente, ei tribuit, immò & purpura, sed sine auro, vt scripsit Commodus Imperator ad Albinum, *Baronio teste.* Denique consulem, in annum centesimum tricesimum nonum, principatus vicesimum, designauit.

Pharasmanes Iberorum Rex summè colebatur in aula; Illum Romam venientem Imperio donauit Adrianus Imperator: sacrificare in Capitolio ei permisit, statuamque equestrem in æde Bellonæ posuit. *Dio.*

Flauius Arrianus fama celebris Cappadociam prouinciam, ex omnium votis, regebat anno Christi centesimo tricesimo octauo, Adriani decimo nono. *Auctor citatus.*

VIRI ERVDITI.

Celsus, philosophus Epicureus libros edidit, quibus Origenes octo voluminibus respondit. Hoc opus latio sermone donauit Prior S. Balbinæ. *Volaterranus.*

Cephalion, seu Cephalon, Gergethius orator, & Historicus, exulauit patriâ, ob principum inimicitias, in Siciliam; Varias libris nouem, qui Musæ inscribuntur, contexuit historias Ionica dialecto. Declamationes item Rhetoricas plurimas, & alia quædam. Vtrùm verò Herodotum, an ipsum Herodotus sit imitatus, in dubio est. *Suidas.*

Priscus Iabolenus, vetus Iurisconsultus scripsit ex Cassio libros quindecim, Epistolarum quatuordecim, & ad Plautium quinque. *Gesner.*

Theodosius Philosophus sphærica composuit libris tribus; Commentarium in Theudæ capita, & Archimedis viaticum. Item de diebus, ac noctibus, libros duos; De delineationibus ædium, libros tres; De habitationibus, de Astrologia, & sceptica secta, seu philosophia Pyrrhoniana, à suo auctore

Pyrrhone ita dicta, quæ nihil astruebat, aliarumque opinionum oppugnatione versabatur; *vt refert Gellius lib. 11. c. 5. & Suidas.*

Fauorinus Gallus Arelatensis, semiuir, seu Hermaphroditus, Dionis auditor, summus Philosophus, sed Rhetorice magis studiosus, suique seculi inter litteratos princeps habitus est. Gellius de eo agit verbis illustribus, & magnificis. Herodes Atticus patrem illum appellabat, à quo bibliothecæ suæ heres factus est, *vt asserit Philostratus.* Cæterùm ingenio adeo superbo, vt ipso Imperatore reluctante, atque reclamante, viuere se Athenis palam, ac luce profiteretur; quam ob rem eius statua in terra afflicta fuit. Permulta tum philosophica, tum historica nobis reliquit; Quædam de Homeri Philosophia, de Socrate, de Platone, de ratione viuendi philosophorum, aliisque plurimis, quibus adde dicta sententiosa. *Suidas, & Volaterranus.*

Polemon è Laodicea, Cariæ regionis minoris Asiæ ciuitate celeberrima, Orator, & Sophista peritissimus, Timocratis philosophi ex Heraclea Ponti, & Scopeliani discipulus, præceptor autem Aristidis Rhetoris insignis; Smyrnæ, vrbe Ioniæ, in minore Asia clarissima docuit, applaudente populo, & suspiciente. *Suidas, & Volaterranus.*

Epictetus Phryx, Stoicus philosophus, Domitiano imperante sibi infenso, Româ, Hieropolim patriam suam, Phrygiæ vrbem rediit; Illud in ore identidem habebat, *vt scribit Fauorinus apud Lucianum*, Multos quidem esse philosophos non re, sed verbo tenus. Duo vehementer commendabat, hocce apophthegmate ἀνέχου καὶ ἀπέχου, inclusa. Hoc est iniurias æquo ferre animo, & voluptates spernere. Tanti demum fuit apud omnes nominis, vt Lucianus Epicteti lucernam fictilem tribus drachmarum millibus vænisse asserat. Porro multa, præclaraque elaborauit splendido suo ingenio, inter quæ Enchiridion perutile, quod Angelus Politianus latinum fecit. Huius dissertationes Arrianus ipsius discipulus tribus conscripsit voluminibus, & libros quatuor de ipsius dictis. Græcæ eius epistolæ extant etiamnum in Italia. Stobæus multas passim illius sententias refert. *Suidas, & Volaterranus.*

Phlegon nobilis horum temporum Cosmographus, Adriani Imperatoris libertus, opus suum de Olympiadibus, ad hoc vsque tempus, libris octo complexus est, *vt refert Suidas*, qui tùm hæc, tùm alia illius scripta, ex Philostorgio recenset: extant prætetea eiusdem auctoris libri de vita Adriani, *Spartianus tamen asserit*, eos ab ipso Adriano fuisse compositos.

OPERA PVBLICA.

Adrianus Imperator Pompeij sepulchrum magnificentiùs extruxit, anno Christi centesimo tricesimo secundo, principatus decimo-tertio, apud Pelusium, ciuitatem in extrema Ægypti ora sitam, & à Peleo ita dictam, qui eam, deorum monitu, post lustrationem condiderat; Furijs enim tunc agebatur Peleus, eo quod Focum fratrem interemisset. *Dio.*

Templum eodem Christi anno, Antinoo amasio suo, & ciuitatem in Ægypto, vbi mortuus fuerat, ædificauit. Romæ verò anno sequenti centesimo tricesimo tertio, principatus decimo quarto, ædem Veneri, *vt testatur Eusebius in Chronico.*

Caluario in colle, Veneris simulachrum, & in monte Oliueti, Iouis statuam consecrauit idem princeps, anno Christi centesimo tricesimo septimo, principatus decimo octauo. In Bethleem item Adonidi fanum excitauit; Portæ verò vrbis Hierosolymæ, tunc Æliæ nuncupatæ, quà Bethleem itur, Suem è marmore sculptum imposuit. *Ita Eusebius lib. 4. Historiæ, c. 6. Paulinus, & Seuerus lib. 2. Historiæ, vbi refert* Dæmonum simulachra in sacro, & venerando passionis loco collocata fuisse: quæ omnia vsque ad Imperium Constantini permansere, *vt scribunt auctores citati.*

Athenis insuper Bibliothecam miri operis extruxit, anno Christi centesimo tricesimo octauo, principatus decimo nono, plurimasque insignes ædes, quæ tot numero fuere, *inquit Scaliger*, vt vrbem à fundamentis instaurasse videretur: Consule super hac re Pausaniam, & Xiphilinum.

Ad hæc adde Pontem supra Tyberim, principis nomine appellatum, quò itur ad Vaticanum, & Mausoleum stupendæ magnitudinis, ad instar altissimæ turris, pario ex lapide

compositum, cui desuper hominum, equorumque variæ statuæ ex eodem marmore arte mirabili sculpræ, insident, & in quo ipse Imperator cineres Ælij Veri Cæsaris reposuerat, vt patet ex inscriptione quæ in illo legitur. Extat etiamnum iuxtà portam Aureliam tanta Adriani moles, qua Pontifices Romani nunc arcis loco vtuntur, sanctique Angeli castellum vocant. *Procopius, & Philippus Bergomensis.*

RES BELLICÆ.

Cùm bellum Iudaicum, à Rufo Iudææ præside administratum, difficiliùs in dies instauraretur, Adrianus Imperator præcipuos Romanorum duces exciuit, anno Christi centesimo tricesimo quinto, principatus decimo sexto, quorum præstantissimus Iulius Seuerus è Britannia ad hoc euocatus, non tam vi aperta, quàm arte, illos magna internecione deleuit. Quinquaginta siquidem millia cecidit; Arces quinquaginta celeberrimas diruit; Vicos nongentos, & octoginta quinque nominatissimos diripuit, totamque ferè Iudæam cæde, sanguine, variisque depopulationibus, atque cladibus affecit. *Eusebius in Chronico.*

Iudaicum bellum auspiciis magni ducis Iulij Seueri gestum, feliciter ab eodem confectum est in Palæstina, anno Christi cẽtesimo tricesimo septimo, Adriani Imperatoris decimo octauo, quo, *vt asserunt scriptores*, quingenta, & octoginta millia Iudæorum variis præliis funditùs periere, morbo verò, & fame infinita multitudo. *Eusebius.*

Pharasmanes Iberorum Rex Alanos, contra Romanos consciuit; sed illos Flauius Arrianus Cappadociæ præfectus potenter repressit, anno Christi centesimo tricesimo octauo, Adriani Imperatoris decimo nono. Ceionius verò Commodus sub idem tempus bellum in Pannonia exortum, opportune profligauit. *Dio.*

REI INSIGNES.

Seruianus, sororis Adriani principis, coniux summæque

potentiæ, & iam nonagenarius, reus factus vnà cum Fusco nepote annorum decem & octo, eo quòd Commodi adoptionem ægre tulisset, Imperatoris iussu, extinctus est. Seruianus antequam iugularetur, ignem exposcens, accensò thure in has erupit voces. VOS EGO SACRA OBTESTOR NVMINA, ME AB OMNI LABE INTEGRVM, ILLIBATVMQVE ESSE, HOC TANTVM ADRIANO AVGVSTO MEO IMPRECOR, VT CVM MORI CVPIET, NON POSSIT. *Dio.*

Sabina item Augusta ab Adriano Augusto voluntariam subire mortem coacta fuit, eodem anno, *vt refert Aurelius Victor*, qui addit illam, palàm testatam fuisse, se studiosè conatam ne grauidaretur, partumque ex eo conciperet, ob perniciem humani generis.

OBITVS ILLVSTRES.

Antinous puer regius, & Adriani Imperatoris deliciæ, in Nilum demergitur, anno Christi centesimo tricesimo secundo, Adriani principis decimo tertio; Hunc Imperator muliebriter defleuit, & inter deos solemni consecratione retulit. Quidam tamen asserunt eum à Principe diuinationibus, magicisque artibus deditissimo, immolatum fuisse, ipsumque vltrò occubuisse. *Dio. Spartianus.*

Ælius Verus Cæsar consulatum auspicaturus supremum diem obiit Kalendis Ianuarij, hoc est primo die sui magistratus anni centesimi tricesimi noni, Adriani Imperatoris vicesimi. Eius sepulchrum, & epitaphium dedit Onuphrius. *Auctores citati.*

FVNERA.

Adriani iam demortui, apud Baias, cineres Antoninus ipsius filius adoptiuus & heres, Romam regia cum apparatu ac pompa funebri, sanctè reuerenterque ipso principatus sui initio deuexit. *Iulius Capitolinus.*

DECAS

DECAS QVINTA.

ANTONINI PII IMPERATORIS Gesta.

ANNIAM Faustinam Augustam, coniugem suam, morbo defunctam inter diuos à senatu adscribi curauit, anno Christi centesimo quadragesimo secundo, principatus tertio, additis statuis aureis, atque argenteis, Flaminibus, ac templo, ludisque Circensibus. *Iulius Capitolinus.*

Vetuit eodem Christi anno, edicto publico sub pœna mortis, ne Sybillarum carmina, aliorumque vatum libri, immo & Ciceronis de natura deorum, in posterum legerentur, ne eorum lectione in quibus multa, de Christo, prædicta fuerant, complures relictâ patriâ superstitione, in Christianam religionem confluerent. *Iustinus in apologia ad Antoninum, & Arnobius contra gentes.*

Filiam suam Faustinam Marco Antonino Imperatori futuro in matrimonium dedit, anno Christi centesimo quadragesimo nono, principatus decimo, vnà cum potestate Tribunitia, *vt volunt aliqui; Iulius tamen Capitolinus indicat ea, paulo ante mortem Principis peracta fuisse.*

HEROES.

Sanguine, Gestis, & Politia.

Lollius Vrbicus, vir splendidus, multisque virtutibus, ac præcipuè animi magnitudine conspicuus, qua omnia feliciter peragebat. *Iulius Capitolinus.*

Marcus Antoninus Philosophus, Antonini Pij Imperatoris

filius adoptiuus, Quæstor designatus, & Consul, Cæsarisque nomine donatus, anno Christi centesimo quadragesimo secundo, principatus tertio. *Iulius Capitolinus.*

Gonius Maximus, summæ seueritatis vir, præfecturam Prætorij annis viginti, maximo cum omnium applausu tenuit; Tacitus Maximus illi successit, in cuius demortui locum duos Præfectos subrogauit Princeps; Fabium nempè Repentinum, & Cornelium Victorinum. *Iulius Capitolinus, & Cuspinianus.*

Saluius Iulianus, Didij Iuliani Imperatoris futuri proauus, antiquæ familiæ, fumosisque imaginibus clarus, bis consulis insignibus auctus fuit, & vrbis Imperio.

Herodes Atticus, genere Æacides, Atheniensis, opumque diues, multis Asiæ ciuitatibus præfuit; Consulatum anno centesimo quadragenmo quinto, Antonini Pij Imperatoris sexto eximia cum laude gessit, magnisque patriam exornauit operibus. *Vt refert Suidas, Volaterranus, & Cuspinianus.*

Rufinus Erucius, Claudius Seuerus, & Torquatus viri consulares, magnæque famæ apud principes, atque Antonino Pio Imperatori percari. *Cuspinianus.*

VIRI ERVDITI.

Aulus Gellius, Orator Romanus, & insignis Grammaticus, Româ hyberno tempore Atticam petens prouinciam, commentarios percelebres de grammatica tradidit, quos in viginti libros diuidens, de noctibus Atticis titulo prænotauit. *Philippus Bergomensis, Volaterranus, & Gesner.*

Mesomedes, poëta Lyricus, ex Creta oriundus, Adriani Cæsaris libertus, in cuius gratiam, Antinoi qui Adriano Principi erat in amoribus, laudes composuit, aliaque permulta texuit carmina. *Suidas, & Eusebius,*

Apollonius Stoicus, natione Chalcidicus, & Basilides Scytopolitanus, philosophi illustres floruere hac tempestate. *Iulius Capitolinus, & Suidas.*

Titus Caius, vetus Iurisconsultus Institutionum libros tres. Fidei commissorum duos; de verborum obligationibus tres.

Ad edictum Ædilium curalium duos. De casibus item Regularum, Dotalium, & ad Hypothecariam formulam. *Gesner, & Eusebius.*

Iustinus Historicus compendium perutile ex quadraginta quatuor libris Trogi Pompeij edidit, à Nino vsque ad Augusti annum vicesimum quintum: sed dum de Iudæis, eorumque origine, & progressu agit, in multis errauit: multorum iam scholiis illustratus passim habetur.

Lucius Volusius Melianus egit de asse, & eius partibus; De vocabulis insuper, ac notis partium, in rebus pecuniariis, pondere, numero, & mensura. In Pandectis iuris citantur huius auctoris fideicommissorum, vel quæstionum de fideicommissis libri sexdecim, publicorum quatuordecim; ad legem vero Rhodiam vnicus. *Eusebius & Gesner.*

Apollonius Alexandrinus, cognomento difficilis, pater Herodiani Grammatici composuit de partitione orationis libros quatuor; De constructione totidem; De dialectis Dorica, Attica, Ionica, Æolica; De figuris Homericis; De commentitia historia; De passionibus, aliisque quæ à *Suida* numerantur.

Arrianus Nicomediensis Historicus, Xenophon nouus, seu iunior cognominatus; Etenim sicut ille de Cyro, ita hic de Epictero Philosopho, eiusque dissertationibus opus edidit tribus voluminibus. Alexandri item Magni Historiam libris octo complexus est: vtrumque opus habetur in Bibliotheca Vaticana. Alexander Gabuardus Turcellanus asserit Arrianum insignem fuisse Iurisconsultum, multosque de iure ciuili edidisse libros, ac præcipuè de re militari: citantur sæpè à Paulo Patauino. Ipsius leges extant in Pandectis Iustiniani Imperatoris. Cæterùm tantæ fuit famæ ob ingenij sui splendorem, ac eruditionem singularem, vt consulari honore donatus fuerit; *Teste Heliconio.*

NATALITIA AVGVSTA.

Seuerus princeps natus est anno Christi centesimo quadragesimo octauo, Antonini Pij Imperatoris nono. *Spartianus.*

OPERA PVBLICA.

Templum apud Puteolos, maritimum Campaniæ oppidum, Adriano demortuo erigitur ab Antonino Pio Imperatore, anno Christi centesimo quadragesimo primo, principatus secundo. *Spartianus.*

Romæ item alterum Faustinæ, Imperatoris vxori extruitur, anno Christi centesimo quadragesimo secundo, Antonini Pij tertio. Quod etiamnum extat Palatinum inter, & Capitolium; ne fortè quis illud Iuuenis Faustinæ, & Marci Aurelij esse contendat. *Iulius Capitolinus.*

RES BELLICÆ.

Non parum abest ab anno Christi centesimo quadragesimo quarto, Antonini Pij Imperatoris quinto, ingens illa rebellió in Britannia exorta, contra Romanos, dum missus eò legatus Lollius Vrbicus insignem victoriam reportauit, alteróque muro cespititio hostes submouit. *Iulius Capitolinus.*

REI INSIGNES.

Attilius Titianus affectatæ tyrannidis reus proscribitur, anno Christi centesimo quadragesimo quarto, Antonini Pij Imperatoris quinto. Periit eodem tempore Priscianus eiusdem criminis postulatus, sed morte voluntaria. *Iulius Capitolinus.*

OBITVS ILLVSTRES.

Annia Faustina, Antonini Pij Imperatoris vxor vitæ munus impleuit, anno Christi centesimo quadragesimo secundo, principatus tertio. *Iulius Capitolinus.*

DECAS SEXTA.

ANTONINI IMPERTORIS Gesta.

MARCVM Antoninum, Apollonio summo Philosopho, quem è Chalcide acciuerat, erudiendum tradidit, anno Christi centesimo quinquagesimo primo, principatus duodecimo. *Iulius Capitolinus.*

Munera sub idem tempus edidit in quibus elephantos, & crocutas, tigrides & rhinoceroras, crocodilos, & hippopotamos exhibuit. Centum insuper in vna missione leones emisit. *Auctor citatus.*

Multa de iure sanxit, anno Christi centesimo quinquagesimo septimo, principatus decimo octauo, vsus opera Iurisconsultorum Iaboleni, Vlpij, Marcelli, Volusij, Saluij, & Vinidij. Certos item sumptus muneribus gladiatoriis instituit, ac vehicularium cursum summâ diligentiâ subleuauit. *Iulius Capitolinus.*

Senatusconsultum Iulij Cæsaris iussu sancitum, quo vetitum fuerat, ne quis testamentum conderet, quin partem aliquam ærario legaret, concremauit. *Zonaras.*

HEROES.

Sanguine, Gestis, & Politiâ.

Pharasmanes Iberorum Rex Antonini Pij Imperatoris singulari humanitate permotus, anno Christi centesimo quinquagesimo quarto, principatus quinto, vltro iis omnibus acquieuit, quæ Adriano Augusto pertinaciter negauerat. *Iulius Capitolinus.*

Vologeſes Parthorum Rex, ſolis Principis litteris pellectis, Armeniam, quam inuaſerat, variiſque cladibus funeſtarat, benignè conceſſit. *Auctor citatus.*

Remechalces in Boſphoranum regnum ſuum remittitur ab Antonino Pio Imperatore, anno Chriſti centeſimo quinquageſimo quinto, principatus decimo ſexto. *Iulius Capitolinus.*

Pachotus ludis impoſitus, præclaris rebus geſtis vbique maximè celebratur, magnique eſt nominis apud omnes. *Iulius Capitolinus.*

Omulus vir ditiſſimus, tantæque auctoritatis apud Auguſtum, vt ei interroganti vnde tantas, tamque elegantes columnas porphyreticas habuiſſet, reſponderit, cùm in domum alienam veneris, &c. mutus, & ſurdus eſto. *Auctor citatus.*

Sextilius Lateranus natalibus illuſtris, ac tantæ potentiæ, vt magnæ vrbis parti nomen dederit; Romanus item Pontifex Lateranenſis Epiſcopus dictus fuerit. Conſulatus dignitatem ſuſtinuit, anno Chriſti centeſimo quinquageſimo ſexto, Antonini Pij Imperatoris decimo ſeptimo. *Cuſpinianus.*

VIRI ERVDITI.

Claudius Galenus arte medica celebertimus, ex Pergamo, vrbe Aſiæ inſigni, eoque dicta nomine, quod alta in rupe ſita eſſet, oriundus, Niconis, Geometriæ, & Architecturæ viri peritiſſimi filius. Prætermiſſis omnibus quæ ad ipſius laudem facere poſſunt, hoc vnum de eo affirmare magnificum ſatis, atque auguſtum videbitur; Illud idem ſcilicet ipſum præſtitiſſe in Hippocratis, reliquorumque veterum medicorum ſcientiâ, quod Ariſtoteles in Platonis, aliorumque omnium Philoſophia. Vterque enim ita maiorum ſuorum præclara inuenta illuſtrauit, emendauir, ditauirque, vt ad ſummum cognitionis cumulum, hic philoſophiam, ille medicinam perduxerit. *Teſte Othone Brunfelſio.* Cæterùm plurima non tantum medica, verùm philoſophica, & oratoria elucubrauit. Tradunt aliqui, *vt refert Philippus Bergomenſis*, eum centum quinquaginta volumina edidiſſe, ex quibus quæ extant, cum

omnibus obuia ſint, ſuperuacaneum recenſere duximus. Vixit autem annos ſeptuaginta; Apud Ludouicum tamen Cælium, lectionum antiquarum *lib. 6. cap.* 40. legimus proditum eſſe à nonnullis illum centum quadraginta annos vixiſſe. *Suidas, Volaterranus, & Geſner.*

Taurus Berithius, Philoſophus Platonicus egit de differentiis dogmtum Platonis, & Ariſtotelis; de Corporeis, & incorporeis, aliiſque nonnullis. *Suidas, Volaterranus, & Geſner.*

Herodes Athenienſis, cognomento Iulius, filius Attici, à Fauorino, & Polemone eruditus, ſcripſit Ephemeridas, epiſtolas, & orationes ex tempore, quarum meminit Philoſtratus, in vitis Sophiſtarum; Sunt & alia plurima opera, in quibus tanti viri & ingenij magnitudo, acumen mirabiliter elucet. Hunc Rufus Perinthius Græcorum linguam, Regemque orationis vocitabat. *Suidas, Volaterranus, & Geſner.*

Creſcens philoſophus Cynicus, ſeu Diogenis ſectator, gulæ maximè deditus, floruit hoc tempore. Hic à Iuſtino reprehenſus auctor fuit, cur idem Iuſtinus Martyrij corona toties exopata auctus fuerit.

Ptolemæus Aſtrologus Ægyptius liberalium artium, & Græcarum litterarum apprime eruditus, Alexandriæ docuit. In Aſtrologiæ ſcientia nulli ceſſit. Primus ſiquidem apud Græcos rationem omnem cœli diligentiùs explicuit, inuentaque omnia ab Hipparco inſtrumenta clariùs aperuit. Hunc natura mater, *inquit Hieronymus Gamuſæus*, veluti reliquorum omnium in re mathematica exemplar perfectiſſimum efformauit. Præter Geographiam, libros Græcos tredecim magnæ conſtructionis mathematicæ, vel magni Aſtrologij, cæleſtiumque motuum cognitionis, vulgo Almageſtum vocant, nobis reliquit; Opus tantæ eruditionis, *vt Beſſario, vir præſtantiſſimus, teſte Ioachimo Camerario in Epiſtola nuncupatoria ad ſenatum Norimbergenſem*, vnâ integrâ prouinciâ æſtimare illud non dubitarit. Scripſit inſuper Mechanicos tres de ortu, & de ſignificatione ſtellarum inerrantium duos, *vt ſcribit Suidas.* De Iudiciis Aſtrologicis quatuor; Ad Syrum item fratrem, centiloquium, ſeu centum canones, quos vnico libello complexus eſt, fructumque librorum omnium, quos anteà de ſtellarum

decretis, hoc est practica stellarum pronostica appellauit. Hinc factum vt καρπὸς Græcè inscriptus fuerit. In eo quæcumque traduntur, vsu, atque experientia probata esse sustinet, veritatique consentire. Adde præterea aliqua de arte sphærica, & libros tres de musica, qui etiamnum extant in Italia, Bononiæ ad saluatorem. Astrolabium denique, seu Planisphærium ei attribuitur. *Suidas, & Gesner.*

OPERA PVBLICA.

Græcostadium fœdissimis Romæ exhaustum flammis; Item Amphitheatrum; Templum Agrippæ; Pons sublicius; Caretæ portus, & Tarraconensis; Templa demum Lauiniana Antonini Pij Imperatoris sumptibus restituta fuere, anno Christi centesimo, quinquagesimo quinto, principatus decimo sexto. *Iulius Capitolinus.*

PRODIGIA.

Apparuit stella crinita, anno Christi centesimo quinquagesimo quarto, Antonini Pij Imperatoris decimo quinto. Natus & puer biceps in Italia, vnoque partu quinque editi. Visus etiam in Arabia iubatus anguis, maior solitis, qui se à cauda medium comedit. Quatuor leones mansueti; atque hordeum in Mœsia, arborum culminibus sub idem tempus enatum. *Julius Capitolinus.*

CALAMITATES.

Variis, ac magnis cladibus afflictatus fuit, anno Christi centesimo quinquagesimo quarto, Antonini Pij Imperatoris decimo quinto vniuersus Romanus orbis, fame scilicet, circi ruinâ, & terræ motu ingenti, quo Rhodiorum, Asiæque oppida quamplurima concidere. Corinthiorum volunt aliqui, alij vero Cizicenorum, vt *Dio*, qui asserit Cizicum, Bithyniæ vrbem illustrissimam corruisse, eiusque templum, reliquorum omnium augustissimum; Huius columnæ crassitudine

dine vlnarum quatuor, altitudine vero quinquaginta cubitorum, singulæ vero quinquaginta cubitorum, singulæ ex singulis lapidibus compositæ erant. *Iulius Capitolinus*, *&* *Zonaras*. Adde ad hæc funestum illud, atque atrox incendium, quod trecentas quadraginta insulas Romæ absumpsit.

Narbonensis ciuitas, sub idem tempus, flammis exhausta fuit. Antiochense item oppidum, & Carthaginense forum. Fuit & Tyberis inundatio maxima, multæque fluminum illuuiones, & lues totam Arabiam fœdissime deuastans. *Iulius Capitolinus*.

RES BELLICÆ.

Mauros rebellantes ita perdomuit Antoninus Pius Imperator, anno Christi centesimo quinquagesimo primo, principatus duodecimo, vt eos, ad pacem enixè expetendam, coegerit. Germanorum item, & Dacorum infestas incursiones fortiter repressit. *Auctor citatus*.

Ingentes militum copias Olbiopolitis, in Pontum contra Tauroscythas misit idem Princeps, anno Christi centesimo quinquagesimo quinto, principatus decimo sexto. Ceterum Olbiopolis ciuitas est Sarmatiæ Europææ, ad Borysthenem amnem, quam Milesij condidere, *teste Strabone*, vnde Miletopolis fuit appellata. *Iulius Capitolinus*.

DECAS SEPTIMA.

ANTONINI PII IMPERATORIS Gesta, & Obitus.

SEVERISSIMIS sanciuit decretis, anno Christi centesimo sexagesimo primo, principatus vicesimo secundo, ne maritus adulterij accusare posset vxorem, si ipse impudicè viueret: Hanc legem, quæ in codice Gregoriano habetur, laudat maximè D. Augustinus vt æquissimam. Periniquum enim videtur, vt vir ab vxore pudicitiam exigat, quam ipse non exhibet. Quare æquum erat, vt maritus legi Iuliæ, *cuius meminit Vlpianus*, subijceretur. *D. Augustinus lib. 2. de adulteriis coniugum. c. 4.*

Plures exteræ gentes, ipsius æquitate permotæ, depositis armis, se illius voluntati subdidere, anno Christi centesimo sexagesimo secundo, principatus vicesimo tertio, inter quas fuere Bactri, Hircani, & Indi. *Eusebius in Chronico, & Iulius Capitolinus.*

Tandem ingrauescente morbo, anno Christi centesimo sexagesimo tertio, principatus vicesimo quarto, tertio die antè obitum, Rempublicam, filiamque suam Marco Antonino futuro Imperatori, præsentibus Præfectis commendauit. Tum fortunam auream, quæ, more consueto, atque solemni, in cubiculo Principum collocari solebat, ad eum transferri iussit. Die verò septima mensis Martij, vitæ munus, apud Lorium villam suam, impleuit, ætatis anno septuagesimo, Imperij vicesimo quarto, vt patet ex vicesima quarta Tribunitia potestate, quam ex antiquis scriptoribus, atque monumentis, ipsum magna cum laude sustinuisse colligimus.

Notandum tamen illum viginti duos tantum annos expletos rexisse Imperium, duos verò extremos attigisse. Et-

enim cùm anno Christi centesimo quadragesimo, die decima Iulij, post mortem Adriani, rem Romanam suscepisset, desijssetque hoc anno septima die Martij, constat satis eum imperasse annos viginti duos tantum, menses septem, & dies viginti sex. *Eutropinus Xiphilius & Dio.*

ICON
ANTONINI PII IMPERATORIS.

ANTONINVS *Pius, ex Tito Aurelio, & Fatidilla natus, filius adoptiuus Adriani, formâ conspicuus, ingenio clarus, eloquentiâ insignis, litteraturâ politus, moribus mitis, clemens, & largus, nulli acerbus, cunctis benignus. Quæstor fuit liberalis, Prætor splendidus, Consul illustris. Priuatus magna vixit cum honestate; maiori, annorum viginti quatuor Imperator. Pius meritò senatus auctoritate cognominatus, & Pater patriæ salutatus; Regibus amicis venerabilis, non minus quàm terribilis. Iustitiæ eius fama Bactrianos, Hircanos, Indos, aliasque Barbaras nationes compulit, vt depositis armis, controuersiarum suarum arbitrum assumerent. Per legatos plurima gessit bella. Britannos, Mauros, Dacos, Germanos, ac Iudæos rebellantes contudit. Alanos refrænauit. In Achaia, & Ægypto motus composuit. Seditiones non crudelitate, sed modestiâ compressit. Orbem planè vniuersum, non armis, sed virtute, & auctoritate deuicit. Pacis amantissimus, imperium, pace potius refouere, quàm proferre voluit; dictum illud Scipionis subinde in ore habens, malle se vnicum ciuem seruare, quàm mille hostes occidere. opera publica multa restituit. Spectacula plurima edidit; otiosis mercedem subtraxit, crudelius nihil esse dictitans, quàm rem familiarem ab aliis corrodi, qui*

nihil in eam suo labore conferrent. Æquissimos quosque viros ad administrandam Rempublicam perquisiuit. Bonos honore, & amore coluit. Improbos sine acerbitate, odio habuit. Amicis non aliter vsus est in principatu, quàm priuatus. In victu illius, opulentia sine reprehensione; & parsimonia, sine sordibus enituit. Opes denique suas, stipendiis, ac profusâ in amicos liberalitate minuit; ærarium tamen opulentum reliquit. Princeps siquidem qui suas minuit opes, vt priuatorum augeat, omnium opes facit suas.

MARCI AVRELII ANTONINI vulgò Philosophi; & Lucij Ælij Veri Antonini Imperatorum Gesta.

ANtonino Pio extincto, Marcus Aurelius Antoninus vulgò Philosophus, & Lucius Ælius Verus Antoninus imperium capessunt. Tunc primùm duo Augusti, seu Cæsares imperare cœperunt: Diui fratres apud Iurisconsultos dicti, quod à Pio Antonino adoptati fuissent. Verum cùm Marcus natu grandior esset, ac forma præstantior, tanquam alterum patentem erga Lucium Verum se gessit. Eumque, desponsatâ illi Lucillâ filiâ, generum suum fecit: Nuptiæ tamen prolatatæ fuere propter expeditionem, quam hoc anno centesimo sexagesimo tertio, principatus primo, in Parthos ducere statuerat Marcus Antoninus. *Dio, & Iulius Capitolinus.*

Condictum fuit eodem Christi anno inter Principes, vt Lucilla sponsa, ad Lucium Cæsarem, Ephesum mitteretur; sed arreptâ, infausto casu, à dæmone Lucillâ, quæ haud medicorum, vel Aruspicum vndique conquisitorum arte vlla curari poterat; nuptias in sequentem annum centesimum sexagesimum quartum, principatus secundum differre coëgit. *Iulius Capitolinus.*

Scenicas donationes, ad quinos, vel denos saltem aureos temperauit Marcus Antoninus, anno Christi centesimo se-

xagesimo septimo, principatus quinto. Leges insuper edidit de vicesima hereditatum, de tutelis, de donis maternis, de filiorum successionibus, pro parte materna; Iussitque, vt senatores peregrini quartam partem in Italia possiderent; Sicque ius potius vetus restituit, quàm nouum instituit. *Auctor citatus.*

Lautissimam duodecim conuiuarum mensam sexagies centenis millibus sestertiûm, hoc est aureis supra centum quinquaginta millia æstimatam parauit Lucius Verus Imperator, post bellum Parthicum, anno Christi centesimo sexagesimo octauo, principatus sexto, in qua singulis eximiæ formæ pueri administrabant; Dati & singulis structores, & lances, Data & spirantia animalia vel cicurum, vel ferarum auium, vel quadrupedum, quorum cibi appositi erant. Dati & singulis per singulas potiones calices myrrhini, & chrystallini Alexandrini, quoties bibitum est. Data & aurea, atque argentea pocula, immò & gemmata. Coronæ item lemniscis aureis interpositis, alienique temporis floribus. Data & vasa aurea cum vnguentis ad speciem alabastrorum. Data insuper vehicula argentea, quibus è conuiuio ad proprios lares deueherentur. *Iulius Capitolinus.*

Ambo Augusti Parthici nominati eodem Christi anno centesimo sexagesimo octauo, variaque, magno cum apparatu exhibuere ijdem Cæsares spectacula. Marcus insuper Aurelius Antoninus Pater patriæ à senatu appellatus est. *Auctor citatus.*

Dum bellum Marcomanicum meditantur Cæsares, cuius terrori addita est ingens lues, quæ vulgò grassari ceperat, non tam soliciti, quàm superstitiosi redditi, crebras supplicationes dierum septem, ac lectisternia, placandorum numinum causa, & victoriæ ab hostibus reportandæ, per Diuûm puluinaria decreuerunt, anno Christi centesimo sexagesimo nono, principatus septimo. *Iulius Capitolinus.*

HEROES.

Sanguine, Gestis, & Politiâ.

Atilius Cornelianus Syriam prouinciam administrabat, anno Christi centesimo sexagesimo quarto, Marci Antonini, & Lucij Veri Imperatorum secundo. Iunius vero Rusticus, Marco Antonino Principi carus, consularibus infulis ab eodem ornatus fuit. *Iulius Capitolinus, & Cuspinianus.*

Cassius, vir palmaris deuicto Vologesis Parthorum Regis exercitu, Asiæ totius Præses constituitur anno Christi centesimo sexagesimo quinto, Marci Antonini, & Lucij Veri Imperatorum tertio. *Iulius Capitolinus.*

Pertinax Germanis feliciter debellatis, anno Christi centesimo sexagesimo sexto magnum sibi nomen fecit vnà cum Pompeiano duce peritissimo. Statius autem Priscus ob recuperatam Armeniam, Rex illius prouinciæ creatus fuit. *Zonaras.*

VIRI ERVDITI.

Marcus Aurelius Antoninus, Princeps liberalibus artibus, iuris peritia, ac in primis philosophia insignis. Hæc enim tanto in pretio illi fuit, vt Imperatoria etiam auctus maiestate, philosophorum scholas frequentarit, tantoque honore doctores suos coluerit, vt non solum aureas illorum imagines in larario habuerit, verùm earum sepulchra, hostiis, ac floribus subinde magna religione exornarit. *Iulius Capitolinus, & Suidas.*

Hyphæstion Alexandrinus Grammaticus, Lucijque Veri Cæsaris præceptor, cuius extat hodie de re metrica elegans libellus. *Casaubonus in Iulium Capitolinum.*

Iunius Rusticus, summus philosophus & ab Imperatore, ob singularem ingenij sui splendorem, statuâ post obitum donatus est, vt refert *Iulius Capitolinus.*

Hermogenes è Tarso, vrbe Ciliciæ celeberrima, à Perseo

Danaes filio condita, annos quindecim tantùm natus, adeo celebris Sophista habitus est, tantæque famæ, vt ad se Marcum Aurelium Cæsarem acciuerit, ab eoque magnis muneribus ornatus fuerit. Librum vnum de statibus composuit; De ideis, seu formis, aut characteribus styli, duos. De Cælosyria; seu ea Syriæ parte, *teste Strabone*, quæ vltra Seleucidem in Ægyptum, & Arabiam recedit, Libanoque, atque Antilibano includitur, & ita dicta à cauitate terræ, duos. De inuentione insuper tomos quatuor. Procaces aliqui, cum tantus vir è singulari illa eloquendi mirabili facilitate, quam omnes summa suspiciebant admiratione, excidisset, eum alata verba habuisse dixerunt.

Aristides Adrianensis, Polemonis Smyrnei Rhetoris discipulus, vnde & Smyrneus ipse à quibusdam dictus, Eudæmonis Philosophi filius, Athenis Herodem audiuit, Pergami vero Aristoclem; Varia nobis ingenij sui monumenta reliquit, inter quæ, hæc habentur. Panathenaicus, in quo quæcumque ad Athenarum, ciuiumque laudem conducere videbantur, ex priscis scriptoribus Herodoto, Thucidide, & Theopompo decerpta complexus est. Orationes quinque pro Lacedæmoniis, & Thebanis, quæ omnibus admirationi fuere tùm propter styli grauitatem, tùm propter sententias, & epicheremata. Auxilium in Siciliam mittendum esse: altera in contrarium. Ad Athenienses de pace, cum Lacedæmoniis fouenda. Ad Lacedæmonios de pace, cum Atheniensibus promouenda. Oratio, cùm Philippus transitum à Thebanis peteret. Ad Thebanos de societate belli ineunda, contra Philippum. Panegyricus in Cyzico. De templo Æsculapij, & vrbis laudibus. Oratio ad Smyrnæos, qua restauratam vrbem, & eleganriorem factam esse prædicat. Oratio ad Eleusinos, qua priscam loci religionem, ac felicitatem recenset. Smyrnica ciuilis, vbi Smyrnæ ciuitatis situm, structuram, & amænitatem extollit. Oratio, qua Mineruam partim laudat, partim quædam ab ipsa expetit, quæ in somnio viderat. Panegyricus in Romam. Oratio suasoria ad Smyrnæos, quod non liceat in festis Deorum conuiuiis, ac infamibus comodiis vti. Ad Rhodios de terræ motu, quo ipsorum ciuitas concidit.

dit. In Eteonicum oratio funebris, altera in Alexandrum, ad senatum, & populum Cotyaensium. De laudibus Imperatoris. De Nilo. Sermo in Æsculapium, in Iouem, in Ægæum Pelagus, in Serapin. Sermo Isthmicus in Neptunum. De Rhetorica, contra Platonem. Defensio quatuor Rhetorum Atheniensium. Oratio in laudem Cimonis, Miltiadæ, & Themistoclis. Communis apologia ad Platonem. Oratio de concordia, ad ciuitates. Herculis laus. Sermones sacri quinque, & fragmentum sexti, in quibus explicat morbos suos, & somnia, quæ ægrotans, ab Æsculapio immissa videret. *Suidas, Volaterranus, & Gesner.*

Sextus Cheronensis Plutarchi, sororis filius, Herodoti Philadelphei discipulus, Pyrrhonicæ sectæ, tantæque auctoritatis apud Principem, vt vnà cum eo ius diceret; Ethica, & Episceptica libris decem contexuit. *Suidas, & Gesner.*

Fronto, Orator ingenio splendido, eloquentia insigni, & doctrina singulari, floruit hoc tempore. Illum Imperator præ cæteris coluit, ac statuâ, senatu suffragante, immo & applaudente cohonestauit. *Iulius Capitolinus.*

Quintus Mutius Scæuola, vetus Iurisconsultus libros sexdecim edidit, qui in digestis citantur. *Gesner.*

Marcellus Sidites, medicus libros quadraginta duos de re medica carmine heroïco scripsit. *Suidas, & Volaterranus.*

OPERA PVBLICA.

Augustissimum Antonino Pio templum publicis sumptibus extruitur, anno Christi centesimo sexagesimo tertio, Marci Aurelij & Lucij veri Imperatorum primo. *Iulius Capitolinus.*

In via verò Claudia, villa famosissima ædificatur à Lucio Cæsare, post bellum Parthicum, anno Christi centesimo sexagesimo octauo, principatus sexto. *Auctor citatus.*

PRODIGIA.

Lucio Vero Imperatori Athenis sacrificanti visus est ignis ab oriente, in occidentem deferri, anno Christi centesimo

sexagesimo quinto, principatus tertio. *Iulius Capitolinus.*

CALAMITATES.

Vulgaris lues, quam se detulisse Lucium Verum Principem, è Parthico bello, cum exercitu remeantem, ferebatur, ita per orbem vniuersum, ac in primis Italiam desæuiit, anno Christi centesimo septuagesimo, Marci Aurelij, & Lucij Veri Imperatorum octauo, vt villæ passim, agri, atque oppida in siluas abierint, militumque fere omnes copiæ, *Eutropio teste*, defecerint. Ea propter non tantum seruos, præter morem, sed ipsos etiam reos armis instruere, immò & Germanorum copias aduersùs Germanos, magna pecuniarum vi emere oportuit. Illam Galenus *lib.* 3. maximam appellat; Iulius Capitolinus asserit eandem è Babylonia ortam fuisse, aureâ reclusa arcula, in quam miles in templo Apollinis inciderat. Hæc enim, adeo pestilentem aërem, præsensque venenum effuderat, vt omnes penè regiones subitò infectæ fuerint, magnisque hominum stragibus funestatæ. Romanam insuper vrbem Tyberis eluuione, atrocique fame afflictam fuisse scribit *Iulius Capitolinus.*

RES BELLICÆ.

Lucius Verus Imperator, ipso principatus initio, anno Christi centesimo sexagesimo tertio, in Vologesem, Parthorum Regem, qui in Armenia exercitum Romanum, vnà cum Seueriano duce, penè deleuerat, castra mouit: Calphurnius verò, militares copias, contra Britannos, sub idem tempus duxit. *Iulius Capitolinus.*

Atidio Corneliano, Syriæ præside deuicto, Luciús Cæsar Vologesem ingenti prælio debellauit, anno Christi centesimo, sexagesimo quinto, principatus tertio. Tum Ctesiphontem Assyriæ vrbem venit, Seleuciamque cum trecentis, *vt vult Eusebius*, vel quingentis, *vt Eutropius*, occupauit, vastauit, flammisque exhausit, dein Regiam Vologesis, quæ in ciuitate Ctesiphonte erat, solo æquauit.

Promouetur ſtrenuè à Lucio Imperatore bellum Parthicum, anno Chriſti centeſimo ſexageſimo ſexto, principatus quarto. Artaxatis captis, Armenia recuperata eſt per Statium Priſcum, cui Rex impoſitus fuit. *Zonaras.*

Marcomanni, Carti, aliique populi Germanici Rhetiam Imperij Romani Prouinciam inuaſere, anno Chriſti centeſimo ſexageſimo ſeptimo, Marci Aurelij, & Lucij Veri Imperatorum quinto. In eos miſſus eſt Aufidius Victorinus, qui Barbaris aditum potiùs prohibuit, quàm bellum intulit, Parthicæ pugnæ exitum expectans. *Iulius Capitolinus.*

TRIVMPHI.

Parthico bello, poſt quinquennium feliciter confecto, Lucius Verus Imperator Romam, cum Marco Aurelio collega repetens, triumphum egit, anno Chriſti centeſimo ſexageſimo octauo, principatus ſexto; In eo Marci Cæſaris liberi triumphali curru, pro more ſolemni, deuecti fuere; Tum ludi victoriales, ſumma elegantia, ac ſcenæ apparatu exhibiti, quibus Principes triumphantium habitu interfuere. *Iulius Capitolinus.*

OBITVS ILLVSTRES.

Peregrinus Philoſophus, rogo, apud Piſas, quem ex variis lignis compoſuerat, accenſo, in eum derepente ſe coniecit, vt refert Lucianus, qui tam ſtupendo ſpectaculo præſto fuit. *Euſebius.*

FVNERA.

Adriani Mauſoleo, Antonini Pij corpus magnâ cum exequiarum pompâ, iuſtitio indicto, & lugubri cultu infertur. Laudatur pro roſtris à Marco Aurelio, & Liuio Vero Imperatoribus, Flamenque ex affinibus, & Aureliani ſodales ab iiſdem creantur, in honorem demortui. Tum munus funebre, regio apparatu, editur. *Iulius Capitolinus.*

DECAS OCTAVA.

LVCII VERI ANTONINI IMPERATORIS Gesta, & Obitus.

INSTRVCTO iam, ad Marcomanicum bellum, miraculis famosum, exercitu, ambo Augusti paludati vrbe exierunt; Vix tamen Alpes conscenderant, cùm Lucius Verus Antoninus Princeps eodem curru cum collega vectus, inter Concordiam Venetiæ oppidum, & Altinum ciuitatem florentissimam, in littore Venetiæ sitam, subita apoplexi corruptus apud Altinum, quô perductus fuerat, obiit anno Christi centesimo septuagesimo primo, principatus nono excurrente, vt patet ex inscriptione, quæ in illius sepulchro, ad Adriani molem posito, legitur, in qua nouies tantum Tribunitiâ potestate auctus reperitur. Ex numero enim Tribunitiæ potestatis, quæ singulis annis repeti consueuerat, certã cuiusque Imperatoris chronologiam stabiliri obseruarunt auctores, præcipuè autem *Dio, Onuphrius, Baronius, & alij*, vt supra obseruauimus.

ICON
LVCII VERI IMPERATORIS.

LVCIVS Verus, Lucio Vero patre, matre Domitia Caluilla progenitus, Romæque natus, post septimum annum in familiam Aureliam traductus est. Tum Marci Cæsaris moribus, atque auctoritate formatus Quæsturam obtinuit, dein Consulatum cum Sextilio Laterano. Post obitum Antonini Pij, æquo iure cum Marco Aurelio Principe, Imperium administrauit. In Syriam profectus totum se turpissimis libidinibus infecit, crebraque, quæ ibi conceperat vitia, Romam deportauit: Popinæ, aleæ, nocturnisque incursionibus adeo deditus, vt Neronis, Caij, atque Vitellij æmulus haberetur. Inter alium luxuriæ apparatum, prægrandem calicem chrystallinum, quem, equi sui nomine, Volucrem appellabat, in deliciis habuit. Capillorum cura tanta ei fuit, vt subinde auri ramenta capiti aspergeret. Histriones, fidicines, tibicines, scurras, & præstigiatores permultos in vrbem deduxit: bellum Parthicum secundo exercitu confecit, de eoque triumphum Romæ egit. Tandem iter faciens, apoplexia correptus Altini, Imperij fasces, vnà cum vita, anno principatus nono, ætatis verò quadragesimo secundo deposuit.

MARCI AVRELII ANTONINI Imperatoris Gesta.

LVcio Vero extincto, anno Christi centesimo septuagesimo primo, principatus nono, rempublicam solus magna cum laude tenuit. *Iulius Capitolinus.*

Orientem, rebellione Auidij Cassij, Syriæ præfecti, nutantem, vnà cum filiis, & Faustina coniuge periit anno Christi centesimo septuagesimo octauo, principatus decimo sexto. Antiochensibus, ac ciuitatibus omnibus, quæ à Cassij partibus steterant, ignouit; Voluit tamen, ne quis in posterum ei præesset prouinciæ, quæ ipsum nascentem excepisset, quoniam Auidius Cassius Syrus, Syriam administrans, Imperium affectasset. *Iulius Capitolinus, & Zonaras.*

Edixit eodem anno ne quis senator, toto principatus sui decursu, interficeretur. In Italiam rediens, Athenas se contulit, vbi templum Cereris, atque sacrarium, (cuius limen, rei ne subire quidem poterant,) ingressus, innocentem se probauit, magnisque officiis Athenienses est prosecurus, quorum in vrbe, viros doctrina illustres, annuaque mercede conductos instituit. *Iulius Capitolinus.*

Ex oriente, sub idem tempus regressus, multa multis largitus est, pecuniamque, quæ fisco iam ab annis sex, & quadraginta debebatur, remittens, debitorum tabulas, in medio vrbis foro, comburi iussit, & ne quid summæ bonitati suæ deesset, seueriores quasque leges, nouis constitutionibus temperauit. Adde quod, in munere publico, post victoriam de hostibus reportatam, tam magnificus fuerit, vt centum leones, sagittis interfectos, vna missione exhibuerit; Populo verò congiarium dederit. *Dio, Eusebius in Chronico, Orosius, & alij.*

Æratio iam exhausto, ob crebra, & ingentia bella, quæ feliciter gesserat, instrumenta Regij cultus, atque augusta quæque aulica ornamenta, & signa, vasaque aurea, chrystallina, & myrhina, immò & gemmas magni pretij, quas in Adriani

ærario repeteret, sub hasta, duorum mensium spatio, subiecit, vnde auri vim magnam sibi comparauit ad Marcomannicum, seu Germanicum bellum iam renouatum, penitus conficiendum. *Dio, & Iulius Capitolinus.*

HEROES.

Sanguine, Gestis, & Politiâ.

Claudius Pompeianus, equitis Romani filius, genere Antiochensis, Commodi sororem natu maiorem, in vxorem duxit, anno Christi centesimo, septuagesimo primo, Marci Aurelij Antonini Imperatoris nono; fasces verò Consulis sumpsit anno Christi centesimo, septuagesimo quinto, & eiusdem Cæsaris decimo tertio. *Iulius Capitolinus.*

Auidius Cassius Romanorum dux peritissimus, Syriæ præerat, anno Christi centesimo, septuagesimo septimo, Marci Aurelij Imperatoris decimo quinto. Hic, alternante natura, asper modò, ac durus, modò suauis, ac mitis habebatur; sæpè religiosus, aliàs sacrorum contemptor; cibi appetens, & inediæ patiens; Veneris cupidus, sed castitatis amans; Disciplinæ tamen militaris adeo tenax, vt Marium se appellari voluerit. Seditione ingenti in exercitu orta, nudus prodiit, hæc præfatus, percutite me, si vobis sit animus, & corruptæ disciplinæ facinus addite. Tunc acquiescentibus cunctis, meruit timeri, quia non timuit. Quæ res, tantum disciplinæ Romanis addidit, tantumque terroris Barbaris iniecit, vt annorum centum, pacem ab Antonino Cæsare, etiam absente, peterint. In Armenia, Arabia, & Ægypto res prospere gessit, magnamque sibi gloriam peperit, quam omnino defœdauit, Imperium orientale affectans. Quare miserè à militibus interfectus, ingloriùs occubuit. Mætianus vero eiusdem Cassij filius Alexandriam sub idem tempus regebat, *vt referunt Iulius Capitolinus, & Volcatius Gallicanus.*

Commodus, Marci Aurelij Imperatoris filius Consul designatur, anno Christi centesimo septuagesimo octauo, principatus decimosexto, impetratâ veniâ legis annariæ, nondum

enim ætatem attigerat; Mox Tribunitia potestate auctus, Augustique nomine à senatu ornatus, Crispinam Brutij filiam matrimonio sibi iunxit. *Iulius Capitolinus, & Cuspinianus.*

Brutius Præsens tantæ fuit auctoritatis, atque nominis, vt Marcus Aurelius Antoninus Princeps, ipsius filiam filio suo Commodo, Imperij curam breui suscepturo in vxorem dederit. *Auctores citati.*

VIRI ERVDITI.

Atheneus Neucratita Grammaticus, Dipnosophistarum, hoc est argute, scireque in conuiuio disserentium, libros quindecim composuit, opus varium, & eruditum; Historiam item de Regibus Syriæ, cuius meminit *lib.* 5. vbi Alexandri conuiuium describitur. *Suidas, Gesner, & Volaterranus.*

Herodianus Alexandrinus, Grammaticus, Apollonij cognomento, Discoli, hoc est difficilis, filius, multa nobis reliquit, Imperatorum præsertim Historiam. *Volaterranus.*

Onesicritus Philosophus, & Historicus Æginensis, fuit è Diogenis schola, Xenophontis æmulus; vt enim ille Cyropædiam, ita iste Alexandri incunabula, & originem scripsit. *Suidas.*

Lucius, cognomento Pius, Britanniæ Rex, politiori litteratura apprime excultus, varia ingenij sui ac doctrinæ monumenta posteris tradidit, ac in primis librum vnum Epistolarum, ad Eleutherium Papam. *Pitzeus de scriptoribus illustribus.*

Atticus, Philosophus Platonicus florebat hoc tempore; Capella item, Anristius, & Arteius Oratores celeberrimi, & Commodi Principis Doctores insignes, quos Marcus Aurelius Antoninus Imperator in delicijs habuit.

Gordianus, Metij Marulli, & Vlpiæ Gordianæ filius, Imperator futurus, varia contexuit poemata; scripsit insuper quemadmodum Virgilius Æneidos, Statius Achilleidos, Homerus Iliados, ita ipse Antoniniados, hoc est Antonini Pij, & Antonini Marci vitam, præclaraque gesta, libris triginta; *vt testatur Iulius Capitolinus in ipsius vita.*

OPERA

OPERA PVBLICA.

Templum Faustinæ, vxori Imperatoris, Principis sumptibus, ad Romulei montis radicem extruitur, anno Christi centesimo, septuagesimo octauo, principatus decimo sexto. *Cuius meminit Trebellius Pollio.*

Smyrna, vrbs Ioniæ clarissima restauratur, anno Christi centesimo, octogesimo, Marci Antonini Imperatoris decimo octauo, decennali tributorum immunitate concessa. *Eusebius in Chronico.*

CALAMITATES.

Adoleuit in dies, ingenti cum hominum strage, magna illa lues, quæ anno Christi centesimo septuagesimo, è Babylonia orta fuerat, durauitque vsque ad Marci Aurelij Antonini obitum. *Iulius Capitolinus, & Eusebius in Chronico.*

Smyrna ciuitas terræ motu prostrata fuit, anno Christi centesimo, septuagesimo nono. Marci Aurelij Antonini Imperatoris decimo septimo. *Eusebius in Chronico.*

RES BELLICÆ.

Cruentum illud Marcomannicum bellum, ac tantum, quantum nullâ memoriâ fuit, iustéque cum Punicis conferendum, initur anno Christi centesimo septuagesimo primo, Marci Aurelij Antonini Imperatoris nono. Quo tempore impostor quidam, Alexander nomine, explorato Æsculapij oraculo, felicem belli exitum, victoriæque lauros triumphales spopondit Principi, qui tantâ spe nixus, hostium viribus inconsultò pertentatis, in maximum discrimen legiones omnes Romanas adduxit. Et verò tanta clade exercitus affectus fuit, vt viginti militum millia desiderata fuerint. *Iulianus in Pseudomante, qui tunc viuebat, vt eius scripta testantur.*

Imperatore hostes è Pannoniâ, armis victricibus expellente, anno Christi centesimo, septuagesimo quinto, principa-

tus decimo tertio, rebelles maximas turbas in Ægypto excitant. *Iulius Capitolinus.*

Bellum, abhinc quinque annis, contra Marcomannos, Quados, Vandalos, Sarmatas, Sueuos, aliasque complures Barbaras nationes, susceptum, confectum fuit, anno Christi centesimo septuagesimo sexto, Marci Aurelij Imperatoris decimo quarto, vt testantur eius litteræ ad senatum datæ. Hoc bello, Romanis copiis siti penè enectis, Christianæ Religionis pietas, salutem, atque victoriam peperit; Illius siquidem preces, collectis repente nubibus, pluuiam suis, fulmina verò in hostes excussere; Ea propter legioni fulminatrici nomen illi inditum est. *Iulius Capitolinus, Orosius, & alij.*

Marcomanni, aliæque gentes finitimæ bellum acerrimum instaurarunt, anno Christi centesimo septuagesimo nono, Marci Aurelij Antonini Imperatoris decimo septimo. Contra illos ipse Princeps, cum Commodo filio suo, magnum duxit exercitum, sed fato infælici, cùm in ea expeditione obierit. *Iulius Capitolinus, & Lampridius.*

TRIVMPHI.

Marcus Aurelius Antoninus Philosophus ex oriente regressus, Pannoniisque seruitio liberatis, inclytum de Marcomannis cum filio suo Commodo egit triumphum, anno Christi centesimo septuagesimo octauo, principatus decimo sexto. *Eutropius, & Iulius Capitolinus.*

OBITVS ILLVSTRES.

Cæsaris filius septennis nomine Verus præpropero fato extinctus est in secessu Prænestino, anno Christi centesimo septuagesimo sexto. Statuæ illi decretæ fuere, & imago aurea, Circensibus in ludis per pompam deuehenda, immò, & illius nomen Saliari carmine insertum. *Iulius Capitolinus.*

Faustina Imperatoris vxor repentino morbo periit in radicibus montis Tauri, anno Christi centesimo septuagesimo octauo, Marci Aurelij Antonini Principis decimo sexto. Diua à senatu appellata est, nouæque Faustinianæ puellæ in illius honorem institutæ, cùm tamen impudicitiæ fama grauiter laboraret. *Iulius Capitolinus.*

DECAS NONA.

MARCI AVRELII ANTONINI Philosophi Imperatoris Gesta & Obitus.

IN expeditione Marcomannica , seu Germanica, Sirmij agens in Pannonia inferiori , desiit die decima septima mensis Martij , anni centesimi octogesimi secundi , Imperij decimi noni expleti, ætatis verò quinquagesimi ferè noni; *vt refert Iulius Capitolinus, dum asserit* eum natum fuisse Vero, & Augusto consulibus, sexto Kalendas Maij, anni Christi centesimi vicesimi tertij.

ICON

MARCI AVRELII ANTONINI PHILOSOPHI IMPERATORIS.

MARCVS *Aurelius Antoninus vulgò Philosophus, Romæ in Cælio monte natus, antiquæ familiæ, vt pote qui à Numa Pompilio paternam originem, à Salientino verò Rege, maternam duxit. Ea ingenij bonitate, ijsque virtutibus floruit, vt suspici facilius, quàm collaudari possit. Adeo à principio vitæ tranquillus fuit, vt in ipsa infantia, ne vultum quidem, vel gaudio, vel mœrore mutarit. Litteras maximè coluit; ac præsertim Stoicam disciplinam. Imperium penè collapsum, septentrione sæuiente, oriente autem ingemiscente, summa felicitate, restituit. Bellum Parthicum, cum Lucio Vero collega prosperè gessit. Marcomannicum, Vandalis, Sarmatis, Sueuis, atque Barbaris nationibus perdomitis, solus mira facilitate confecit. Ad cuius sumptus, exhausto ærario, ne cuiquàm grauis foret, instrumentum omne Imperij cultus vendidit. Munus, partâ victoriâ, magnificentissimum edidit. Prouincias omnes, ingenti benignitate, atque moderatione tractauit. Leges optimas tulit. Opera publica magnis sumptibus extruxit. Rempublicam denique, quam nouemdecim annis administrarat, singulari virtute, ac mansuetudine, fortunatam reddidit; Princeps certè felicissimus, nisi heredem Commodum reliquisset. Parentis si qui-*

dem optimi infelicitas maxima est, malum relinquere filium.

COMMODI IMPERATORIS Gesta.

DEfuncto Principe Marco Aurelio Antonino Philosopho, Commodus ipsius filius, qui cum patre in castris agebat, natus, *Lampridio teste*, annis vndeuiginti, minus tribus mensibus, & diebus tredecim, Imperij habenas solus suscepit, bellumque iam pene confectum remittens, Romam se contulit.

Tanta religione, Isidis sacra, seuerissimis olim Principum decretis prohibita, coluit, vt iis initiatus, anno Christi centesimo octogesimo tertio, principatus secundo, non tantùm, pro more, caput raserit, sed etiam Anubin, cuius os in rostri canini formam effictum erat, per totam vrbem, magno cultu, humeris detulerit. *Lampridius.*

Menses anni totius, iis nominibus, quibus donatus fuerat, appellari voluit, anno Christi centesimo octogesimo sexto, principatus quinto, istoque ordine numerari. Amazonium, Inuictum, Felicem, Pium, Lucium, Ælium, Aurelium Commodum, Augustum, Herculanum, Romanum, & Excellentem, vel, *vt vult Casaubonus in Lampridium*, Exuperatorium. Has omnes appellationes solus Dio ex veteribus recenset.

Sæuiente lue, Laurentum, vbi magna laurorum copia, quarum cùm odores, tùm vmbræ, multùm contra pestilentem aërem, medicorum iudicio, conferunt secessit, anno Christi centesimo octogesimo nono, principatus octauo. *Herodianus.*

Maximus Tyrius compoſuit quædam de Homero; De vetere Philoſophia; An Socrates rectè apologiam detrectarit, aliaſque Philoſophicas quæſtiones. *Suidas.*

NATALITIA AVGVSTA.

Naſcitur Origenes in Ægypto ex patre Leonide Chriſtiano, anno Chriſti centeſimo octogeſimo ſexto, Commodi Imperatoris quinto. *Euſebius in Chronico.*

CALAMITATES.

Serapis templum Alexandriæ conflagrauit, anno Chriſti centeſimo octogeſimo quarto, Commodi Principis tertio. Euſebius in Chronico. Aduerte hic Serapin inter præcipua numina apud Alexandrinos, inferioriſque Germaniæ populos ſumma religione coli, haberique, *Iuliano teſte in Epiſtola ad Alexandrinos*, tanquam πολιοῦχον θεόν. Hoc eſt vrbis Præſidem, aut Patronum.

Capitolium de cælo tactum, Bibliothecæ, vicinæque ædes ſuccenſæ, anno Chriſti centeſimo octogeſimo nono, Commodi Imperatoris octauo. *Euſebius in Chronico.*

Peſtis ingens ira per vniuerſam Italiam, ac in primis ciuitatem Romanam, graſſata eſt, eodem Chriſti anno, vt duo millia mortuorum corpora quotidie efferrentur. *Dio.*

RES BELLICÆ.

Natiques, hoc eſt populi, qui vltra Daciam regionem Scythiæ Europææ habitant, à Peſcennio, Albinoque ducibus clariſſimis debellati fuere, anno Chriſti centeſimo octogeſimo quinto, Commodi Imperatoris quarto. *Dio.*

Rebellantes Britanni, rupto vetere muro, non ſine magno labore, atque diſcrimine à Marcello domiti fuere, & ad priſtinam pacem, iuraque Romanorum reuocari, anno Chriſti centeſimo octogeſimo ſexto, Commodi Imperatoris quinto. *Lampridius.*

DECAS DECIMA.

COMMODI IMPERATORIS *Gesta, & Obitus.*

MVNERA magno cum apparatu edidit, anno Christi centesimo, nonagesimo secundo, principatus vndecimo, in quibus non spectator modò, sed etiam actor fuit. Prodiit siquidem, vt alter Hercules, leonis exuuiis indutus, insignique claua armatus, nec amplius Marci filius, sed Commodianus Hercules, Iouisque natus appellari, sibique tanquam Deo immolari voluit. *Dione teste.*

Herculis habitu simulachra sibi poni iussit eodem Christi anno. Immò & Colosso, qui Romanis venerabilis erat, solisque imaginem præferebat, capite dempto, effigiem suam indidit; *Vt scribit auctor citatus.*

Nudum se spectandum dedit in amphitheatro, anno Christi centesimo nonagesimo tertio, principatus duodecimo, vbi gladiatorios impleuit numeros, *inquit Herodianus*, repudiatóque Herculis nomine, Gladiatoris cuiusdam nobilissimi, qui iam è vita excesserat, donatus est. Neronis Imperatoris æmulus ciuitatem Romanam, sub idem tempus, incendio exhausisset, ni à Læto, Præfecto prætorio, deterritus fuisset. *Lampridius.*

Marciam concubinam, inter reliquas, vt alteram coniugem deamabat. Eapropter honores omnes veluti Augustæ, ei, præter ignem, tribuebantur. Plerique viri Consulares, ac Senatores, nec non & Lætus Præfectus prætorio, & Lecius custos cubiculi in præsentis mortis discrimē adducti, Narcissum Athletam strenuum adolescentem, magnis oneratum promissis, ad Tyranni cædem accenderunt. Is ad luctam, pro more, prouocatus, simulato consilio, opportunè obluctanti licet, fauces in palæstra elisit, anno Christi centesimo, nonagesimo

quarto, Imperij decimo tertio, mensibus nouem, & diebus quatuordecim, ætatis verò tricesimo primo, & quatuor mensibus. Huius exitus ingens senatui, toti que vrbi gaudium peperit, *vt patet ex acclamationibus, quas Lampridius habet ex Mario Maximo.* Ceterùm in eo germana Aureliorum familia imperare desiit.

ICON

COMMODI IMPERATORIS.

AVRELIVS *Commodus Marci Antonini, & Faustinæ filius, nondum maturâ Imperio ætate, regere cœpit Domitiano similior fuit, quàm patri; libidine, sæuitiâ, & præsertim leuitate insignis; nemini fidus, magisque atrox in eos, quos amplissimis honoribus, donisque ingentibus auxerat. Deorum templa stupris, humanoque sanguine polluit. In theatrum aurigæ, Herculisque habitu, imò etiam nudus prodiit. Athletarum more, publicè se exercuit. Gladiatoriis armis dimicauit. Ferarum multa millia interfecit. Cognomi na varia, ac titulos subinde mutauit. Principatus sui seculum aureum appellari, & vt Deus coli voluit, adeò stultitia fauebat suæ. Dacos, Mauros, aliosque populos felicibus profligauit auspiciis. Tandem ob crudeles, & indignos Augusto mores, suis inuisus, infestusque, à Narcisso Athleta peritissimo, fortissimoque, compressis faucib usextinctus est.*

PERTINACIS IMPERATORIS, Gesta, & Obitus.

INterfecto Commodo, Ælius Pertinax Principatum inuictus assumpsit, senatu pariter, ac militibus deferentibus. Eodem die, quo Augustus est salutatus, Flauia Titiana ipsius vxor, Augustæ nomine donata est.

Criminis maiestatis reos reuocauit. Census retractari, ac delatores grauiter puniri iussit. Testamenta priora, ne irrita priùs haberentur, quàm alia perfecta fuissent, neue, ob hoc, fiscus aliquando succederet, sanciuit. Donariua, & congiaria, quæ Commodus promiserat, soluit. Annonæ consultissimè prouidit. Operibus publicis certos sumptus constituit. Decem annorum immunitatem, ac perpetuam libertatem agricolis concessit. Ærarium iam exhaustum ludicris Commodi Imperatoris sumptibus, auctione rerum eiusdem Principis restituit, in quibus insignior fuit vestis, subtegmine serico, aureis filis intertexta, & toga, armaque gladiatoria, gemmis, auroque composita, & machæræ Herculeæ, vasaque auro, ebore, atque argento confecta.

Verùm cùm moribus seuerior paulo esset, magnaque pecuniarum cupidine exardesceret, à Prætorianis occisus est, anno Christi centesimo, nonagesimo quinto, Kalendas Aprilis, Imperij verò tertio, mense nondum exacto, ætatis denique septuagesimo septimo, & quatuor mensibus. *Dio, Iulius Capitolinus, & alij.*

ICON
ÆLII PERTINACIS IMPERATORIS.

PVBLIVS *Ælius Pertinax, vir auctoritate, potentia, ætate, morumque grauitate insignis extitit. Alba Pompeia in Liguribus illi patria fuit, Genus humile, ac sordidum, ex Ælio Successo qui tabernam coctilicium habuerat; virtus tamen splendida, innocentia summa, magnitudo animi singularis, ac militiæ felicitas tanta, vt in ea ad supremas euectus dignitates, à Pompeiano Marci genero pilæ ludus dictus fuerit, magnáque aduersus Germanos, & orientales populos trophæa erexerit. Princeps certè optimus, ni auaritiæ labes reliquarum virtutum maiestatem defœdasset; apud vada siquidem Sabatia mercaturam, Augusti nomine indignam, vt alter priuatus exercuerat. Quare hisce sordibus deturpatus, fatis in peius omnia trahentibus, Læti Præfecti insidiis, qui Imperium illi adstruxerat, ac militari factione, Iuliano non inscio, in palatio post administratam tribus mensibus Rempublicam, è medio tollitur. Sic breuè vitium, longam sæpè obscurat vitæ anteactæ gloriam.*

DIDII IVLIANI IMPERATORIS Gesta, & Obitus.

INterfecto Pertinace, Didius Iulianus, venale Imperium à Prætorianis, ducentis scilicet quinquaginta aureis viritim datis, adeptus est; diras imprecante populo, ac grauiter exprobrante, quod ære sibi principatum parasset. *H*ic ipso Imperij exordio, Præfectum vrbis in locum Sulpitiani, Cornelium Repentinum generum suum suffecit. Multa à Commodo decreta, à Pertinace verò abrogata restituit, Lætumque, Seueri hostis fautorem, occidi iussit. Verùm militibus infensus, quòd donatiuum non soluisset, ab ijsdem, quos pari arte Seuerus emerat, interemptus est.

ICON

DIDII IVLIANI IMPERATORIS.

DIDIVS *Iulianus, Mediolanensis, Petronij Didij Seueri, & Claræ Æmiliæ filius, vir magnis natalibus illustris; Disciplinis omnibus, ac præsertim iure peritissimus; factiosus maximè, ac præceps, regnique cupidus, Apud Lucillam, matrem Marci Imperatoris educatus fuit; Inter viginti viros, suffragio eiusdem Lucillæ, electus; Anno ante ætatem quæstor designatus; ædilitate, atque prætura à Marco donatus, qua perfunctus Germaniæ præfuit. Belgium sanctè, ac diu rexit, vbi Cauchis, Germaniæ populis magna vi erumpentibus, fortiter restitit; Cattos debellauit; Dalmatiam tenuit, quam ab hostibus vindicauit; Curam alimentorum in Italia meruit; Bithyniam, non eâ tamen famâ, qua ceteras, administrauit; Consulatu auctus cum Pertinacè, cui in proconsulatu Africæ successit, Imperator à Prætorianis, à quibus principatum emerat, salutatus, totum se deliciis, atque crapulæ dedit; contemptuique ab omnibus habitus, magicæ arti impensè incubuit, qua, & populum, & militum animos sibi conciliaret. Imperium tamen male partum, male perdidit; sexagesimo siquidem sexto die, quàm illo potitus esset, ei abrogatum senatus Septimio Seuero detulit; cuius iussu à quodam gregario milite, inter fœdissimas complorationes, in palatio obtruncatur, caputque in rostris exponitur.*

SEPTIMII SEVERI IMPERATORIS Gesta.

SVblato Didio Iuliano Principe, Septimius Seuerus, qui in Pannonia legionibus præerat, Romam profectus Imperium obtinuit, senatu annuente, atque populo applaudente. *Dio.*

Ipso principatus initio, æs alienum dissoluit, & accusatos à Prouincialibus Iudices, Proconsules nimirum, præsides, legatos, procuratores, aliosque magistratus grauiter puniuit; Rei frumentariæ prudentissimè consuluit; Albinum Cæsarem creauit, Imperiique consortem fecit. *Ælius Spartianus.*

In honorem Pertinacis, Pertinacem se cognominari voluit, anno Christi centesimo nonagesimo quinto, principatus primo; Immò & Commodi fratrem, *vt docet vetus inscriptio, quam Scaliger refert, & antiquus nummus.*

In Gallias proficiscens aduersus Albinum rebellantem, anno Christi centesimo nonagesimo nono, principatus quinto, Bassianum filium suum maiorem, Cæsarem in itinere nominauit, atque Antonini appellatione auxit, qua, postea Geta minor natu, ornatus fuit, enixè exposcens, vt post hac Principes omnes, Antonini, vt antea Augusti, dicerentur; Et verò ab Antonino Pio, qui primus eo cognomine cohonestatus fuit, ad Maximinum vsque, reliqui omnes Imperatores, eo prænomine, tanquam omnibus Augustis debito, vsi sunt.

Commodum inter Deos retulit, anno Christi ducentesimo, principatus sexto. E Galliis victor rediens, nullo adhibito triumpho, Romam ingressus est, ne de ciuili sanguine gloriam aliquam captare videretur; Eum tamen senatus, populusque vniuersus, ac magna peditum, equitumque turba, tanto, tamque celebri excepere apparatu, vt nihil vnquam augustius hactenùs in vrbe peractum fuerit, *inquit Dio*, qui huiusce magnificentiæ, regiæque pompæ spectator interfuit.

HEROES.

HEROES.

Sanguine, Gestis, & Politia.

Pescennius Niger, Romano populo, ac Principi Commodo carus (ab eo enim Consul designatus, Seuero præpositus fuerat, ordines, longo annorum tractu, summa cum prudentia duxit) Imperator in oriente, suffragante exercitu salutatus est, anno Christi centesimo nonagesimo quinto, Didio Iuliano regnante; Eius domus Pescenniana dicta, visebatur in campo Iouis, tempore Spartiani.

Clodius Albinus familiâ nobili, pueritiam in Africa transegit, adolescens vero ad militiam se contulit. Egit Tribunus equites Dalmatas, legionemque quartanorum, ac primanorum. Bithynicos exercitus, tempore, quo Auidius Cassius rebellauit, feliciter rexit. Tum in Galliam à Commodo translatus, fusis Frisiis Transrhenanis, nomen suum, & apud Romanos, & apud Barbaros celebre reddidit. Quibus rebus accensus Imperator, Cæsarianum ei nomen, palliumque coccineum obtulit; verum ab iis omnibus prudenter abstinuit. Quæsturâ auctus, mox Ædilis creatus est, quâ præfecturâ, nonnisi per decem dies perfunctus, ad exercitum missus fuit; Dein Præturam gessit famosissimam; Tandem anno Christi centesimo, nonagesimo quinto, ei rerum summa à militibus in Gallia delata est. *Iulius Capitolinus.*

Flauius Sulpitianus natalibus clarus; Huius filiam Pertinax Princeps matrimonio sibi iunxit; Pertinace verò interfecto, Imperator in castris appellari voluit, *vt refert Spartianus.* Iulius autem Rufinus, Præfecturâ Vigilum donatus est. De eo plura *Vlpianus.*

Flauius Iuuenalis in tantum laudandus, in quantum intelligi virtus potest. Præfectus Prætorio à Seuero Principe constituturus est anno Christi centesimo, nonagesimo quinto, principatus primo. Heraclitus vir illustris, & inter reliquos omnes aulæ proceres electus, ad Britanniam occupandam festinanter mittitur. *Spartianus.*

VIRI ERVDITI.

Philostratus Sophista, Veri Lemnij nepos, docuit Athenis summo cum applausu; Dein Romæ, Seuero imperante. Scripsit stylo florido, ac picturato, varias declamationes, Epistolas amatorias, forum heroïcum, epigrammata, & disputationes; Icones item, seu descriptiones, latio sermone, à Stephano Nigro donatas, libris quatuor; Sophistarum vitas libris totidem; Apollonij Tianei vitam libris octo, aliaque permulta. *Suidas.*

Aphthonius Sophista composuit progymnasmata, seu præexercitationes ad artem Rhetoricam; De eo *Ita Reinhardus Lorichius, Hadamarius in præfatione.* Non video quis auctor ad eloquentiæ destinatorum puerilium ingeniorum captum magis appositus sit. Et verò cùm dicendi virtutes, *Cicerone teste,* tribus modis assequi liceat, arte nimirum, imitatione, & exercitatione, nullus certè occurrit, qui Aphthonio præferri debeat, & in quo, commodior ad illa tria præformans institutio sit expressa. Illum, citatus auctor variis scholiis, & exemplis illustrauit.

Claruere insuper hoc tempore Candidus, Sextus, Appion, Maximinus, & Heraclitus viri eruditissimi, *vt testatur Eusebius.*

PRODIGIA.

Romæ anno Christi centesimo nonagesimo quarto, Commodi Imperatoris decimo tertio, apparuit stella crinita; Cælum arsit; Repentina caligo, Kalendis Ianuariis, oborta, auesque incendiariæ visæ; de quibus fusè Plinius *lib.* 10. *c.* 13. Varia insuper animalium monstra. *Lampridius.*

CALAMITATES.

Pestis maximas hominum strages in Italia edidit, anno Christi centesimo, nonagesimo primo, Commodi Imperatoris decimo.

Augustissimum pacis templum, ex Iudæorum manubiis à Vespasiano Principe magnificentissimè extructum, multoque auro, atque argento ornatum, seu nocturno fulmine, seu alia, quæ sciri nequit, ratione, fœdissimo incendio absumptum est anno Christi centesimo, nonagesimo tertio, Commodi Imperatoris duodecimo; Nec stetit flamma; deficientibus enim ex eo, alimentis, sacratissimam Vestæ ædem, ex qua Vestales virgines Palladium, mediâ sacrâ viâ, in aulam Principis transtulerant, aliaque quamplurima tum publica, tum priuata ædificia corripuit; multos denique iam dies peruagata, repentino tandem imbre extincta est. Tunc Iudæorum opima spolia, ingentesque Hierosolymitani templi diuitias, igne periisse scribunt auctores. Vasa tamen aliqua ad Honorij vsque tempora conseruata fuisse *tradit Procopius*, eaque, Vandalorum spoliis cessisse. *Lampridius in Commodo, Herodianus; & alij.*

RES BELLICÆ.

Maternus gregarius miles, castrorumque desertor, collectâ manu Hispanias, Galliasque longè, lateque populatus est, anno Christi centesimo, nonagesimo primo, Commodi Imperatoris decimo; tum Italiam venit, vbi Matris Deorum festo, Principem opprimere statuerat. *Herodianus.*

Seuerus Imperator Pescennium Nigrum in oriente regnantem prostrauit, anno Christi centesimo, nonagesimo sexto, principatus secundo. Sequenti vero, Byzantium vrbem Thraciæ celeberrimam, & à Pausania Spartanorum Rege conditam, quoniam Nigri partibus fauerat, triennio, acri obsidione cinxit. Tum anno nonagesimo nono, eandem expugnauit, muros euertit, ciuium bona publicauit, agros Perenthiis donauit, & in viculum redegit, quem altero dein seculo vertente, Constantinus Magnus, indito suo nomine, congestisque totius orbis Romani opibus in eam, in qua etiamnum floret, amplitudinem euexit. Eo perfunctus bello, arma in Albinum vertit, quem in Gallia impetantem, apud Lugdunum, ancipiti quamuis prælio, feliciter deuicit. *Herodianus, Eusebius, & Dio.*

Iudaicum, ac Sarmaticum bellum eodem Christi anno centesimo, nonagesimo nono, Seueri Principis quarto contigisse *refert Eusebius in Chronico.* Iudæi siquidem à Pescennio insolitis tributorum oneribus oppressi, Romanumque iugum excutere tentantes, ingenti clade obtriti fuere.

REI INSIGNES.

Maternus, gregarius miles maiestatis postulatus capite mulctatur, anno Christi centesimo, nonagesimo primo, Commodi Imperatoris decimo. *Herodianus.*

Permulti Consulares viri insignes, & Prætoriani qui Albini, & Pescennij partes sustinuerant, morte damnati fuere anno Christi ducentesimo, Seueri Imperatoris sexto. *Horum nomina recenset Spartianus.*

OBITVS ILLVSTRES.

Cleander magnarum tragœdiarum Romæ auctor, Perennique successor, seditione orta, miserè periit, anno Christi centesimo, nonagesimo primo, Commodi Imperatoris decimo. *Herodianus.*

Pescennius Niger victus, captusque cecidit, anno Christi centesimo, nonagesimo sexto, Seueri Imperatoris secundo. Albinus verò apud Lugdunum in Gallia obtruncatus, anno Christi centesimo, nonagesimo nono, eiusque caput Romam deuectum. *Herodianus.*

FVNERA.

Pertinacis imagini superbissimum duxit funus Seuerus Imperator, ipso principatus initio, anno Christi centesimo, nonagesimo quinto, *quod Dio fuse, & eleganter describit in Seuero.* Præibant enim aureæ veterum Romanorum illustrium statuæ; subsequebantur puerorum, ac virorum chori, lugubre carmen concinentes; tum nationes omnes Imperio Romano subactæ; varia ciuium genera, lictorum, scribarum, præ-

conumque; dein magnorum hominum effigies, qui nobili quodam ſtudio maximè flouerant; mox equites, peditesque armati, & certatores equi; poſtremo ferebatur altare, auro multo, atque ebore, lapilliſque magni pretij exornatum; Quibus peractis, Seuerus Imperator roſtra conſcendens, orationem in laudem Pertinacis Principis, maximo verborum apparatu, atque ſplendore habuit.

SAECVLI TERTII.

DECAS PRIMA.

SEVERI IMPERATORIS Gesta.

MAIOREM natu filium, Antoninum Bassianum, Augusti nomine ornauit, anno Christi ducentesimo primo, principatus septimo. Auctus tribunitiâ potestate, præter munificentissimas munerum editiones, congiarium populo, militibus vero donatiuum, ad conciliandum sibi omnium animos, erogauit, *vt testantur nonnulla numismata.* Quo tempore accidit vt Christianus miles donatiuum accepturus, lauro coronari, more solemni, abnuens, militiâ depositus, & fustibus cæsus, in carcerem detrusus fuerit: Hinc orta maxima illa inter Christianos persecutio, natumque Tertulliano, scribendi de Corona militis argumentum. *Herodianus, Xiphilinus, Spartianus, & alij.*

Ingenti expeditione aduersus Parthos comparata, in Orientem sub idem tempus vnà cum filiis proficiscens, reliquit Romæ Lucium Septimium Plautianum, vt totius reipublicæ curam ageret, seuereque in reliquos perduellionis reos, Nigrique, atque Albani fautores, fauitoresque animaduerteret, quorum cædes *Tertullianus Apol. c.* 35. *racemationem post vindemiam appellat. Dio, Spartianus, & Herodianus.*

Parthico bello feliciter defunctus, debellatisque Arabicis, atque Adiabenis, Parthicus, Arabicus, atque Adiabenicus cognominatus fuit, anno Christi ducentesimo tertio, principatus nono. *Spartianus.*

Iudæos fieri vetuit anno Christi ducentesimo quarto, principatus decimo; tum Alexandriam petens, Ægyptiis non Equitem Romanum, sed senatorem in posterú præfectum Augustalem futurum concessit, ita dictum, quod olim Augustus Imperator cùm exterarũ prouinciarum administrationem senatoribus assignasset, censuit, Ægypti regionem aditu difficilem, lasciuiáque discordem, ac mobilem, per Equitem regendam esse, ne per senatores potentiores ad res nouas moliendas (quarum Ægyptij cupidissimi habentur) accenderetur; Ideóque illustrioribus Equitibus illam committi noluit; Perseuerauit tamen idem titulus, vt qui illi prouinciæ præesset, præfectus Augustalis appellaretur; de cuius officio, multa in digestis. Antoninus autem eius filius eosdem Ægyptios, in senatum Romanum adscripsit.

Iussit anno Christi ducentesimo quinto, principatus vndecimo, vt in gratiam Plautiani, suffecti Consules numerarentur deinceps æquè ac ordinarij. *Dio.*

Romam sub idem tempus reuersus, decennalia principatus sui, magnâ cum pompâ, in vrbe exhibuit, erogatis in milites prætorianos tot aureis, quot imperasset annis; quam in rem bis mille sestertiûm insumpsit; Fecit quoque spectacula apparatissima, in quibus septingentæ feræ interfectæ fuere. *Dio.*

Ludos seculares, quos Censotinus ad pestilentiam repellendam institutos fuisse censet, edidit decimo quinto Maij, anni Christi ducentesimi sexti, principatus duodecimi, *vt constat ex variis inscriptionibus*; iam enim ab annô Christi nonagesimo, Domitiani principis septimo, non fuerant exhibiti; Peragi si quidem tantùm solebant, decurso magno temporum tractu: eaptopter quoties celebrabantur, toties vrbe tota, *inquit Herodianus*, atque Italia præcones ibant conuocatum omnes ad ludos quos nec vidissent hactenus, nec visuri postmodum forent. Horum occasione putant aliqui, Tertullianum,

tullianum, librum ſpectaculis, ſcripſiſſe.

Romæ Antonini Baſſiani, filij ſui Auguſti decennalia egit, anno Chriſti ducenteſimo decimo. In extrema item Britanniæ Inſula dierum ac noctium inæqualitatem longè aliam, quàm in orbe Romano obſeruauit; Britannoſque aliquos nomine Calædonios, certo cibi genere vti, quem cùm magnitudine tantùm vnius fabæ ſumpſiſſent, minimè eſurirent, ſitirentve. *Dio & Zonaras.*

Septimius Geta minor natu, Seueri principis filius, Cæſar nominatur, anno Chriſti ducenteſimo primo, anno vero Chriſti ducenteſimo decimo, Seueri principatus decimo ſexto, Imperatoriis inſignibus donatur, *vt conſtat ex nummorum inſcriptionibus*; Illud idem confirmant æra cuſa eius temporis, in quibus, cum trium Imperatorum, & Iuliæ Auguſtæ imaginibus, inſcripti habentur tituli. PVBLICÆ FELICITATI, AC PERPETVÆ CONCORDIÆ. *Baronius tomo 2. Annalium.*

Lucius Plautianus, natione Afer, Seueri municeps, natalibus obſcurus, ſummæ tamen auctoritatis; penes eum ſiquidem, rerum Orientalium ſumma erat, totque opibus potens, vt populus in theatro ſubinde exclamarit, illum, & Seuero Imperatore, & filiis longè ditiorem eſſe; Et verò Plautillæ filiæ ſuæ, quam Antonino Baſſiano deſponderat, anno Chriſti ducenteſimo primo, Seueri ſeptimo, in dotem tantum dedit, quantum quinquaginta Reginis ſatis fuiſſet. *Xiphilinus.*

Saturninus proconſulati dignitate, Africæ præerat anno Chriſti ducenteſimo tertio, Seueri Imperatoris nono; Huic ſucceſſit Scapula eodem anno, qui Plautiani iuſſu, in omnes crimine maieſtatis ſuſpectos, atrociter deſæuiit. *Tertulianus ad Scapulam.* Claudius vero Herminianus Cappadociam adminiſtrabat.

Philippus, Præfectus Auguſtalis, Ægypti prouinciæ curam habebat anno Chriſti ducenteſimo quarto, Seueri Imperatoris decimo; In eius locum ſuffectus eſt eodem anno Terentius Lætus. *Euſebius lib. 6. c. 6. Baronius, & alij.*

Fulgentius, regio Britannorum ſanguine ortus, inuitis Romanis, regiis ornatur infulis, magnoque ab omnibus colitur honore. *Puzæus.* Ii

VIRI ERVDITI.

Floruit hac tempestate Papinianus, vir doctissimus, Scæuolæ discipulus, & Iuris asylum cognominatus. *Spartianus.*

Serenus Sammonicus, medicus celeberrimus; Hic multa singulari eruditione referta opera in lucem edidit, *teste Volaterrano.*

Fulgentius Britanniæ Rex, eloquentiæ summæ, scripsit ad suos de Romanorum iniuriis, & vindicanda libertate, Orationum librum vnum, & Epistolarum alterum. *Pitzeus de scriptoribus Britanniæ.*

OPERA PVBLICA.

Thermas apud Antiochiam; quarum meminit, *Euagrius lib.* 2. *c.* 12. Septizonium vero, hoc est opus immane, & stupendæ magnitudinis, Romæ non longè à circo maximo, Palatinum inter, & Cælium montem, extruxit Seuerus princeps, anno Christi ducentesimo tertio, principatus nono. Aduerte hîc, Victorem nobis indicare duo fuisse Septizonia, aliud in decima, aliud in duodecima regione: vnius reliquiæ, *vt vult Scaliger in Eusebio,* & ad Sixtum vsque quintum, extitere.

Templum quod Pantheon dicebatur, (nunc sanctæ Mariæ ad rotundam) Traiani tempore ictu fulminis, seu incendio deformatum in pristinum splendorem restituit Imperaror, anno Christi ducentesimo quinto, principatus vndecimo, vt docet inscriptio, quæ in ipsius templi fronte, marmori incisa legitur. *Baronius.*

Marmoreus arcus multiplici ornatu insignis, Seuero Victori, ex senatus-consulto in foro Romano ad radices Capipitolij eodem Christi anno erigitur; In quo affabre sculptæ erant eiusdem principis bellicæ, terra, marique expeditiones, & vndecies repetita Tribunitia potestas. Hic præ ceteris aliis veterum monumentis, etiamnum superstes visitur. *Dio, Herodianus, & alij.*

PRODIGIA.

Tanti in Vesuuio monte fuere mugitus anno Christi ducentesimo quinto, Seueri Imperatoris vndecimo, vt Capuam vsque auditi fuerint. *Dio.*

Cætus mirandæ magnitudinis in portum, Augusti cognomine dictum, appulit, captusque est anno Christi ducentesimo octauo, Seueri Imperatoris decimo quarto; Cometes etiam eodem anno per multos dies apparuit. *Lampridius.*

Eo die quo natus est Alexander Mammeæ filius, vetula quædam, ouum palumbinum purpurei coloris, illius matri obtulit, anno Christi ducentesimo nono, Seueri Imperatoris decimo quinto. *Lampridius.* Sol item lucidissimo ambitu coronatus visus est.

RES BELLICÆ.

Exercitum contra Regem Bercennium in Arabia, Pescennij fautorem duxit Imperator anno Christi ducentesimo primo, principatus septimo; verùm propugnantium virtute repulsus, coactus fuit, ciuitatis quam occupare tentarat, obsidionem soluere. *Dio.*

Auxiliaribus acceptis copiis,ab Agabaro, Osroenorum Rege, bellum Parthicum feliciter confecit, eodem Christi anno. Adiabenos insuper, & Arabas deuicit, Ctesiphontem cepit, diripuitque. *Herodianus*, *Xiphilinus*, *Spartianus.*

Tres Augusti, Seuerus nimirum, Bassianus, & Geta, in Britannos, qui Romanorum ditionem inuaserant, arma mouent, extremumque Insulæ, cum ingenti militum iactura, penetrarunt, anno Christi ducentesimo decimo, Seueri decimo sexto; desiderata siquidem sunt quinquaginta hominum millia; hostem tamen coërcuerunt, paxque firmata est. *Dio.*

TRIVMPHI.

Iudaicus triumphus Seuero Imperatori decernitur anno Christi ducentesimo tertio, principatus nono. *Spartianus.* De eo tamen bello vix vlla extat memoria, *Nisi apud Chronicon Eusebij.*

OBITVS ILLVSTRES.

Septimius Plautianus omnium principum ea ætate potentissimus, & Antonini Principis gener, periit in palatio, anno Christi ducentesimo sexto, Seueri Imperatoris duodecimo; eius corpus in viam publicam proiectum efferi iussit princeps, & sepulturæ mandati; nomen tamen ex omnibus inscriptionibus abrasum fuit, *vt testantur vetera monumenta, auctore Dione.*

Fulgentius Britanniæ Rex in prælio contra Septimium Seuerum cecidit. *Pitzeus de illustribus scriptoribus.*

DECAS SECVNDA.

SEVERI IMPERATORIS *Gesta, & Obitus.*

BRITANNIS perdomitis, Britannici nomen assumpsit, anno Christi ducentesimo vndecimo, principatus septimo; bellumque in Britannia sub idem tempus renouatum, Antonino Bassiano filio suo commisit. *Dio, & Herodianus.*

Distributis, per prouincias regni confines, triginta duabus legionibus, Imperium firmauit, anno Christi ducentesimo duodecimo, principatus decimo octauo. Tandem non tam corporis morbo, quàm scelerum filij sui Antonini Bassiani, qui ipsum laxatis habenis, toto spectante exercitu, stricto gladio insecutus fuerat, mœrore confectus diem vltimum clausit, pridie nonas Februarij, anni principatus decimi septimi, mensium octo, & dierum trium; ætatis sexagesimi quinti, mensium nouem, & dierum quindecim. De eo ita senatus censuit, aut nasci non debuisse, aut mori, quòd aut nimis crudelis, aut nimis vtilis reipublicæ videretur. *Auentinus.*

ICON

SEPTIMI SEVERI IMPERATORIS.

SEPTIMVS *Seuerus ex patre M. Geta Equite Romano, & Fuluia pia, in Africa prouincia Tripolitana, oppido Leptinatus, omniq; memoria solus ex Africa Imperator. Primùm fisci aduocatus, mox militaris Tribunus, per varia deinde officia, atque honores ad administrationem totius Reipublicæ peruenit. Parcus admodum fuit, ingenio acer, græcis, latinisque litteris excultus, & mathematicus insignis, naturâ sæuus; prudens maximè armis, adeóque felix, vt nullo congressu, non decesserit victor. Orientem orbem, Parthis, Arabibus, & Adiabenis deuictis, Romanæ maiestati restituit. Huius victoriæ æternum monumentum arcus etiamnum Romæ in cliuo Capitolino visitur. Nouissimum bellum in Britannos tumultuantes mouit, quorum receptis prouinciis, perpetuum vallum, ad arcendas Scotorum incursiones, à mari ad mare, qua parte, castigatis littoribus, eius insulæ latera coarctantur, opere mirabili, duci curauit. Multa toto orbe Romano restaurauit. Insanas substructiones in vrbe erexit. Ludos seculares exhibuit. Spectacula regio cum apparatu edidit. Populum, ac milites magnis muneribus donauit. Ærarium ingenti pecuniarum vi auxit. Imperium denique, quod turbatum acceperat, pacatum omnino filiis reliquit, firmum, vt ipse dixit, si boni forent; sin mali, haud diuturnum. E viuis Eboraci in Britannia decessit, pridie nonas Februarij, anni Christi ducentesimi, decimi tertij, in has erumpens voces, omnia fui, sed nihil*

prodest. Quisquis es qui rebus humanis nimium fidis, earum inanitatem disce, in hac vltima tanti Imperatoris voce.

MARCI AVRELII ANTONINI BASSIANI, & Getæ Imperatorum gesta, Getæque obitus.

SEPTIMO Seuero extincto M. Aurelius Antoninus Bassianus, & P. Septimius Geta fratres, Imperij curam suscepere, anno Christi ducentesimo decimo tertio. *Dio, Herodianus, & alij* Antoninus icto federe cum barbaris ad matrem festinauit, variasque Getæ germano suo struens insidias, funestaque in eum consilia identidem moliens, fraterno tandem sanguine dexteram cruentauit, anno Christi ducentesimo, decimo quarto, Imperij primo, ætatis vicesimo secundo. Eum tamen in numerum deorum ascripsit, hæc præfatus, sit diuus, inquit, modò non sit viuus. *Eutropius, Dio, Auentinus.*

lis tumulum inuifit, vbi tanti principis perfonam fuftinuit. Tandem Ilio, Afiaque omni, atque Bithynia decedens, Antiochiam Syriæ vrbem appulit, in qua honorificè exceptus fuit. *Auctor citatus.*

Peragratis Germaniæ, Afiæ, Syriæque partibus, Alexandriam anno Chrifti ducentefimo decimo feptimo, principatus quinto fe contulit, fingens fe fummo vifendæ vrbis ab Alexandro conditæ defiderio tangi, confulendique Serapidis numinis, cui gladium, quo fratrem fuum Getam interfecerat, confecrauit. Cruentas nihilominus ciuium cædes, horrendafque carnificinas in Alexandrinos, licet ipfum pompa regia, variifque florum fparfionibus, odorum omni genere, lautiffimis conuiuiis, accenfis tædis, aliifque exquifitiffimis honoribus excepiffent, crudeliffimè exercuit, quòd deeo, fpirante adhuc patre, immò etiam mortuo, quædam petulantiùs iactaffent. *Herodianus.*

Occurrentem fibi Abagarum Ofroenorum Regem, qui fedus cum principe Seuero ipfius patre, datis etiam obfidibus, firmauerat, in vincula conjecit, eiufque Regia potitus eft, anno Chrifti ducentefimo decimo octauo, principatus fexto. *Dio & Herodianus.*

Magiæ impenfè ftuduit eodem Chrifti anno ducentefimo decimo octauo: ea propter Apollonium Tyaneum, infignem olim arte magica virum, iam ante centum, & viginti ferme annos, vita functum, fummis honoribus coluit, eique auguftiffimum monumentum erexit; Tum varias demortuorum animas, vt illarum operâ per necromantiam, occulta exploraret, euocauit. Nec hominum tantùm, verùm etiam ipforum deorum, atque dæmonum arcana curiofiùs rimari voluit, cùm tamen eos omnes damnaffet, qui tertianis, quartanifve, remedia collo gererent. *Herodianus.*

Contra Parthos tandem, Macrini ftudio, à Marthali centurione, pugione confoffus occubuit, in Mefopotamia, fexto idus Aprilis, anni ducentefimi decimi noni, Imperij fexti, menfium duorum, & dierum quinque, ætatis vero vndeuicefimi, *vt vult Dio: Spartianus tamen* qui afferit eum fuiffe non Iuliæ, pofterioris vxoris, fed Marciæ prioris, *teftatur quadraginta tres annos vixiffe, octauoque idus Aprilis obiiffe.*

ICON

M. AVRELII ANTONINI BASSIANI IMPERATORIS.

MARCVS *Aurelius Antoninus Baßianus, cuius pater Septimius Seuerus, mater Marcia prior, coniux, vel Iulia posterior, Lugduni natus est. Eius pueritia blanda omnibus, amicis iucunda, parentibus suauis, populo accepta, grata Senatui, ipsique ad amorem conciliandum perutilis fuit. Dein grauior, vultuque truculentior factus, Alexandri præclara gesta identidem iactitaurt. In Albini Cæsaris interfecti locum à patre subrogatus, Atheniensibus, atque Byzantiis iura antiqua restituit, Caracallæque nomen ab vsu vestis gallicæ, ad talos vsque demissæ, assumpsit. Senatorum principes fortunis, vitaque exuit; Immo & Getam fratrem, Imperiique consortem, crudeli cæde necauit. Adeo autem iræ impotens fuit, vt Alexandrinorum dicacitatem, ingenti eorum strage, vindicaret. Tandem omnibus exosus apud Carras, vrbem Craßi, Romanique exercitus cruore nobilem, insidiis à Macrino Præfecto positis, ferro cecidit, anno Imperij sui sexto. Elegantes Romæ nominis sui Thermæ reliquit, ac porticum, in qua Seueri parentis sui illustria quæque facinora, triumphi, atque bella, mirabili arte expressa cernebantur. Parentum tamen præclara facta gloriosiùs in se filij exprimunt, quàm in qualibet alia materia.*

OPILII MACRINI, ET DIADVMENI Imperatorum Gesta, & Obitus.

QVarta die à nece Antonini, Opilius Macrinus, Præfecturâ prætorij auctus, rerum, fauente exercitu, potitus est. Filium suum Diadumenum, vel, vt veteres nummi referunt, Diadumenianum, nouennem puerum, Imperatoriis infulis ornatum, sibi in collegam adsciuit. Hunc Antoninum, nomine militibus gratissimo, appellari voluit, pacemque cum Parthis feliciter pepigit, anno Christi ducentesimo, decimo nono, principatus primo. *Lampridius, & Iulius Capitolinus.*

Delatores capite mulctauit, veterumque principum rescripta abrogauit, nefas esse dictitans, legibus Commodi, hominumque imperitorum edictis vti. Mox omnibus ob magnam vitæ mollitiem, summamque auaritiæ labem, qua Imperatoriam purpuram inquinabat, exosus, seditione militari, vnà cum filio suo Diadumeno occubuit, anno Imperij emenso; Vtriusque caput, ad Heliogabalum inauguratum principem, delatum. *Iulius Capitolinus & Zonaras, & Cuspinianus.*

ICON

OPILII MACRINI IMPERATORIS.

OPILIVS *Macrinus, natione Maurus, ex ciuitate Cæsarea, & obscuris parentibus, Præfecturâ prætorij donatus, Imperator creatus est. Ipso principatus initio nunc Seuerum se, nunc Antoninum, ad conciliandos militum animos appellari voluit. In annonis largiendis effusissimus fuit; in auro parcissimus; in vernulis asperrimus; totam siquidem domum suam, quasi macellum alterum, vernulorum sanguine subinde cruentabat. Vnde factum vt non Macrinus, sed Macellinus nuncupatus fuerit. In disciplina denique militari ita austerus, vt milites modò in crucem ageret, modò seruilibus suppliciis torqueret. Contra Parthos magno cum apparatu profectus est, nihil antiquius habens, quàm sordes generis sui, ac prioris vitæ infamiam, victoriæ magnitudine abolere. In fœdissimas tamen voluptates, animique libidines effusus, è viuis Imperij anno vno, mense vno, & diebus viginti octo, sublatus est.*

ICON

DIADVMENI IMPERATORIS.

DIADVMENVS *ex Macrino, & Numia Celsa natus, cum patre Augustus appellatus est, immo & Antonini nomine ornatus, ne exercitus in Antoninorum aliquem, qui ex affinibus Antonini Pij superfuerant, inclinaret. Princeps certè gratus omnibus, atque amabilis, vtpote qui, & praclara indole, & candidis, pratextatisque moribus, & dignitate summa, & virtutum omnium gloria, animique, atque ingenij spe magna praditus esset; si tamen in rebus humanis spes magna esse debeat, in quibus adeo parum est constantia. Desiit, sed fœdo crudelique exitu, Imperij anno primo.*

ANTONINI HELIOGABALI IMperatoris Gesta.

Macrino, cum Diadumeno filio suo, interfecto, mense Iunio, Antoninus, tum fauente forma Imperio digna, (quæ tamen sæpe fallax est indicium animi compositi,) tum Caracallæ patris memoriâ, militibus omnibus gratissimâ, quibus omnia effusissimè largiebatur, Moesæque Auiæ artibus, Imperator ab exercitu acclamatus est.

Antiochiam Syriæ vrbem, totiusque regionis caput victor ingressus, quingenas drachmas militibus suis, ne tam splendidam, atque illustrem ciuitatem euerterent, humanissimè ob-

Serapion, vel Sarapion cognomine Ælius, Rhetor Alexandrinus, ſcripſit libros ſeptem de etratis declamationum; Panegyricum Adriani; Conſilia Alexandrinis; Artem Rhetoricam, & an Plato iure Homerum è ſua Republica ablegauerit; aliaque permulta. *Suidas.*

OPERA PVBLICA.

Muro, centum triginta duorum millium paſſuum, per tranſuerſam Britanniæ Inſulam, ducto, vtrumque finem Oceani communiuit Seuerus Imperator, anno Chriſti ducenteſimo vndecimo, principatus decimo ſeptimo. Tantum opus, maximum principis decus appellauit *Spartianus.*

Thermæ Antoninæ ab Antonino Caracalla Imperatore extructæ fuere Romæ in regione duodecima, anno Chriſti ducenteſimo decimo ſexto, principatus quarto: Illas poſtea magnificè reſtaurauit Diocletianus. *Euſebius in Chronico.*

PRODIGIA.

Sanguis, è tubulo abunde profluxit, anno Chriſti ducenteſimo decimo nono, Antonini Caracallæ principatus vltimo. *Dio.*

Mula, ſub idem tempus, mulum Romæ peperit, *vt teſtatur auctor citatus.* Sidus item, ingentem, ortum versùs, caudam porrigens, multis noctibus viſum eſt. *Dio.*

CALAMITATES.

Viginti hominum millia, qui Getæ principi fauerant, Antonini Caracallæ iuſſu, cecidere, anno Chriſti ducenteſimo decimo quarto, principatus ſecundo. *Dio.*

Idem Alexandriam vrbem florentiſſimam, horrenda ciuium cæde, atque carnificinâ afflixit, anno Chriſti ducenteſimo decimo ſeptimo, principatus quinto. *De ea fusè Herodianus.*

Amphitheatrum flammis penitùs abſumptum eſt, anno

Christi ducentesimo decimo octauo, Antonini Caracallæ Imperatoris sexto, & die quo ludi Circenses in honorem Vulcani exhibebantur. *Eusebius in Chronico, & Lampridius.*

Tiberis magna aquarum eluuione auctus, tanto impetu in forum, proximosque vicos irrupit, vt stupendam prorsus domuum, hominumque stragem tum vrbi, tum toti viciniæ intulerit, anno Christi ducentesimo decimo nono, Antonini Caracallæ vltimo. *Dio.*

RES BELLICÆ.

Britanni rupto pacis fœdere, arma verterunt in Romanos, anno Christi ducentesimo vndecimo, Seueri Imperatoris septimo. *Spartianus.*

Bellum ciuile inter Parthos ortum est anno Christi ducentesimo decimo quarto, Antonini Imperatoris secundo. *Dio.*

Antoninus Imperator, Parthos, matrimonij contrahendi specie cum Regis filia, subegit, anno Christi ducentesimo decimo octauo, principatus sexto. Arbela cepit; Regum Parthorum sepulchrum subuertit, ipsumque Artabanum, principem circumuenit, tum populato ipsius regno, in Mesopotamia substitit. *Herodianus, & Xiphilinus.*

REI INSIGNES.

Quatuor Vestales Virgines, quarum vnam constuprarat, consueto supplicio infodi iussit Antoninus Caracalla Imperator, anno Christi ducentesimo decimo quarto, principatus secundo. *Spartianus.*

Papinianus Iurisconsultorum facile princeps, sub idem tempus securi percutitur, quoniam Antonini Imperatoris fratricidium eleuare in senatu renuisset. *Auctor citatus.*

OBITVS ILLVSTRES.

Oppinianus Poëta celebris fatis concessit, anno Christi ducentesimo decimo sexto, Antonini Caracallæ quarto, *Eusebius in Chronico.*

Iulia

Iulia eiuſdem principis Antonini nouerca & vxor, perlato Antiochiam, vbi illa morabatur, Imperatoris corpore exanimi, ferro in viſcera adacto cecidit, anno Chriſti ducenteſimo decimo nono. *Herodianus.*

FVNERA.

Seueri principis corpus more ſolemni effertur, deferturque in rogum, anno Chriſti ducenteſimo decimo tertio, principatus decimo octauo inchoato. Militum filiorumque decurſione, ac variis muneribus in pyram coniectis, cohoneſtatum fuit. Tum illius oſſa in vrnam porphyreticam (quam paulo antè mortem ſuis attrectans manibus, in has eruperat voces, Tu virum capies, quem totus terrarum orbis non cepit) depoſita; Romam regia pompa deuecta fuere, atque in auguſtiſſimo Antonini Mauſoleo, religioſè condita. *Dio.*

AVRELII ANTONINI HELIOGABALI *Imperatoris, Gesta, & Obitus.*

EXACTA hyeme Nicomediæ, cum matre, & auia, nec non Mammæa, matris ipsius Augusti sorore, & Alexandri parente, laudatissima fœmina, anno Christi ducentesimo vigesimo primo, principatus secundo, Deum suum Heliogabalum, solem nimirum, Romam secum deuexit, summo enitens studio, vt antiquato aliorum omnium numinum cultu, sol vnicus, tùm in vrbe, tùm in toto Imperij Romani orbe, supremis coleretur honoribus. *Dio, Herodianus, & Lampridius.*

Spectacula edidit magnificentissima eodem Christi anno, in quibus quatuor Elephantorum quadrigas agitauit in Vaticano; Ea propter permulta euersa fuere ædificia, immò & sepulchra, quæ tanto cursui erant impedimento. *Lampridius.*

Corneliam Paulam, fœminam Romanam illustrissimam, in vxorem, sub idem tempus, duxit, crebraque non tantum senatorio, sed & equestri ordini munera largitus est, plebi vero aureos sex viritim, & militibus decem. Tum repudiatam Paulam in ordinem redegit, Aquileiamque Seueram Vestalem, contra ius fasque, toto sibi iunxit. *Dio, & Herodianus.*

Vxores Heliogabalo Deo suo vndiquaque conquisiuit, anno Christi ducentesimo vicesimo secundo, principatus tertio. Quam ob rem simulachrum Palladis, ad eum diem immotum, ex quo Ilio amotum fuerat, suis emouit sedibus, ipsamque Deam, Dei sui futuram coniugem in aulam Imperatoriam aduexit. Mox tamen belligeram illam, armatamque vxorem, tanto numini gratam non esse asserens, simulachrum Vraniæ, hoc est Lunæ, Carthaginensibus, totique Africæ venerabile, transferri iussit, & quidquid auri in templo erat. Dein ingentem pecuniam Deo suo, dotis nomine, dari præ-

cepit; mandauitque, vt in vrbe, ac tota Italia festi dies, Sole ac Luna nubentibus, agerentur. *Herodianus.*

Senatum fœminarum eodem anno instituit, in quo fœminarum causæ haberentur. Concessit & Iuliano Africano, qui ad eum legationem susceperat, de restituenda Nicopoli, olim incensa, vt in pristinum splendorem reponeretur. *Eusebius in chronico.*

Deum suum nouum coniugem eodem Christi anno vertente in templum quod in suburbano extruxerat, curru aureo deuexit, discurrente cum fascibus vtrinque populo, coronasque, ac flores iaciente. Hanc pompam apparatumque regium, Deorum omnium simulachra, Equites, vniuersusque exercitus, magno cultu comitari sunt. His peractis ingentem conscendit turrim, sparsurus inde in plebem, varia missilia, aurea scilicet & argentea pocula, vestesque pretiosissimas, atque alia tanto Imperatore digna ornamenta. *Herodianus.*

Alexandrum Mammææ filium consobrinum suum, adsciuit, anno Christi ducentesimo vigesimo tertio, principatus quarto, illumque vix è pueritia egressum, vno & eodem die, Cæsaris, & Augusti nomine, Patrisque patriæ, Pontificatu maximo, Tribunitia potestate, & Imperio proconsulari, ornauit. *Lampridius.*

Tandem ob nefandas, turpissimasque libidines, magno apud senatum, populum Romanum, immo etiam & milites odio flagrans, occisus est, anno ætatis decimo-octauo, Imperij quarto, vna cum Soëmide matre impurissima; Ipsius corpus raptatum, tractumque in Tiberim fuit, vnde ipse Tractitius & Tiberinus nuncupatus.

ICON

ANTONINI HELIOGABALI IMPERATORIS.

AVRELIVS *Antoninus in Phœnicia ſacerdos, vnde illi Heliogabali cognomen, Caracallæ ex Soëmide Moëſæ filia genitus, Romani Imperij probrum, totiuſque humani generis portentum fuit; nihil enim vnquam eo turpius extitit; Accurata ſiquidem facie, cum muliebri ſtola, mores quoque muliebres ſumpſit, & qui fœmina fieri non potuit, voluit haberi; Baſſianamque nomine, ſe, pro Baſſiano, appellari iuſſit; Immò in ſexum muliebrem ſe exſecari curauit, tantæ erat promiſcuæ libidinis auidus. Eapropter Aſſyriorum certè potius inter Reges, quàm inter Cæſares recenſendus. Imperium annos quatuor nondum emenſos, maiori ne fortunæ ludibrio, an Romanæ maieſtatis infamia, rexerit, neſcio. Perſarum Regum more adorari voluit. Senatores, mancipia togata vocauit. Nouarum dapum, vt Xerxes, & Tiberius, gulæque inuentoribus præmia conſtituit. Lautiſſimis conuiuiis è linguis ſæpè phœnicopterorum, cerebelliſque anſerum, & pauonum inſtructis, Vitellium & Apicium ſuperauit. Euripis vino plenis, nauales circenſes exhibuit. Plateas palatij ſaxo Lacædemonio, & porphyretico ſtrauit. Holoſericam veſtem primus Romanorum Imperatorum induit, cùm anteà ſubſerica tantum in vſu eſſet. Nullus, profuſiori luxu, opes exhauſit. Nullus contaminatiùs, atque impuriùs vixit. Omnium religionum contemptor, ſoliuſque patrij numinis Heliogabali cultor, cui templum*

Romæ in Palatino monte magnis sumptibus erexit. Senatum fœminarum instituit. Matris arbitrio omnia permisit. Alexandrum consobrinum suum adoptauit, Cæsarisque nomine auxit. Tum fœdo vitæ exitu infamis, militari tumultu desiit, eiusque nomen, iubente senatu, è publicis monumentis erasum. Optabile certè publico esset, vt è memoria horum omnium monstrorum fœda exempla, eradi possent.

AVRELII ALEXANDRI SEVERI Imperatoris Gesta.

INterfecto Heliogabalo Aurelius Alexander Seuerus ipsius consobrinus annum agens decimum sextum, senatus, militum, populique consensu salutatus est Imperator pridie nonas Martij, anni Christi ducentesimi vigesimi quarti. *Lampridius.*

Iudæis impensè fauens concessit, vt Palæstinam incolerent, Præfectumque, Regis loco, haberent, qui eis ius diceret. Hinc factum, vt ipse sæpius Archisynagogus cognominatus fuerit, *Origenes in Epistola de Susanna ad Africanum.*

Viros tum doctrinâ, tum virtute præstantes Vrbanis præfecit negotiis, sibique iuris professores peritissimos, consiliarios adhibuit, anno Christi ducentesimo vicesimo quinto, principatus secundo. *Lampridius.*

Rempublicam Heliogabali principis sordibus fœdissimè deturpatam, optimis legibus exornauit, anno Christi ducentesimo vicesimo septimo, principatus quarto. Mathematicos tamen, & Genethliacos ab aliis Imperatoribus sæpè Româ expulsos, iussit publicè profiteri, atque docere, hisce artibus impensè studens. *Auctor citatus.*

Exoletos proscribere statuerat anno Christi ducentesimo vicesimo octauo, principatus quinto. Sed veritus ne, si tantum, non vrbis modò, sed Imperij totius probrum, atque dedecus eijceret, ciuium mores in priuatas cupiditates exar-

descerent; ab ea mente abstinuit. *Lampridius.*

HEROES.

Sanguine, Gestis, & Politia.

Artaxerxes, à quo augustum Chosrois genus ortum fuisse fama tenet, Persarum Imperium in pristinum honorem, ac maiestatem restituit. *Zonaras, Dio, & Herodianus.*

Arthabanus Parthorum Rex vltimus, primus tamen magni appellatione donatus, ingenti opum vi, atque gloria florebat. *Herodianus.*

Maximinus senior, vir spectatissimus, vastaque corporis mole, ac prævalido robore insignis, immortalem se credebat. Hunc militum tyronibus instituendis præfecerat Alexander Imperator. *Iulius Capitolinus.*

Maximus Pupienus, & Cælius Balbinus, viri consulares, mágnæque auctoritatis; Hos senatus, populusque vniuersus summis coluit honoribus, immò ad Imperium, Cæsaris nomine auxit. *Auctor citatus.*

Marcus Antonius Gordianus senex, proconsulari dignitate ornatus Africam cum filio suo, mirâ regebat sapientiâ. *Iulius Capitolinus.*

Gordianus senioris nepos, patre, & auo clarus, magno in pretio apud proceres populumque habebatur. *Auctor citatus.*

VIRI ERVDITI.

Heraclas vir insignis eruditione, rebusque philosophicis famosus. De eo multa Origenes, & Africanus in quodam Chronico, vbi asserit se Alexandriam magnis itineribus, properasse, Heraclæ famæ permotum. *Volaterranus.*

Domitius Vlpitianus Phœniciâ oriundus vir magni nominis non tantum apud peritissimos quoque Iurisconsultos, qui ipsum, legum verticem, nuncupabant, sed etiam apud Alexandrum principem, cuius & ductor, & arcani consilij

particeps fuit. Hic nobis librorum ingentem numerum, quibus referta sunt Iustiniani digesta, reliquit. Ac primo quidem decem pro Tribunali, totidemque de officio proconsulari; Ad Edictum octoginta tres; Ad leges viginti; Regularum septem; Fideicommissorum sex; De adulteriis quinque; De appellationibus quatuor; Ad Sabinum sex; De officio Consulis tres; Responsorum duos; De censibus sex; Institutorum duos; Augurales septem. Multa insuper de sponsalibus scripsit; De officio præfecti vigilum; prætorij tutelaris, & quæstoris; De officio præfecti vrbis, curatoris reipublicæ, & publicarum disceptationum, *vt testatur Bernardinus Rutilius in eius vita.*

Iulius Paulus Patauinus iure ciuili celeberrimus ad restaurandam Romanam rempublicam superiorum Imperatorum vitio, atque sordibus labefactatam, plurimum auxilio fuit Alexandro principi. Sententiarum receptarum libros quinque composuit, & alia multa quæ non extant, *vt refert citatus auctor Bernardinus Rutilius.*

Venuleius Saturninus vetus Iurisconsultus libros nouemdecim stipulationum in lucem dedit; Actionum vero decem; De officio proconsulis quatuor; Publicorum tres; De interdictis sex; & de pœnis paganorum vnum. *Gesner.*

Alphenus Varus digestorum libros quadraginta contexuit, quos deinde in Epitomen redegit. Extant eorum fragmenta in digestorum libris à Iustiniano concinnatis. *Gesner.*

Callistratus libros sex de cognitionibus elucubrauit; Edicti item monitorij sex; De iure fisci quatuor; Institutionum tres, & Quæstionum tres. Horum fragmenta, in pandectis iuris leguntur. *Gesner.*

Fabius Sabinus vetus Iurisconsultus suique sæculi Cato dictus, Lampridio teste, libros tres iuris ciuilis scripsit; Epistolarum octo; Responsorum tres; Ad Vitellium viginti Digestorum; Ad edictum prætoris vrbani quinque, *vt asserit Bernardinus Rutilius.*

Hermogenianus Epitomatum libros sex typis mandauit; Proculus vero Epistolarum libros octo. *Gesner.*

Floruerunt & alij hoc tempore viri illustres, ac iure ciuili insignes; Catilius item Seuerus, & Venatus oratores clarissi-

mi, ſummæque Eloquentiæ, atque perfectæ. *Lampridius.*

REGNORVM OCCASVS.

Parthicum regnum, quod initium ab Arſace duce, à quo Reges Arſacidæ nominati fuerant, ſumpſerat, Artabano rege vltimo, ab Artaxerxe deuicto, interfectoque, corruit anno Chriſti ducenteſimo viceſimo ſeptimo; Alexandri Seueri Imperatoris quarto, *vt refert Agathias lib. 2. Hiſtoriæ.*

REGNORVM ORTVS.

Deuictis Parthis anno Chriſti ducenteſimo viceſimo ſeptimo, Artarxerxes Perſarum dux celeberrimus, Perſicum regnum, quod ad Choſroen vſque Regem, & Heraclitum Imperatorem durauit, *auctore Ioanne Baptiſta Egnatio*, in integrum reſtituit, grauibus prœliis, altercante fortuna, cum Romanis ſuſceptis; qua tempeſtate Sarraceni, ex Arabia profecti, Mahometo duce, Perſas primo, dein Romanos variis, atque ingentibus cladibus afflixere; floruitque Sarracenorum nomen, Perſico ſublato.

OPERA PVBLICA.

Auguſtiſſimum, omnique pretioſo lapide ornatiſſimum templum Deo ſuo Heliogabalo, hoc eſt Soli, vel Ioui, vt alij volunt, Romæ in Palatino monte iuxta ædes Imperatorias, magnis condidit ſumptibus Antoninus Heliogabalus, anno Chriſti ducenteſimo viceſimo primo, principatus ſecundo, *Euſebius in chronico, & Lampridius.*

Nicopolis Palæſtinæ prouinciæ ciuitas nobiliſſima, anteà Emaüs dicta, poſt vero Hieroſolymorum expugnationem, Iudæorumque victoriam, *vt ait Sozomenus lib. 2.* μετὰ τὴν ἅλωσιν τῶν Ἱεροσολύμων, Nicopolis nomine donata, fœdiſſimo exhauſta incendio reſtauratur anno Chriſti ducenteſimo viceſimo tertio, Antonini Heliogabali Imperatoris quarto. *Euſebius in chronico*

Thermas

Thermas nominis sui, iuxta Neronianas extruxit Alexander Imperator, anno Christi ducentesimo, vicesimo octauo, principatus quinto: aqua inducta, quæ Alexandrina fuit appellata. Palatium insuper ex porphyretico lapide, & Lacædemonio marmore, *vt asserunt Eusebius in chronico, & Lampridius.*

RES BELLICÆ.

Artarxerxes Persa, orientis prouincias ferro, ac sanguine impleuit, anno ducentesimo vicesimo septimo, Alexandri Seueri Imperatoris quartó, Parthisque, triplici prælio debellatis, rerum potitus est; Mox in Armenos mouit, à quibus profligatus, reparatis viribus, Mesopotamiæ, Syriæque occupandæ cum maioribus copiis intentus, omnia quæ ad Persarum regnum spectabant, se recuperaturum minatus est. *Zonaras.*

OBITVS ILLVSTRES.

Domitius Vlpianus præfectura prætorij ornatus, à prætorianis militibus interfectus fuit, anno Christi ducentesimo vicesimo quinto, Alexandri Seueri secundo. *Dio.*

Artabanus, orientis gloria, ac Parthorum Rex vltimus, cecidit in prælio, anno Christi ducentesimo vicesimo septimo, Alexandri Seueri Imperatoris quarto. *Zonaras.*

AVRELII ALEXANDRI SEVERI Imperatoris Gesta, & Obitus.

CONGIARIVM populo Romano, & donatiuum militibus dedit, anno Christi ducentesimo tricesimo sexto, principatus decimo tertio. Circenses item ludos magna scena exhibuit. Pueros insuper ac puellas, quemadmodum Antoninus, Faustinianos & Faustinianas; Mammæanos, & Mammæanas instituit. *Lampridius.*

Rebus feliciter gestis, tùm in Mauritania Tingitana, Europæ regione, Mysia superiori, & Macedoniæ parte, quæ Adriatico mari incumbit, terminata, & ab Illyrio Poliphemi filio, vt vult Appianus, ita nuncupata, vulgo Sclauonia. Tùm etiam in Armenia, Asiæ regione, Taurum inter & Caucasum sita, & à Cappadocia, ad Cuspium vsque mare protensa, ab Armeno quodam Rhodio sic dicta, laureates tabulas vndiquaquaque accepit, quibus, vniuerso senatu, populoque spectante pellectis, omnium nominibus fuit adornatus. *Lampridius.*

Accepto nuntio Antiochiæ, Germanos, Rhenum atque Danubium, variis agminibus traiecisse, moxque in Gallias magnis itineribus maturasse eodem Christi, anno ducentesimo tricesimo sexto, in Italiam se contulit, exercitum ductusin Germanos anno sequenti: qua in expeditione, Maximini dolo, apud Moguntiacum, oppidum transalpinæ Galliæ, ad Rhenum fluuium, magno tùm populi Romani, tùm omnium prouinciarum, totiusque exercitus luctu, interfectus est decimo quinto Kalendas Februarij, anni Imperij decimi tertij, ætatis vero vicesimi noni, Deosque inter adscriptus. Cenotaphium in Gallia, Romæ vero sepulchrum meruit. Dati sunt & illi sodales Alexandrini nuncupati, addita & festiuitas, quæ Romæ religiosissimè colebatur, ipsius natali die.

ICON

AVRELII ALEXANDRI SEVERI IMPERATORIS.

AVRELIVS *Alexander Seuerus, vrbe Arcena, ex Vario. & Mammaa genitus, puer imperare cepit, summa innocentia, ac singulari in omnes beneuolentia illustris; Hinc laudatissima illius vox, publicis operibus perscripta,* Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris. *Tantum vel rara indoles, vel materna institutio valuit. In tractandis negotiis, solos viros eruditos; in re militari, senes bene meritos, historiarumque peritos adhibuit. Cohortem Imperatoriam, Eunuchorum, & impurorum hominum missione, purgatam habuit. Ærarij inopiam subleuauit. Pratoribus in prouinciam proficiscentibus, necessarium instrumentum, prisco more repetito, ne populo oneri, ac sumptui forent, ex publico prabuit. Pauperes publicè aluit. Christum in Deorum numero reponere frustra conatus, in larario suo coluit, deque templo illi extruendo cogitauit, Verum grauissimarum rerum mole oppressus, aliò animum conuertit. Merus in eo litterarum litteratorumque amor, quorum calamos vereri prase ferebat, ne quid labis suo nomine aspergent. Principũ vitas nitido, politoque carmine complexus est. Gracas, latinasque litteras, impensè coluit, facundia tamen graca plus valuit. Virgilium Platonem suum appellauit, eiusque, ac Ciceronis simulachrum in secundo larario habuit. Mathematicâ, atque Aruspicinâ maximè claruit.* Ορεοσκοπος *adeo magnus, vt & Vasconum, & Hispanorum, immo &*

Pannoniorum Augures, longe superarit. Geometria vehementer incubuit, mire pinxit. Lyram, tibiam, & organum doctè pulsauit. Opera publica multa construxit, restaurauitque. Augusti æmulus pedestres statuas atque Equestres diuis Imperatoribus in foro Neruæ, collocauit. Multa bella fœliciter confecit. Insignem de Persis victoriam retulit, inclytumque Romæ egit triumphum. Tum versis in Germaniam armis, à Gallicis legionibus militarum disciplinam spernantibus è viuis tollitur anno Christi ducentesimo trigesimo septimo, Imperij decimo tertio, & diebus nouem, optimis certè principibus æquandus, ac magnus futurus Imperator, si vita longior extitisset.

IVLII MAXIMINI IMPERATORIS Gesta.

SVblato Alexandro Seuero, Iulius Maximinus ex Tyronum Tribuno, primus è corpore millitari sine senatus auctoritate, Augustus ab exercitu creatus est, filio Maximino illi in collegam Imperij dato. Principatus exordio nihil securius habuit, quàm eos, quibus Alexander familiariter vsus fuerat, extinguere. *Iulius Capitolinus, & Eutropius.*

Confecto fœliciter bello Germanico, anno Christi ducentesimo trigesimo septimo, principatus primo, aliisque partis victoriis Sirmij hyemem traduxit. Interea per Sabinum, & Vitalianum Præfectos vrbis, & Prætorij, homines naturâ feros, & ad suum genium apprimè effictos, immaniter Romæ grassatus est. *Herodianus.*

GORDIANI SENIORIS, EIVSQVE Filij Imperatorum Gesta, & Obitus.

DEsæuiente per vniuersum Romani orbis Imperium Maximino principe, Gordianus Proconsul octogenarius,

vnà cum filio quadraginta ſex annos nato, Tyſtri in Africa omnibus ſuffragantibus purpuram ſumpſit, laureatæ virgæ, atque ignis Auguſtorum inſignia, pro more ſolemni prælatæ fuerunt. Diſiectis Tyranni ſtatuis, atque imaginibus, nouæ principi erectæ fuere ; anno Chriſti ducenteſimo trigeſimo octauo.

His peractis, Carthaginem regio comitatu, ac celebri pompâ profectus, Delatores è patria exegit. Poteſtatem tuendi ſe iis omnibus, qui contra ius damnati fuerant, induſit; Exules propriis reſtituit laribus. Plurima denique ſa largiturum militibus, ac populo congiarium ſpopondit; Mox Capelliano Mauritaniæ præfecto, hoſtique reipublicæ mandauit, vt è prouincia quamprimùm ſecederet. Quo nuntio Capellianus ita exarſit, vt coacto milite bellum in nouos principes eodem Chriſti anno ducenteſimo trigeſimo octauo acriter ſuſceperit; In eo Gordianus Iunior cecidit, Pater vero, ne in hoſtiles manus incideret laqueo, mortem ſibi maturauit. *Herodianus, & Lampridius.*

ICON

GORDIANI SENIORIS IMPERATORIS.

MARCVS *Antonius Gordianus Mesij Marulli, & Vlpiæ Gordianæ filius, paternam ex Gracchorum genere, maternam ex Traiani principis originem duxit. Adolescens varia scripsit poëmata, & Antoninorum vitas. Quæstor creatus magnificentissima, singulis mensibus, exhibuit populo munera; Gladiatorum quidem nonnunquam quingena paria, feras autem Lybicas centum vno die, & vrsos mille. Consulari auctus dignitate, ita reliquos inter claruit, vt ipse Antoninus Imperator eius prætextas, latumque clauum, ac Circenses suspexerit. Palmatam tunicam, ac pictam togam, primus Romanorum, priuatus habuit. In omnibus Campaniæ, Hetruriæ, Vmbriæ, & Flaminiæ ciuitatibus scenicos ludos per quadriennium, ac Iuuenalia, propriis sumptibus edidit. Ab Afris, quibus imperauit, sic adamatus, vt eum Scipionem alij, alij Catonem, multi Mutium, Rutilium, aut Lælium vocatint. Vini parcus, cibi parcissimus, vestitu nitidus, lauandi cupidus, vno tantum anno rerum potitus est.*

ICON

GORDIANI IMPERATORIS, SENIORIS FILII.

GORDIANVS *ex Gordiano seniore Asiæ proconsule, & Fabia Crestilla natus, litteris, ac moribus insignis. Huius mirabilem ingenij splendorem, animique magnitudinem singularem Serenus Sammonicus eius præceptor vir eruditissimus, vehementer suspexit, eique sexaginta voluminum millia dono dedit; Quo munere summam sibi princeps famam apud viros doctrina præstantes comparauit. Quæsturam sub Heliogabalo, cui erat in deliciis, obtinuit etiam iuuenis. Præturam vero sub Alexandro, quam adeo prudenter, sapienterque gessit, vt Consulum insignia, quibus pater iam senex donatus fuerat, ipse in ætatis flore meruerit. In aula magni nominis fuit, & auctoritatis, omnibusque gratus, atque popularis. Legatus ad patrem Africæ præfectum missus est, datusque illi in Collegam Imperij, quod vnico tantum, anno magnâ virtutum gloriâ administrauit. Collega certè patris in Imperio filius esse potest, qui virtutis maturitate coæuus est.*

MAXIMI PVPIENI, ET CÆLII *Balbini Imperatorum Gesta.*

EXTINCTIS duobus Gordianis, Pupienus nomine, re vero militari Maximus, & Balbinus patricio genere, ac ſingulari indole clarus, Auguſti, ſenatus ſuffragio, acclamati ſunt. Gordianus inſuper ſenioris Gordiani nepos ex filia, vel filio, Romanis omnibus carus, Cæſaris nomine cohoneſtatus. Decretis igitur omnibus Imperatoriis inſignibus, Tribunitia poteſtate, Iure proconſulari, Pontificatu maximo, Patriſque patriæ appellatione, Romanæ rei adminiſtrationem ſuſceperunt. Tum Gordianos iam vita functos, inter Deos adſcripſere. Dein celebratis ſacris, ludiſque ſcenicis, atque circenſibus editis, gladiatorio item munere; Balbinus, & Gordianus iuuenis vrbis curam habuere; Maximus vero Pupienus ingentem contra Maximinum Reipublicæ, hoſtem exercitum duxit anno Chriſti ducenteſimo quadrageſimo. *Iulius Capitolinus & Euſebius in Chronico.*

IVLII MAXIMINI IMPERATORIS *eiuſque filij Geſta, & Obitus.*

AQuileiam Carnorum metropolim, Romanorumque coloniam, duodecies mille paſſibus à mari ſitam in decima Italiæ regione, inauſpicatò obſidens anno Chriſti ducentiſimo quadrageſimo, principatus vltimo, à militibus in caſtris, vnà cum filio Cæſare obtruncatus fuit, eorum capita Romam tranſmiſſa, pilo affixa, ac ludibrio habita; Corpora verò in campo Martio cremata, tum in profluentem deiecta. *Herodianus, Zonaras, Iulius Capitolinus.*

ICON

IVLII MAXIMINI IMPERATORIS.

IVLIVS *Maximinus Thrax, ex patre Micao, & matre Ababa, barbaris parentibus natus, pastor, & opilio fuit, specie decorus, famâ celebris, militiâ clarus, superbiâ insignis, moribus ferus, tyrannide infamis; tanto vero robore, vt rhedas onustas solus traheret; Equorum dentes, impacto pugno confringeret; Arbores discinderet, aliaque stupenda maxime præstaret. Ea propter à multis Milo Crotoniates; ab aliis Hercules, & Antæus; à quibusdam Aiax, & Achilles nuncupabatur. Tanta corporis mole, vt octo pedes excederet. Tanta pollicis vastitate, vt vxoris dextrocherio pro annulo vteretur; tantaque celeritate, vt equi cursum adæquaret; adeo denique vorax, vinique potator, vt vna cœna quadraginta, immo & sexaginta carnis libras comederet, amphoramque capitolinam exsiccaret. Stipendia sub Seuero meruit, sub Caracalla, ordines militares duxit; sub Heliogabalo, Romam rediit; sed inuento homine impurissimo, à militia desiit. Interfecto Heliogabalo, in vrbem iterum reuersus, ab Alexandro Imperatore gratanter exceptus est, vniuersique exercitus dux constitutus; Mox extincto Alexandro, rerum summa illi delata est. Ipso principatus initio, ne ignobilitas Maiestati officeret, generis sui conscios enecauit. Tum in omnes tanta immanitate deseuiit, vt alter Cyclops, Busiris, Chiron, Phalaris, Typhon, & Byges ab omnibus appellaretur. Germaniam ferro, flammisque popula-*

tus eſt. Sarmatis bellum inferre iam parauerat, vt immenſos Boreales tractus, in Romani Imperij ditionem redigeret. Verum accepto nuntio ſe, cum filio ſuo, hoſtem Reipublicæ à Senatu iudicatum fuiſſe, Italiam ingreſſus, Aquileiam vrbem munitiſſimam magno circumcinxit aggere, fortiterque oppugnauit, ſed fato infelici, cum in ea obſidione miſerè occubuerit anno Imperij quarto inchoato, Chriſti vero ducenteſimo quadrageſimo.

ICON

IVLII VERI MAXIMINI IMPERATORIS.

IVLIVS *Verus Maximinus, Maximini senioris Imperatoris, & Calphurniæ filius, proceritatis paternæ heres, Vini tamen parcus, cibi appetens, vestibus acuratus, vitæ lætioris, superbiæ summæ, facundiæ latinæ, græcaque singularis, ac tantæ pulchritudinis, vt illius gratiâ, & gemmatâ galeâ, & clypeo, loricaque aurea, atque hasta, immo argenteis, aureisque ensibus vteretur; Aquileiæ vnà cum patre extinctus est, anno ætatis vicesimo primo, omnibus, militari ioco, acclamantibus, ex pessimo genere, ne catulum quidem habendum. Rarò siquidem nascitur ex pessimis parentibus bona soboles.*

PVPIENI, ET BALBINI IMPERAtorum Gesta, & Obitus.

DEVICTO Maximino, Reipublicæ hôte infensissimo, anno Christi ducentesimo quadragesimo; Maximus Pupienus Imperator, Purpuratos viginti patres, Consulares quatuor, Prætorios octo, & totidem Quæstorios ad se missos cum coronis, & senatusconsulto, in quo illi auratæ statuæ pedestres decernebantur, magnificè excepit. Tum rebus ad Aquileiam compositis, Romam cum ingenti pompa atque apparatu repetiit; Balbinus princeps, & Gordianus Cesar, senatus, ac populus Romanus ei obuiàm longissimè processere, variisque acclamationibus victorem salutauere. His

peractis Principes leges tulere optimas, rebusque bellicis prouidere; Iamque Maximus Pupienus maximas contra Parthos collegerat copias, Balbinus vero contra Germanos, verùm militum irruptione in regiam, agonalium ludorum tempore, facta, crudeliter cæsi fuere, *vt scribunt Iulius Capitolinus, & Herodianus.*

ICON

MAXIMI PVPIENI IMPERATORIS.

MAXIMVS *Pupienus, homo nouus, patre fabre ferrario, & matre, Prima nomine natus; ingenio clarus, re militari celebris, iudicij tenax, senatui, populoque Romano carus, militum Tribunus primùm creatus fuit; mox Praturâ, operâ Pescennia Marcellina auctus; Dein proconsulatu Bithynia, Gracia, & Narbona. Legatus Sarmatas in Illyrico contudit; tum ad Rhenum translatus rem feliciter contra Germanos gessit, vrbisque prafecturâ sapientissime defunctus Imperatoriam induit purpuram, mouitque contra Maximinum, hostem Reipublica, quo debellato in vrbem rediit; Vbi cum expeditionem pararet in Parthos, militum impetu periit anno Imperij secundo, Christi vero ducentesimo quadragesimo.*

ICON

CÆLII BALBINI IMPERATORIS.

CÆLIVS Balbinus, natalibus illuſtris, corpore conſpicuus, voluptatibus deditus, diuitiis potens, veſtitu cultus, & ſenatui amabilis fuit. Conſul Aſiam, Africam, Bithyniam, Galaciam, Pontum, Thracias, & Gallias adminiſtrauit, magis ad pacis conſilia ſectanda, quam ad bella gerenda natus. Imperator cum Pupieno deſignatus, illo, contra Maximinum, magno cum exercitu profecto, res vrbanas ſapienter procurauit. Poſt Maximini necem Pupieno principe in vrbem reuerſo, vnà cum eo, pari auctoritate, legibus optimis, ſenatu, populoquè applaudente, Imperium rexit, quo tempore in Germaniam iter adornans, à militibus Maximianæ factionis interemptus fuit, anno principatus ſecundo, Chriſti autem ducenteſimo quadrageſimo.

GORDIANI IVNIORIS IMPERATORIS ſenioris nepotis Geſta.

PVpieno & Balbino principibus interemptis, Gordianus Iunior, ſenioris nepos & Cæſaris nomine anteà donatus annum agens decimum ſextum, vel vt alij volunt, decimum tertium, Imperator à militibus, populo Romano, & vniuerſo ſenatu acclamatus eſt, exeunte anno Chriſti ducenteſimo quadrageſimo ſolus imperauit, ac magnos ciuiles motus compeſcuit. *Iulius Capitolinus.*

HEROES.

Sanguine, Gestis, & Politia.

Sabinus Maximino principi familiaris vrbi præerat, anno Christi ducentesimo tricesimo septimo. Vitalianus Imperatoris fautor præfecturâ prætorij ornatus. *Iulius Capitolinus.*

Mauritius tanti fuit nominis apud Afros, vt Gordianum seniorem, vnà cum filio ad Imperium euexerit. *Herodianus.*

Valerianus, variis clarus virtutibus, ab Afris Romam mittitur, vt senatus certior redderetur de Gordianorum nouorum principum inauguratione omnibus gratissima. *Herodianus.*

Crispinus, & Menophilus viri Consulares, Maximini impetus, frequentesque in Aquileiam ciuitatem irruptiones fortiter, ac feliciter sustinuere, anno Christi ducentesimo quadragesimo. *Auctor citatus.*

VIRI ERVDITI.

Dio Cassius, cognomento Cocceius, patriâ Nicæus, historiam Romanam, à Palilibus ad annum Christi ducentesimum tricesimum primum, libris octoginta complexus est. Scripsit Traiani gesta, Arriani philosophi vitam, tres libros de principe, tractatus quosdam morales, & librum de somniis, ac prodigiis. *Suidas, Volaterranus, & Gesner.*

Herodianus Alexandrinus, filius Apollonij grammatici, cognomento Dyscoli, in Palatina diu versatus aula, affectæque iam ætatis, nitida, ac plena dignitatis, & suauitatis oratione vitas Imperatorum à Commodo ad Gordianum vsque contexuit; in quibus magna negotiorum varietas, magna rerum nouitas, magna fortunæ inconstantis exempla, magni consiliorum euentus inopinati, & copiosa ad principum mores instruendos suppellex elucet. Nobis præterea opuscula quædam de arte grammatica, & antiquitate reliquit. *Suidas, Volaterranus, & Gesner.*

Floruere etiam hoc tempore Euganus, rhetor celeberri-

mus apud Græcos; Philæmon Grammaticus, & Tatianus iunior, filius illius Tatiani, qui librum edidit de prouinciis. Adde Censorinum, auctorem operis de die natali.

OPERA PVBLICA.

In Baiano, palatium quod Mammææ nomine hodie nuncupatur, ædificauit Alexander princeps, aliaque splendida in honorem affinium opera, & stagna stupenda, admisso mari. Pontes item, quos Traianus fabricarat, restaurauit omnibus penè in locis: immò & nouos aliquos posuit, anno Christi ducentesimo tricesimo secundo, principatus nono. Basilicam insuper Alexandrinam, inter campum Martium & septa Agrippina extruere aggressus est, sed morte præuentus, opus inchoatum nobis reliquit. *Ælius Lampridius.*

Sicambriam vrbem nobilissimam, posteà Budam nuncupatam, vt habet lapis effossus Mathiæ Regis tempore, dum ædium Beatricis Reginæ fundamenta iacerentur, condidit auxiliatrix Sicambrorum legio, anno Christi ducentesimo tricesimo quarto, Alexandri Imperatoris vndecimo. Hæc ciuitas Hungariæ metropolis fuit, non procul à Danubij ripa dissita, munitissimum olim Germaniæ propugnaculum, nunc Turcarum ditioni parens, vt tota penè prouincia. *Bonfinius rerum Vngaricarum lib. 1. & Ioannes Auentinus Historicus.*

Baccaræ Augustæ in Hispania vicum celeberrimum, & portam insignem excitauit Maximinus princeps, anno Christi ducentesimo tricesimo octauo, quæ etiamnum tanti Imperatoris nomine vocitantur.

CALAMITATES.

Ingentes terræ motus, quibus totus oriens maxima cum vrbium, tùm regionum clade concussus fuit, frequentes extitere. *Origenes tomo 28. in Ioannem.*

RES

RES BELLICÆ.

Alexander magno cum exercitu aduersus Persas profectus est anno Christi ducentesimo tricesimo sexto, principatus decimo tertio; nouumque restituti Imperij Persici Regem Artaxerxem, ob res contra Parthos feliciter gestas insolescentem, ac magnis itineribus, cum septingentis elephantis, falcatisque mille, & octingentis curribus, centumque & viginti equitum Cataphractorum millibus, in Romani orbis fines irrumpentem, gloriosissimè prostrauit. *Ælius Lampridius.*

In Germanos Gallias fœdissimè deuastantes validissimis cum copiis idem princeps aduolauit, anno Christi ducentesimo septimo, Imperij vero vltimo; Confectoque celeriter itinere ad Rheni ripas constitit, vbi pugnis aliquot leuioribus certatum est; nonnunquam collata acie, maiori sæpè Germanorum damno. Verùm quod mirum magis videri debet, missis ad hostes oratoribus, pacem ab iis, qui bellum mouerant, & inferiores acie discesserant, ingenti pecunia emercatus est. *Ælius Lampridius, & Herodianus.*

Extincto Alexandro, Maximinus Imperator in Germaniam eodem Christi anno ducentesimo tricesimo septimo, principatus primo approperauit, hostilemque agrum ingressus, igne, ferro, sanguine omnia compleuit; Tum ingenti hominum strage edita, Germaniam armis victricibus in Romanam ditionem redegit. *Herodianus, & Iulius Capitolinus.*

Capellianus, Numidiæ procurator coacto omni exercitu anno Christi ducentesimo quadragesimo, principatus quarto inchoato, Carthaginem, contra Gordianos nouos Augustos se contulit, commissoque prælio, acriter pugnatam est, fusisque ac fugatis Carthaginensibus, Capellianus victor vrbem ingressus, fana diripuit, domos flammis absumsit, ciuiumque, ac principum sanguine cuncta funestauit. *Auctores citati.*

Maximus Pupienus, maximum contra Maximinum principem, Apuileiam vrbem in Italia celeberrimam, omni vi obsidentem, exercitum conduxit eodem anno Christi ducente-

ſimo quadrageſimo. Magna certè fuit hæc oppugnatio: propugnatio vero tanta, vt innumeros penè funes, ad ſagittas in hoſtium cuneos contorquendas, è mulierum capillis, Aquilienſes texuerint: quod olim Romæ factitatum fertur. *Herodianus.*

TRIVMPHI.

Spectabili pompa, atque apparatu triumphauit de Perſis Alexander Imperator ſeptimo Kalendas Octobris, anni Chriſti ducenteſimi triceſimi ſexti, principatus tertij; Conſcenditque Capitolium, ſenatu comitante, equeſtri ordine, atque vniuerſo populo. Tum re diuina peracta, tunicisque Perſicis in templo appenſis, Palatium, omnibus tantæ victoriæ ornatum inſignibus, tota illi applaudente vrbe, glorioſè ſubiit; *Vt ſcribunt Herodianus, & Ælius Lampridius.*

Mæſa Phænicæa, ab Emeſa vrbe Phæniciæ, ſic dicta, ſoror Iuliæ, coniugis Seueri Imperatoris, & matris Antonini Baſſiani Caracallæ, diues opum, & gloriæ, prouectæque ætatis, ſupremum diem obiit, anno Chriſti ducenteſimo triceſimo primo, Alexandri Principis octauo. Non defuere illi, honores imperatorij, nec apotheoſis, ſolemni Romanorum more, ſtato tempore habita. *Herodianus.*

Mammæa Imperatrix, Alexandri Seueri Principis mater, naturæ conceſſit, anno Chriſti ducenteſimo triceſimo ſeptimo, filij verò ſui vltimo. *Auctor citatus.*

DECAS QVINTA.

GORDIANI IVNIORIS IMPERATORIS Gesta, & Obitus.

TRANQVILLAM, Filiam Misithei viri eloquentissimi, matrimonio sibi iunxit, anno Christi ducentesimo quadragesimo tertio, principatus tertio. *Eutropius, & Iulius Capitolinus.*

Gothis, pensionem annuam, ea lege concessit, vt Romani Imperij fines contrà hostiles incursiones propugnarent. *Auentinus Historicus.*

Misitheo extincto, Philippum Præfectum Prætorij creauit, anno Christi ducentesimo quadragesimo quinto, principatus quinto; immo paullo post in consortē Imperij adsciuit, à quo anno sequenti ab expeditione Persica victor rediens, impiè apud Ctesiphontem in oriente interfectus fuit, anno ætatis vicesimo secundo, Imperij vero sexto inchoato. *Iulius Capitolinus, & Baptista Egnatius.*

ICON

GORDIANI IVNIORIS IMPERATORIS.

MARCVS *Antonius Gordianus iunior, senioris nepos ex filio, vel filia vt alij volunt, puer egregiâ indole, ac omnibus tùm animi, tùm corporis dotibus praditus. Eius nobilitatem auus, paterque Imperatores, atque Scipionum stemma, genti insertum, testantur; Ingenij verò suauitatem singularem senatus, populique amor, qui certè tantus in eum fuit, vt patres purpurati filium; plebs autem delicias appellaret. Nondum maturus Imperio, quod, sex annis etiam non emensis, tenuit, regnare cepit; Misithei tamen soceri, viri prudentis consiliis innixus, rem feliciter gessit, ab eóque praclarè edoctus exclamauit aliquando miserum eum esse principem, cui vera, silentio tegerentur. Gothos, Sarmatas, Germanosque, Thraciam incursantes, acie penitùs deleuit; deuictisque Persis, ac Sapore rege potentissimo, Artaxerxis filio, Antiochiam, Carras, & Nisibim recepit. Tandem Philippi artibus, quem in soceri locum subrogarat, multisque beneficiis deuinxerat, immò, & in collegam assumpserat, è rebus humanis, vniuerso Imperij Romani orbe mœrente sublatus est anno, atatis vicesimo secundo, principatus sexto. Neque enim vita nostra nodus Gordianus est, soli sextilis Alexandro.*

M. IVLII PHILIPPI IMPERATORIS Gesta.

GOrdiano Iuniore interempto, M. Iulius Philippus Imperio potitus est, anno Christi ducentesimo quadragesimo sexto. *Iulius Capitolinus.*

Pace, cum Sapore Rege, cui Mesopotamiam, & Assyriam concesserat, firmata, *vt refert Pomponius*, è Perside Romam venit anno Christi ducentesimo quadragesimo septimo, principatus secundo, adscito anteà in collegam filio suo, vt fidem nobis faciunt numismata, *quæ Baronius præfert.*

Ingenti pompa, ac singulari apparatu ludos sæculares, nullo gentilitiæ superstitionis sacrificio peracto, edidit anno Christi ducentesimo quadragesimo nono, principatus quarto; ab vrbe vero condita millesimo, iuxtà Varonianam supputationem, publicis monumentis receptam, *teste Baronio*, quem consule. In hac munerum editione, Elephantos triginta duos; Alces decem; Tigrides decem; Leones mansuetos sexaginta; Leopardos cicures triginta; Hyænas decem; Hippopotamum vnum; Rhinocerotem vnum; Arcoleontes decem; Cameleopardos decem; Onagros viginti; Equos feros quadraginta; Gladiatorum paria mille, vel occidit, vel edidit. Quæ omnia ad solemnem illum natalem vrbis diem, quo triumphum agere statuerat Gordianus Princeps, seposita fuerant. Ludos item theatrales exhibuit in campo martio tribus diebus, ac noctibus, quos Censorinus trinoctia appellat. Quadraginta insuper missus, inter quos Athlas mons, concurrerunt; montes siquidem ac Syluæ in circo currentes inducebantur, aliaque ἀπήματα similia, *vt habes apud Martialem*, repserunt scopuli, mirandaque sylua cucurrit. *Eusebius in chronico, Aurelius Victor, Eutropius, Iulius Capitolinus, & alij.*

HEROES.

Sanguine, Gestis, & Politia.

Ostrogothus Gothorum Rex, Romani Imperij hostis infensissimus habebatur, *vt scribit Iornandes.*

Sapores, Persarum princeps, Artaxerxis filius, ingenti corporis mole conspicuus, atque omnium crudelissimus, extincto patre Regni habenas suscepit anno Christi ducentesimo quadragesimo tertio. *Zosimus, & Agathias lib.* 4.

Misitheus Gordiani Iunioris Imperatoris socer, vir modestus, frugique; ac toti Reipub. charus. Illius felicibus auspiciis bellum Persicum confectum fuit, multæque vrbes receptæ. Ea propter senatus ipsum, equorum quadrigis, ac triumphali curru, cum hocce titulo cohonestauit. MISITHEO PARENTI PRINCIPVM, PRÆTORII PRÆFECTO, AC TVTORI REIPVBLICÆ. *Pomponius, & Iulius Capitolinus.*

Arguntis Scytharum Rex spectatissimus summæque famæ apud proceros. *Iulius Capitolinus.*

Priscus Imperatoris frater Syriacis præerat exercitibus; Seuerianus verò Augusti gener Mysiæ, ac Macedoniæ. *Zosimus.*

Marinus ordinum ductor, à militibus in Pannoniis Imperator salutatur, anno Christi ducentesimo quadragesimo nono, sed breue concidit. *Zosimus.*

Decius futurus Imperator, vir illustris, in Pannoniam, ac Mysiam, contra Marinum, à principe mittitur. *Zonaras.*

Papianus creatur in oriente à prouinciis aduersùs Philippum Imperatorem, eodem Christi anno ducentesimo quadracesimo nono. *Zosimus.*

VIRI ERVDITI.

Plotinus Platonicus philosophus, Ægyptius natione, è ciuitate Lycopoli, corpore gracili, tenuique valetudine, ac morbo sacro obnoxius, Ammonij Christiani discipulus an-

nis vndecim Alexandriæ. Tum Romam veniens docuit, anno ætatis quadragesimo. Libros quinquaginta quatuor Græcos, & in Enneadas sex distributos composuit, quos Latina lingua Marsilius Ficinus Florentinus donauit.

Prima Enneas tractatus morales complectitur, agitque de virtutibus, de beatitudine, de primo bono, & rationali exitu ex hac vita. Secunda de mundo, de motu circulari; vtrum stellæ aliquid agant, & de eo quod est in potentia, & in actu. Tertia de fato, de prouidentia, de amore, de æternitate, & tempore, & quod incorporea minimè patiantur. Quarta de anima, vbi de eius essentia, immortalitate, & descensu ad corpora; tractat insuper de memoria, & sensu. Quinta de tribus substantiis, principij rationem habentibus, de generatione, quomodo intelligibilia non sint extrà intellectum; quomodo, quod est superius antè non intelligat; quod primò sit intelligens, quidue secundò; vtrum singularium sint ideæ; de intelligibili pulchritudine, de intellectu, ideis, mente, & bono. Sexta de generibus entis; de numeris; quo modo idearum extitit multitudo; de libertate, & voluntate vnius, & de bono, vel vno: alia etiam permulta opera in lucem dedit, *teste Suida, & Gesnero.*

OPERA PVBLICA.

Philippolim, vrbem celeberrimam, insigne de fortis victoriæ relatæ monumentum, extruxit in agro natali, sub Rhodope, monte Thraciæ Philippus Princeps, anno Christi ducentesimo quadragesimo nono, Imperij quarto. *Pomponius Lætus, Bonifinius, & alij.*

CALAMITATES.

Tam vehementi terræ motu vniuersus orbis quassatus fuit, anno Christi ducentesimo quadragesimo tertio, Gordiani iunioris Imperatoris, & senioris nepotis tertio, vt permultæ amplissimæ ciuitates hiatu maximo exhaustæ fuerint. Ea propter sacrificia multa, non tantum per vrbam totam, verùm

etirm orbem vniuersum peracta fuerunt. *Iulius Capitolinus.*

Theatrum Pompei magno conflagrauit incendio, anno Christi ducentesimo quadragesimo nono, Philippi Imperatoris quarto. Item Hecatostylon, hoc est opus centum columnarum, sub Domitiano Principe, propè theatrum Pompei extructum, regione nona. *Eusebius in Chronico, & Pomponius Lætus.*

RES BELLICÆ.

Ostrogothus Gothorum Rex, inita cum Marcomannis, Quædis, & aliis nationibus societate, Romani Imperij fines penetrauit, anno Christi ducentesimo quadragesimo secundo, Gordiani iunioris Imperatoris secundo, magnaque vrbium euastatione, ingentique hominum strage eos afflixit. *Iornandes.*

Gordianus Princeps Sabianum ducem in Africa eodem anno rebellantem potenter repressit; Paxque Imperio, extinctis bellis ciuilibus, reddita fuit. *Iulius Capitolinus.*

Sapores Persarum Rex, illatam Artaxerxi Patri, ab Alexandro Imperatore cladem vlturus, Persicum renouauit bellum, mouitque in Romanos anno Christi ducentesimo quadragesimo tertio, ac totam Syriam depopulatus est. *Zosimus, & Iulius Capitolinus.*

Aperto gemino Iano, quod indicti belli signum erat, Gordianus Imperator contra Persas profectus est, anno Christi ducentesimo quadragesimo quarto, principatus quarto; ductoque per Moesiam exercitu, vbi primùm in Thraciam peruenit, hostiles copias felicibus Misithei soceri consiliis fudit, fugauitque. Tum in Nisibim ciuitatem, magnis itineribus contendens, illam victricibus expugnauit armis; immo & Carriam, *Capitolino teste, & Zenora*; Addunt aliqui eundem Principem Scythas è Moësia expulisse, Elephantorumque quadrigas, deuictis Persis, illi à senatu vniuerso decretas fuisse.

Gothi, negata à Philippo Imperatore pensione, quam Gordianus anno Christi ducentesimo quadragesimo quarto eis concesserat, Moësiam, ac Pannonias inuaserunt, anno Christi

Christi ducentesimo quadragesimo octauo, oppidaque expugnarunt, diripuerunt, expilarunt, incenderunt, cædeque omnia compleuerunt. Hos tamen Philippus Princeps ita feliciter aggressus est, vt magnâ hostium strage editâ, victor ad æquas pacis conditiones compulerit. *Auentinus.*

OBITVS ILLVSTRES.

Artaxerxes Imperij Persici restitutor, obiit anno Christi ducentesimo quadragesimo tertio. *Agathias lib. 4.*

Misitheus, Gordiani iunioris Imperatoris socer, Prætorijque Præfectus, Philippi artibus, vt volunt aliqui, alij verò morbo, extinctus est anno Christi ducentesimo quadragesimo quinto, Gordiani Augusti, senioris nepotis quinto. *Iulius Capitolinus.*

FVNERA.

Gordiano Iuniore Imperatore, senioris nepote, sublato, senatus eum inter Diuos retulit. Miles tumulum in Persicis finibus, vicesimo milliario à Circesso, quod erat castrum Romanorum, Euphrati imminens, extruxit cum hac inscriptione. DIVO GORDIANO VICTORI PERSARVM; VICTORI GOTHORVM; VICTORI SARMATVM; DEPVLSORI ROMANARVM SEDITIONVM; VICTORI GERMANORVM, SED NON VICTORI PHILIPPORVM; Tum quòd in campis Philippicis ab Alanis tumultuariò victus abcessisset; Tum etiam quòd à Philippis Augustis occisus crederetur. Eius cineres Romam regio apparatu deuecti fuere. *Iulius Capitolinus, Eutropius, & alij.*

DECAS SEXTA.

PHILIPPI IMPERATORIS GESTA & Obitus, ac filij sui.

EXPEDITIONEM, contra Decium, Imperatoriis insignibus, ab exercitu Illyrico donatum parans, Veronam petiit, anno Christi ducentesimo quinquagesimo tertio, principatus septimo, vbi militari tumultu crudeliter peremptus fuit; Romæ verò ipsius filius Imperij collega, vt patet ex inscriptione veteri, quæ Veronæ extat, iuxtà portam Busaream, in domo Cathanæorum, cuius verba hæc sunt. ANNO CHRISTI DVCENTESIMO QVINQVAGESIMO TERTIO IMPERATOR DIVVS PHIPIPPVS SENIOR VERONÆ, ROMÆ AVTEM IVNIOR SATELLITVM MANV CECIDERE. Porro huiusmodi inscriptioni tùm septem consulatus, positi in fastis Cassiodori sub Philippo consentiunt; tùm numerati *ab Eusebio* anni septem eiusdem Imperij, cui suffragatur *Baronius.*

ICON

PHILIPPI SENIORIS IMPERATORIS.

MARCVS *Iulius Philippus Arabs, obscuro quidem genere, sed re militari illustris præfectus prætorij à Gordiano iuniore Imperatore constituitur, immò in consortem Imperij adsciscitur; Cuius artibus extincto principe, fœdus cum Persis, non sine summo Romanæ maiestatis dedecore, concessa Mesopotamia, & Assyria, iniit. Tum in vrbem se contulit, filiumque suum, super viam, purpurâ ornauit. Mox Romæ ludos seculares, variaque spectacula, magno apparatu, atque scena exhibuit. Dein in Gothos ingentem exercitum duxit; Victorque rediens Philippolim ciuitatem in æternum tantæ victoriæ monumentum, condidit. Tandem Veronæ Imperium scelere partum, pari scelere, crudeli nimirum nece, Decij noui Augusti fraudibus illata, perdidit, anno Christi ducentesimo quinquagesimo tertio, principatus verò vltimo.*

ICON

PHILIPPI IMPERATORIS, SENIORIS FILII.

IVLIVS Philippus, Philippi Arabici Imperatoris, & Seueræ filius, à patre anno principatus sui primo in Cæsarem, Imperiique collegam assumptus, in tantam morum austeritatem, asperitatemque compositus fuit, etiamnum puer, vt tanquam alter ἀγέλαστος, nullis facetiis, iocisque, ad risum moueri potuerit; Immò patrem in ludis sæcularibus cachinnantem, auerso vultu notarit. Hic Romæ anno ducentesimo quinquagesimo tertio, ætatis duodecimo, Decij operâ, periit.

Q. DECII TRAIANI, IPSIVSQVE filij Imperatorum Gesta, & Obitus.

INterfectis Philippis, Decius in Imperatorem ab vniuerso senatu eligitur, anno Christi ducentesimo quinquagesimo tertio. Mox Galliarum motibus compressis, Romam contendit, vbi filium suum Cæsaris nomine auxit. Tum comparato, aduersùs Gothos, exercitu, Valerianum Censuræ potestate donatum, in vrbe relinquens, patribusque Rempublicam commendans expeditionem suscepit, in qua anno Christi ducentesimo quinquagesimo quarto, ætatis quinquagesimo, Imperij denique secundo tribus mensibus inchoato, infelici fato abreptus fuit, *vt testantur Eusebius, &*

Cassiodorus. Regnare enim cepit mense Ianuario, & euoluto anni circulo, mense Aprili desiit. Quod si antiquis monumentis, tertia illius tribunitia potestas, quæ tertium ipsius principatus annum indicabat, reperiatur, nota id accidisse, quòd ante Philippi necem Imperator ab Illyrico exercitu creatus, tribunitiam potestatem ex more consecutus fuisset. *Orosius lib. 7. & alij.*

ICON

Q. DECII TRAIANI IMPERATORIS.

QVINTVS *Traianus è Bubali inferioris Pannoniæ vrbe, clarissimis parentibus ortus, ingenio feroci, atque immani, ab exercitu tamen Augustus acclamatus est. Thermas celebres Romæ construxit. Christianum sanguinem, quem in Philippis degustarat, ardenter sitiens, ingentem piorum hominum stragem edidit. Ciuiles Galliæ motus sedauit. Germanorum incursiones repressit. Gothos Moësiam, Thraciamque variis cladibus deuastantes primis congressibus prostrauit, penitus deleturus, ni Galli Treboniani, noua molientis insidiis, exercitu à Barbaris cæso, fugientem obuia palus hausisset. Felix certè palus quæ tantam extinxit Christiani sanguinis sitim.*

ICON
MESII DECII IMPERATORIS.

MESIVS *Decius, Decij Imperatoris filius, animi magnitudine, bellique laude spectatissimus in Pannoniam cum patre contra hostes Reipublicæ properauit; sed prælio infeliciter commisso, Romanoque exercitu penè deleto, fugatoque, hostili manu in conflictu percussus occubuit, anno Christi ducentesimo, quinquagesimo quarto, principatus secundo.*

TRIBONIANI GALLI IMPERATORIS Gesta, & Obitus.

EXtinctis Deciis, Caius Vibius Trebonianus Gallus Imperator ab vniuerso senatu salutatur, anno Christi ducentesimo quinquagesimo quarto. Hic primo principatus exordio Romani Imperij gloriam fœdissimâ cum Gothis pactione deturpauit. Mox in vrbem profectus Volusianum filium suum consortem sibi fecit; Tum anno Christi ducentesimo quinquagesimo septimo, Imperij quarto (constat enim ex veteribus monumentis, *vt habes apud Baronium*, illos quartò Tribunitia potestate ornatos fuisse) ingentes copias, contra Æmilianum, nouum Augustum ducens, vnà cum filio interiit. *Pomponius Lætus.*

ICON
TREBONIANI GALLI IMPERATORIS.

CAIVS Vibius Trebonianus Gallus, patritiorum familia ortus, principatum annis quatuor tenuit. Primus pacem drachmis aureis ducentis ab hostibus mercatus est. Tum in Æmilianum, qui ab exercitu, ob rem præclarè contra Gothos gestam, Augusti insignia sumpserat, festinanter aduolans propè Interamnam Vmbriæ vrbem, à militibus, à quibus in imperium euectus fuerat, vnà cum filio occisus est anno Christi ducentesimo quinquagesimo septimo.

ÆMILIANI IMPERATORIS Gesta, & Obitus.

TReboniano Gallo, & Volusiano filio extinctis, Æmilianus à Moesiacis legionibus Imperator acclamatur, anno Christi ducentesimo quinquagesimo septimo; Tum litteris ad senatum datis, eum certiorem reddidit, hostem Romani nominis feliciter depulsurum, modò illi faueret. Intereà dum ingentem vndiquaque colligit exercitum, Valerianus vir magnæ famæ, ab Alpino exercitu, Imperio præficitur; Quo audito nuntio, milites qui anteà ab Æmiliani partibus steterant, ne ciuilli bello Rempublicam proscinderent, ad nouum confugientes Principem, Æmilianum apud Spoletium, Vmbriæ ciuitatem, trucidarunt. *Pomponius Lætus, Sextus Aurelius, & alij.*

ICON

ICON

ÆMILIANI IMPERATORIS.

*Æ*EMILIANVM *quadrimeſtrem Imperatorem Mauritania dedit, re quidem militari clarum, ſed genere obſcurum. Stipendia à pueritiâ mereri cepit. Dux limitis Sarmatici in Moëſia à Decio præpoſitus, Reipublicæ hoſtes ad internecionem deleuit, Thracias breui liberaturus, ac Meſopotamiam, Armeniaq; recuperacturus, ni eorum manibus, qui ipſi anteà impensè fauerant, Aureliano viro illuſtri, ad Alpino exercitu, Imperatore creato, crudeli cæde extinctus fuiſſet.*

VALERIANI ET GALLIENI IMPEratorum Geſta.

ÆMiliano, menſe Imperij quarto, ſublato. Valerianus ad Imperium in Norico euectus eſt, anno Chriſti ducenteſimo, quinquageſimo ſeptimo. Romæ verò à ſenatu, Gallienus ipſius filius, *Eutropio teſte. Baronius tamen aſſerit*, eum vnà cum filio principatum, biennio antè mortem Galli, & Voluſiani, ſumpſiſſe.

Valerianus primis Imperij annis Chriſtianam religionem magno in pretio habuit, illiuſque ſacra myſteria, ſummo cultu veneratus eſt, vt refert *Dionyſius Alexandrinus.* Ad artem tamen magicam, à quodam Ægyptio mago traductus, anno Chriſti ducenteſimo, quinquageſimo nono, principatus tertio, à Galli, & Voluſiani obitu, victimas immolauit, infantium viſcera ſcrutatus eſt, & in Chriſtiani nomen crudeliter deſæuiit. *Euſebius lib. 7. Hiſtoriæ cap. 9.*

Licinius Gallienus, ſuperioris Pannoniæ, Noricique parte,

Marcomannorum Regni concessa, Corneliam Soloninam ipsius filiam in vxorem accepit, anno Christi ducentesimo quinquagesimo septimo, principatus tertio à morte Galli, & Volusiani. *Vasæus de rebus Hispaniæ.*

HEROES
Sanguine, Gestis, & Politia.

Berigus princeps illustrissimus, cuius opera Gothi ex Insula Scandia orti, littus Sarmaticum attigêre, anno Christi ducentesimo quinquagesimo tertio, Decij Imperatoris primo. *Bonfinius, à Decade lib. 2. rerum Vngaricarum.*

Fastida vir summæ auctoritatis, Gepidarum omnium suffragio Rex constituitur eodem Christi anno, *Teste auctore citato.* Echina Ostrogothi Principis filius, magni erat nominis in aula apud omnes proceres.

Theodatus Gallieni Imperatoris dux potentissimus, rerumque gestarum gloria celeberrimus. *Volaterranus.*

Aurelianus futurus Imperator, coronis quatuor muralibus, vallaribus quinque, naualibus duabus, ciuicis duabus, hastis puris decem, vexillis bicoloribus quatuor, toga prætexta, & picta, tunicaque palmata auctus. Aureos insuper Antonianos trecentos, argenteos Philippeos minutulos, tria millia, aliaque permulta augustissima ab eodem Principe manu profusa, ad circensium editionem accepit munera. Adde datam ei fuisse, dum esset legatus ad Persas, Pateram similem illi, quæ à Rege Persarum offerri soleret Imperatoribus, in qua sol mirabili arte insculptus erat, eoque habitu quo colebatur in eo templo, in quo ipsius mater fuerat sacerdos. *Vopiscus.*

Mummius Albinus multiplici virtute insignis, vrbis præfectura summa cum prudentia perfungebatur, anno Christi ducentesimo quinquagesimo nono, Valeriani, & Gallieni principatus quinto. *Cuspinianus.*

VIRI ERVDITI.

Cyprianus vir eloquentissimus varios scripsit tractatus inter quos isti recensentur; de mortalitate, seu peste Ægyptiaca; de aleatoribus; & de spectaculis; reliquos qui res pias tantum attingunt, habes in eadem decade historiæ sacræ. *Philippus Bergomensis.*

Probus, natione Britannus doctrinâ illustris Galliam, Italiamque studiorum causâ peragrauit, multaque composuit quæ non extant. *Teste Pitheo.*

OPERA PVBLICA.

Senatus Decij nomine Decianas thermas in Auentino monte extruxit, anno Christi ducentesimo quinquagesimo quarto, Decij Imperatoris secundo. *Cuspinianus.*

CALAMITATES.

Amphiteatrum funereo combustum fuit, Romæ, incendio, anno Christi ducentesimo quinquagesimo tertio, Decij Imperatoris primo. *Eusebius in Chronico, Bonfinius, & alij.*

Immanis illa lues, quæ totum penè orbem decennio integro depasta est, grassari cepit anno ducentesimo quinquagesimo quinto, Galli, & Volusiani Imperatorum secundo, *vt volunt Eusebius, Eutropius, Pomponius Lætus, & Baronius. Gregorius vero Nyssenus in vita Magni Thaumaturgi asserit*, eam in Neocæsarenses à Dæmonibus immissam, vlciscenti numine eorum impietatem.

Ad tantæ pestilentiæ cumulum accessit sub idem tempus ingens fames, *Auctore Eusebio ex Epistolis Dionysij Alexandrini.*

RES BELLICÆ.

Gepidæ non Burgundiones tantùm variis incursionibus, atque depopulationibus afflixere; verùm etiam Gothos sibi cognatos aggressi sunt; immò Ostrogothum Visigothorum, & Ostrogothorum Principem prouocarunt. *Iornandes, & Bonfinius lib. 3. rerum Vngaricarum.*

Bellum Gothicum instaurauit Euchina Ostrogothi Regis demortui filius, Moësiam, & Thraciam inuadendo. Hic fusus, fugatusque à Decio Principe, loca inter palustria se muniit, irrumpentemque temerè, atque inconsultò Imperatorem, Treboniani Galli dolo, ita oppressit, vt in promiscua

turba, paludis hauſtus gurgite perierit, anno Chriſti ducenteſimo quinquageſimo quarto. *Zoſimus.*

Perſarum motus recrudeſcunt, anno Chriſti ducenteſimo quinquageſimo quinto, Galli, & Voluſiani Imperatorum ſecundo. Iamque Armeniam occuparant, Tiridate Rege fugâ lapſo, cuius filij ad hoſtes confugerunt. Scythæ inſuper prioribus victoriis audaciores facti Macedoniam, Theſſaliam, atque Græciam euaſtarunt. Aliæ denique nationes in Imperium Romanum, facto impetu, irruerunt. *Zonaras.*

Gallienus, miſſis in Græciam contra Scythas legionibus, ad Rhenum aduerſùs Marcomannos ſe contulit, anno Chriſti ducenteſimo quinquageſimo ſeptimo, principatus primo ab obitu Galli, & Voluſiani; vbi poſt aliqua certamina, icto fœdere cum quibuſdam hoſtium ducibus, ipſos, Imperij Romani tuendi cauſâ, cuſtodes reliquit. *Zoſimus.*

OBITVS ILLVSTRES.

Oſtrogothus, Viſigothorum, & Oſtrogothorum Rex vitæ munus impleuit, anno Chriſti ducenteſimo quinquageſimo tertio, Dec., Imperatoris primo. *Bonfinius lib. 2. rerum Vngaricarum.*

DECAS SEPTIMA.

LICINII VALERIANI IMPERAtoris Gesta, & Obitus.

PROFECTVS contrà Persas Reipublicæ hostes infensissimos, anno Christi ducentesimo sexagesimo secundo, principatus à morte Galli, & Volusiani sexto, & à Sapore Persarum Rege victus, captusque, fœdo exitu vitam finiit. *Orosius*, *Eusebius*, *& alij.*

ICON

VALERIANI IMPERATORIS.

LICINIVS *Valerianus cognomento Colobius, splendidissimis ortus parentibus, doctrinâ, atque eloquentiâ clarus, summisque donatus honoribus, principatum, quem annis sex à morte Galli, & Volusiani tenuit, non tumultuario populi concursu, vel militum strepitu, sed meritorum iure obtinuerat. Mox bellum in Mesopotamia gerens, à Sapore Persarum Rege captus, adpudenda quæque obsequia præstanda coactus fuit, eáque contumeliâ à victore affectus, vt equum conscensurus, incuruato eo, pedem ceruicibus imponeret, calcatoque Imperio insultaret. Funestam hanc seruitutem amplius annum tolerauit. Tum post vincula, ne functus fato, quiesceret, fœdè laniatus, nudatus, & salitus, regiæ infelicitatis exemplum dedit. Adeò nullâ maiestas ab vltimo ludibrio tuta est.*

GALLIENI IMPERATORIS Gesta, & Obitus.

DEcennalia nouo ludorum genere, nouo spectaculorum apparatu, nouisque voluptatum illecebris exhibuit, anno Christi ducentesimo sexagesimo quarto, principatus à morte Galli, & Volusiani octauo. *Trebellius.*

Plotino Philosopho petenti eodem Christi anno, vt ciuitatem quandam in Campania dirutam instauraret, Platonicis-

que Philosophis traderet, vt illam, & incolerent, & suis legibus regerent, ac Platonopolim appellarent, abnuit *Socrates*.

Valerianum fratrem suum iam Cæsaris nomine ornatum, Augustum concessâ ei tribunitiâ potestate creauit, anno Christi ducentesimo sexagesimo septimo, principatus à morte Galli, & Volusiani vndecimo. *Trebellius Pollio.*

Sopito vtcumque tumultu Illyrico, anno Christi ducentesimo sexagesimo octauo, principatus à morte Galli, & Volusiani duodecimo, Aureolum ibi imperitantem sibi conciliauit, moxque in Gallias cum eo se contulit. *Trebellius Pollio.*

Claudium ducem exercitus noua quædam in Dacia molientem conciliare sibi variis artibus studuit, summique pretij munera ei largitus est; Pateras scilicet gemmatas trilibres, duas; Scyphos aureos trilibres, duos; Discum Corymbiacum argenteum librarum viginti; Lancem argenteam pampinatam librarum triginta; Patinam argenteam hederaceam librarum viginti, & trium; Vrseos duos auro inclusos argenteos librarum sex, & in vasis minoribus argenti libras viginti quinque. Calices Ægyptios, onerisque diuersi, decem. Chlamydes veri luminis, hoc est micantes, seu purpuratas duas; Vestes diuersas sexdecim; Albam subsericam triuncem, vnam; Zanchas, hoc est calceamenti genus apud Parthos, paria tria; Singiliones Dalmatenses, quibus equites vtebantur, decem; Chlamydem Dardanicam mantuelem, vnam; Penulam Illyricanam, vnam; Bardocucullum vnum; Aureos Valerianos quinquaginta; Trientes Salonianos trecentos. Consule Casaubonum in Trebellium Pollionem, agentem de Claudio Principe sub finem illius vitæ.

Decimo tandem Kalendas Aprilis anni ducentesimi sexagesimi noni, Claudij fraude aliorumque ducum; apud Mediolanum Cisalpinæ Galliæ vrbem metropolim, ducentis quinquaginta nouem annis antè aduentum Christi à Gallis suburbanis conditam, vnà cum fratre Valeriano, & filiis interfectus est anno ætatis quinquagesimo, Imperij duodecimo vt vult *Epiphanius*, *Eusebius vero in sua Historia*, *Victor*, *& alij*, *decimo quinto*, *quibus consentiunt veteres nummi.*

ICON
GALLIENI IMPERATORIS.

PVBLIVS *Licinius Gallienus, Valeriani Imperatoris filius, optimis excultus artibus, ab initio Cæsar, dein à Patre Augustus appellatus; Imperium primò feliciter, mox commodè, ad vltimum perniciosè tenuit. Siquidem etiamnum iuuenis in Gallia, & Illyrico multa strenuè, ac prosperè gessit, occiso apud Mursam Ingenuo, qui purpuram sumpserat, & Trebelliano; Tum in omnem lasciuiam effusus, tuendæ Reipublicæ habenas, probrosâ ignauiâ, atque desperatione, laxauit. Hinc vis vndique coorta Romanum Imperium vehementer concussit. Illyricum, Ægyptum, Africam Tyranni occuparunt. Alemanni vastatis Galliis, in Italiam irruperunt. Dacia quæ à Traiano vltrà Danubium fuerat adiecta, amissa est. Græcia, Macedonia, Pontus, Asia à Gothis, Pannonia à Sarmatis, Quadisque populata. Germani ad Hispanias vsque penetrarunt. Parthi Mesopotamiâ subactâ, Syriam sibi vendicare cœperunt, priuatique homines imperatoria muneta, sedente principe, obierunt. Aureolus in Illyrico; Valens in Achaia; Piso in Thessalia; Æmilianus in Ægypto; Posthumus in Galliis afflictas prouincias recreauit; Odenatus defensâ Syriâ, & Mesopotamiâ receptâ, orientem tutatus est. Tandem fama Tyrannorum, qui variis in locis, triginta exorti fuerant, luxu sopitum Principem ita perculit, vt arma in Aureolum sumpserit, eum-*

que

que Mediolani acri obsidione cinxerit, vbi suorum dextera, vnà cum fratre, & filiis, crudeliter periit, anno ætatis quinquagesimo, Imperij decimo quinto.

FLAVII CLAVDII IMPERATORIS Gesta.

EXtincto Gallieno Principe, Flauius Claudius primò ab exercitu, mox recepta Mediolanensi vrbe, à senatu Imperator salutatus est. Ipso principatus initio optimas sanciuit leges, florentissimumque, ac rebus omnibus instructissimum comparauit exercitum quem, anno Christi ducentesimo septuagesimo, Imperij vero secundo, in Gothos magnis itineribus duxit. *Eutropius, Trebellius Pollio, & alij.*

HEROES.

Sanguine, Gestis, & Politia.

Probus vir celeberrimus, & à Valeriano Principe ob rem benè gestam in bello Sarmatico, hastis puris quatuor; coronis vallaribus duabus; corona ciuica vna; vexillis quatuor; armillis aureis duabus; torque aureo vno, & patera quinquelibri vnâ donatus. *Vopiscus in Probo.*

Cyriades, magna auri vi dilapidata, in Persas confugit, vnde Odenatum primò, tum Saporem Regem in Romanum solum conduxit, captaque Antiochiâ, ac Cæsareâ, Cæsareanum nomen sumpsit.

M. Posthumus senior, in bello clarus, in pace constans, in vita verò adeò grauis, vt ei Gallienus Princeps Saloninum filium suum instituendum tradiderit; eo vero sublato, rerum summa à Gallis, totoque exercitu illi delata est, eiusque ope Gallia à cladibus restaurata, pristinæque securitati restituta.

Lollianus apud Gallos magno fuit in pretio, & ab iis in locum Posthumi subrogatus.

Rr

Victorinus alter Traianus in virtute, Antoninus in clementia, in grauitate Nerua; in gubernando ærario Vespasianus; in Censura, ac militari seueritate Pertinax, ac Seuerus habebatur.

Marius ex fabro ferrario ortus, tanti fuit roboris, vt viros etiam fortissimos vno digito, quasi altero obtusioris ferri ictu in terram affligeret, currusque velocissimos repelleret.

Ingenuus Pannoniarum Rector illustris, Princeps à Moesiacis legionibus acclamatur.

Regillianus bellicâ laude clarissimus multa vnico die, teste Claudio Imperatore, bella confecit, dignusque triumpho habitus.

Aureolus Illyrianos ducens exercitus, purpuram inuitus induit. Illum Gallienus cùm nullâ vi expugnare posset, pace inita sibi conciliauit.

Macrianus senex Valeriano carus, Reipublicæ vtilis, ac militi venerandus ab exercitu inauguratus est. Huius pueri virtus in Italia, adolescentis in Gallia, iuuenis in Thracia, in Africa iam prouectæ ætatis, senescentis denique in Illyrico, & Dalmatia ab omnibus probata fuit.

Macrinianus iunior, Macriniani senioris filius, Augusti insignibus vnà cum fratre Quieto auctus fuit.

Odenatus Palmyrenorum decurio à Sexto Rufo vocatus, à Scaligero verò in Eusebium, Danysta, vniuersum mox ruiturum orientem fortiter sustinuit, eiusque prouincias fœde deuastatas, in antiquam gloriam restituit; ea propter Imperator à Gallieno nuncupatus fuit.

Herodes ex Odenato, ac priore vxore, non verò Zenobiâ natus, homo penè orientalis Græcæque luxuriæ, cùm ei omnia essent persica.

Balista in consiliis vehemens, in expeditionibus clarus, in procuranda annona singularis, ac Reipublicæ feliciter regendæ natus habebatur.

Valens re militari celebris Achaiæ proconsulatu à Gallieno Imperatore ornatus fuerat.

Piso summæ sanctitatis princeps, cui post mortem triumphales honores, atque currus quadriiugi decreti fuere.

Saturninus vir magnæ famæ, prudentiæ ſingularis, grauitatis inſignis, vitæ amabilis, multarumque palmarum dux.

Firmus Zenobiæ familiaris, adeóque procerus, piloſus, atque hiſpidus, vt plerique illum Cyclopem vocarent, tantæ verò virtutis, ac fortitudinis, vt reſupinus, manibuſque ſuſpenſus incudem pectori ſuperpoſitam, aliis rundentibus mira facilitate perferret.

Tetricus ſenior Gallias iure præſidiali rexit, variaque felicibus peregit auſpiciis, à militibus Imperator Burdegalæ ſalutatus, faſces ſuſcepit. Tetricus verò iunior ſenatoriis omnibus honoribus perfunctus eſt, & dignus Imperio habitus.

Trebellianus Iſaurorum dux monetam cudi iuſſit, & palatium in arce Iſauriæ regionis Aſiæ minoris, extrui.

Celſus limitis Lybici Auguſtus creatus, ac peplo deæ cæleſtis inſignitus fuit, cum aliunde purpura non ſuppeteret. Non prætermittam Herennium, & Timolaum Odenati, atque Zenobiæ filios ſpectatiſſimos. *Trebellius Pollio.*

VIRI ERVDITI.

Longinus Caſſius Philoſophus Syrus è Palmyra ciuitate, vir ſingulari doctrina, ingenio acri, & Zenobiæ Reginæ, atque Porphyrij præceptor. Scripſit de oratione contra Phidiam; Dubitationes Homeri, eiuſque ſolutiones, & problemata libris duobus complexus eſt. Egit prætereа de iis quæ contra hiſtoriarum fidem enarrantur à Grammaticis. De atticis item vocabulis, Antimachi, & Heracleonis. *Suidas.*

Dexippus cognomento Herennius orator Athenienſis clariſſimus hiſtoriam ſui ſeculi Athenis contexuit, anno Chriſti ducenteſimo ſexageſimo nono, Claudij Imperatoris primo. *Trebellius Pollio.*

OPERA PVBLICA.

Athenienſes muros ſuos, à Sullæ tempore iacentes, refecerunt, anno Chriſti ducenteſimo ſexageſimo primo, Valeriani, & Gallieni Imperatorum ſeptimo. Iſthmum verò ingenti

muro cinxerunt Peloponnenses. *Zosimus, Vopiscus, & alij.*

CALAMITATES.

Alexandrinum bellum tanta consecuta est lues vt Romæ quinque hominum millia vno die extulerit. Alexandriam verò aliasque insigniores vrbes, integras fere absumpserit, anno Christi ducentesimo sexagesimo tertio, Gallieni Imperatoris nono. Ingentes insuper eodem anno terræ motus permagnas exhausere ciuitates; Maria denique, ac flumina hinc inde exundantia commissa terræ semina, vel limo demersere, vel vario fluctuum impetu in remotissimos quosque tractus deuexere. *Trebellius Pollio, & Zosimus.*

Augustissimum Dianæ Ephesiæ templum totius orbis grande miraculum, pedum longitudine quadringentorum viginti quinque, latitudine vero ducentorum viginti, ducentis annis, *vt refert Plinius lib.* 36. *cap.* 14. vel quadringentis, *vt idem asserit lib.* 16. *c.* 40. Regum, populorumque certamine, in solo palustri, substratis carbonibus, ac velleribus lanæ, ne vel motus sentiret, vel hiatus timeret, vel in lubrico staret, ædificatum; in quo columnæ centum viginti septem, sexaginta pedum altitudine, à singulis Regibus factæ, quarum triginta sex arte mirabili celatæ, magna cum admiratione suspiciebantur; tantæ molis opus eodem Christi anno ducentesimo, sexagesimo tertio, Gallieni Imperatoris nono à Gothis exustum, euersumque funditùs fuit, vt referunt *Trebellius Pollio, Bonfinius, Iornandes, & alij.*

RES BELLICÆ.

Barbari Imperium Romanum; Europam Gothi, Carpi, & Vrugundi qui prope Istrum sedes habebant, Asiam Borani; orientem Persæ fœdè dilacerant, anno Christi ducentesimo sexagesimo primo, Valeriani, & Gallieni Imperatorum septimo. Ad hæc adde Thessalonicam vrbem à Scythis, & Marcomannis obsessam, resistentibus fortiter oppidanis, ereptam fuisse. *Zosimus.* Porrò Thessalonica ciuitas est claris-

ſima Macedoniæ, à Philippo Amyntæ filio ita dicta, quod in eius agro Theſſalos magna clade profligaſſet, ſito ad ſinum Themarium, & à Caſſandro primùm condita, Heliaque nominata.

Cyriades ſub idem tempus à Romanis deficiens ad Saporem Perſarum Regem confugit, acceptiſque ab eo militibus Cæſaream, & Antiochiam ſubegit, totumque orientem audaciâ, & terrore concuſſit. *Trebellius Pollio.*

Ingenuus Pannonias regens per Celerem Varianum profligatus fuit eodem Chriſti anno ducenteſimo ſexageſimo primo. *Trebellius Pollio.*

Scythis vniuerſum Romanum orbem incurſantibus, Trapezunta ciuitate in Cappadociæ finibus ab iis direpta, capta Chalcedone Aſiatica vrbe, Nicomedia, & Nicæa ſuccenſa, anno Chriſti ducenteſimo, ſexageſimo ſecundo, Fælicem ad Bithyniam tuendam miſit Valerianus Imperator; ipſe verò relicta Antiochia, ad Cappadociam vſque progreſſus eſt. Interea Sapores orientem igne ferroque depopulatur. Quo audito nuntio, Valerianus, rebus ad extremum prolapſis, ad Saporem, vt cum eo de pace ageret, inconſultiùs profectus, Macriani ducis proditione inauſpicato captus eſt ignobilique ſeruitute apud Perſas conſenuit. *Euſebius lib.* 4. *cap.* 11. *de vita Conſtantini, Zoſimus, Oroſius, & alij.*

Alexandriæ bellum inteſtinum renouatur anno Chriſti ducenteſimo ſexageſimo tertio, Gallieni Imperatoris nono, obſeſſaque vrbe, atque expugnata à Theodocto Gallieni duce, capitur Æmilianus reipublicæ hoſtis. *Trebellius Pollio.*

Gentes vndiquaque ſolutæ in Romanos fines eodem anno inuehuntur. Germani Alpibus, totáque Italiâ penetratâ Rauennam vſque peruenerunt. Alemanni Gallias peruagantes in Italiam irrumpunt. Græcia, Macedonia, Pontus, Aſia Gothorum inundatione deleta eſt. Epheſus Ioniæ regionis minoris Aſiæ vrbs, celeberrimo Dianæ templo illuſtris, maximumque olim emporium, occupatur. Chalcedon diruitur, Ilium à Dardano Iouis filio conditum; ab Ilo verò Rege ampliatum, & nomen ſortitum, cum anteà Troia diceretur, eripitur. Dacia trans Danubium in perpetuum ablata. An-

chilon vrbs ad radices Hemi, in maritima regione sita, & à Sardanapalo quodam Parthorum Rege condita, deuastatur. Quadi, & Sarmatæ Pannoniam infestant. Germani Hispaniâ potiti sunt. Parthi Mesoporamiam inuaserunt, Syriamque corroserunt. *Vasæus in Chronico Hispaniæ, Orosius lib. 7. Bonfinius, & alij.*

Gallienus Imperator vnà cum Aureolo, & Clodio ducibus mouet contra Posthumum Tyrannum, illumque debellat, anno Christi ducentesimo sexagesimo quarto, principatus decimo. *Trebellius Pollio.*

Odenatus orientis totius Imperium obtinet, anno Christi ducentesimo sexagesimo quinto, Gallieni Imperatoris vndecimo. Mox bellum Persis, in vindictam Valeriani, indicit; Nisibim, & Carras capit; Syriam ruetur, Mesoporamiam inuadit, Parthosque ingenti clade superat, & captos satrapas Romam Gallieno Principi, qui alienâ victoriâ triumphauit, misit, *teste auctore citato.*

Heraclianus à Zenobia in oriente victus, fuso, fugatoque exercitu repellitur, anno Christi ducentesimo sexagesimo septimo, Gallieni Imperatoris decimo tertio. *Trebellius Pollio.*

In Asia Scythæ, & Gothi, immò etiam in Græcia, omnia cæde, atque incendio complent, Athenasque expugnant, anno Christi ducentesimo sexagesimo nono, Claudij Imperatoris primo.

Franci in occidente, quorum sedes in inferiori parte Germaniæ erant, Batauiam, quæ hodie ferè Hollandia est, in suam ditionem sub idem tempus redigunt, nec nisi à Constantio Cæsare, Magni Constantini patre, expelli potuerunt, *vt auctor Panegyrici subindicat.*

Claudius Imperator Gothos iam per annos quindecim Illyricum, totamque Mesopotamiam funestantes, ingenti prælio deuicit, anno Christi ducentesimo septuagesimo, principatus secundo; cæsa enim sunt Barbarorum trecenta viginti millia, nauium verò duo millia demersa. Tymogenes denique Ægyptius Ægyptum subegit eodem tempore. *Zosimus.*

OBITVS ILLVSTRES.

Saloninus Gallieni Principis filius, à Gallis in odium patris, qui in tantis Imperij ruinis, inter delicias licenter viuebat, occisus est anno Christi ducentesimo, sexagesimo secundo, Gallieni Imperatoris octauo; eodem item anno Cyriades sublatus. *Trebellius Pollio.*

Æmilianus Reipublicæ hostis captus, more veterum, in carcere strangulatus est anno Christi ducentesimo, sexagesimo tertio, Gallieni Imperatoris nono. *Trebellius Pollio.*

Trebellianus Tyrannus interficitur in Isauria, Celsus verò in Africa anno Christi ducentesimo, sexagesimo quarto, Gallieni Imperatoris decimo. *Auctor citatus.*

Odenatus Palmyrenus Emissæ degens, magnoque cum apparatu natalitia celebrans, insidiis periit, anno Christi ducentesimo, sexagesimo sexto, Gallieni Imperatoris duodecimo. *Zozimus.*

Posthumus, cum septem annis Gallias rexisset, obiit anno Christi ducentesimo, sexagesimo octauo, Gallieni Imperatoris decimo quarto. *Trebellius Pollio.*

Victorinus, quem Posthumus in consortem sibi adsciuerat, ob libidinem cæsus est anno Christi ducentesimo, septuagesimo. Claudij Imperatoris secundo.

DECAS OCTAVA.

CLAVDII IMPERATORIS. Gesta, & Obitus.

BELLVM Gothicum feliciter confecit, anno Christi ducentesimo septuagesimo primo. Tum grassante in exercitu lue, hominem cum purpura, Sirmij, in Pannonia inferiore, exuit anno Imperij tertio, *vt testatur Eusebius, Trebellius Pollio, & Porphyrius, qui his temporibus Romæ agebat.*

ICON
CLAVDII IMPERATORIS.

FLAVIVS *Claudius à Dalmatis, vel vt alij volunt, à Dardanis ortus, magnus Constantis, Constantini Magni patris auunculus; vir parcus, iusti tenax; moribus integer; militiâ clarus; vitâ illustris; Reipublicæ idoneus, omnique gloria insignis; in eo enim, & Traiani virtus, & Antonij pietas, & Augusti moderatio, & magnorum principum decora omnia elucebant, ac præcipuè robur singulare. Imperium annis tribus magno cum applausu tenuit. Gothos Illyricum euastantes cruentâ clade prostrauit. Naualibus, ac terrestribus bellis, eorum opes ita attriuit, vt per omnes prouincias, nulla nisi Gothorum mancipia occurrerent. Alemannorum, ad Benacum lacum Cisalpinæ Galliæ, infinita millia profligauit, perdomitisque Barbaris, Aureolum, aliosque Tyrannos pari virtute, ac felicitate sustulit. Tum lue tactus Sirmij, nulla relicta prole, occubuit, Diuosque inter relatus, aureo, in curia, clypeo, ab vniuerso senatu; à populo verò statua, ante Iouis templum erecta, dein in rostris columna, cum palmata item statua superposita, librarum argenti mille quingentarum, vexillis denique, coronis, arcubus, fanis, aris, ac templis, ab omni ordine, atque ætate donatus est.*

DECAS OCTAVA.

QVINTILII IMPERATORIS Gesta, & Obitus.

EXTINCTO Claudio Principe, Aurelius Quintilius ipsius germanus, Imperium suscepit, fauente senatu, anno Christi ducentesimo septuagesimò primo, quo breuî, & inauspicatò priuatus est; seditione enim facta à militibus, ob nimiam illius integritatem, interficitur decimo septimo principatus die. *Eutropius, Osorius, & Aurelius. Vopiscus verò, Pomponius Latus, Baptista Egnatius, & Mariana* lib. 4. de rebus Hispaniæ, censent, eum magnarum rerum mole oppressum, sanguine è venis emisso, sibi mortem consciuisse.

ICON

QVINTILII IMPERATORIS.

AVRELIVS *Quintilius, Claudij Imperatoris germanus, Princeps illustrissimus, præsidijque Italici dux celeberrimus, fratri æquandus, immò ob varias, ac singulares virtutes, quibus à natura ornatus fuerat præponendus, dies tantum septemdecim rem Romanam administrauit, diuturniori certè dignus Imperio. Breuis est rerum omnium humanarum constantia, nullarum tamen breuior, quam summarum.*

AVRELIANI IMPERATORIS. Gesta, & Obitus.

QVintilio vita functo, Aurelianus, Augustus ab exercitu acclamatus est anno Christi ducentesimo septuagesimo primo. *Vopiscus.*

Pace in Pannoniis firmata, expeditionem parauit contra Germanos, seu Marcomannos, qui in Italiam irruperant, magnisque affecerant stragibus, anno Christi ducentesimo septuagesimo secundo, principatus secundo. Iussit insuper libros Sibyllinos inspici, immò conquestus est apud senatum, quòd eos tardiùs super belli exitum consuluisset. *Auctor citatus.*

Post insignem de hostibus reportatam victoriam, anno Christi ducentesimo, septuagesimo tertio, laureatus vrbem ingressus est, seditionisque auctores seuerè tractauit. Tum contra Zenobiam Reginam, quæ filiorum nomine orientale tenebat Imperium, festinauit. *Bonfinius, & alij.*

Deuictâ, captaque Zenobiâ Reginâ, anno Christi ducentesimo, septuagesimo quarto Emissam ciuitatem petiit, vota Heliogabalo numini soluturus; dein victor in Europam se contulit. *Vopiscus.*

Solis agonem magno cum apparatu instituit, anno ducentesimo, septuagesimo quinto, principatus quinto, tantique numinis cultum, tùm Romæ, tum in oriente, summis auxit honoribus. Mox varia exhibuit spectacula, ludos scilicet scenicos, circenses, gladiatorios, neumachias, & venationes permultas. *Auctor citatus.*

Tetricum Principem in triumphum ductum, totius Italiæ, hoc est Campaniæ, Samnij, Lucaniæ, Bruciorum, Apuleiæ, Calabriæ, Hetturiæ, atque Vmbriæ, Piceni, ac Flaminiæ, omnisque annonariæ regionis correctorem creauit. Legem Amnistiam delictorum publicorum, Atheniensium more, sanciuit. Quadruplatores magna seueritate castigauit. Tabulas publicas, ad priuatorum securitatem, exuri in foro Traiano mandauit, peculatusque, atque repetundarum reos, variis cruciatibus puniuit. Concessit etiam priuatis vt argentea haberent vehicula, cum anteà ænea essent. *Vopiscus.*

In expeditione tandem aduersùs Persas Byzantium inter, & Heracleam, Mnesthei scelere, cui secretorum officium commiserat, periit septimo Kalendas Aprilis, anni ducentesimi septuagesimi octaui, principatus septimi, *vt patet ex Cassiodori Chronico, & vetere Græco indice*, in quibus post consulatum Aureliani tertium, qui fuit anno ducentesimo, septuagesimo sexto, duo alij consulatus numerantur, in quorum vltimo eius obitus contigisse legitur. Illud idem colligimus ex antiqua inscriptione, in qua cũ tribunitia potestas septimùm iterata reperiatur, septimum quoque attigisse Imperij annum affirmare necesse est. *Baronius anno Christi ducentesimo, septuagesimo sexto.*

ICON

AVRELIANI IMPERATORIS.

AVRELIANVS è *Decia seu Mœsia, familia obscuriore natus; à pueritia otij impatiens fuit; adultior factus, re militari claruit, vnoque die bello Sarmatico, quadraginta octo; pluribus verò diebus, nongentos hostes, propria manu interfecit; Gothos fudit; Sueuos, & Marcomannos superauit; Bithyniam recuperauit; Thyanam, & Palmyram expugnauit; Zenobiam Reginam, quæ orientem regebat, magno prælio deuicit, eamque vnà cum Tetrico, Galliarum Principe capto in triumphum duxit. Tyrannos omnes in ordinem redegit. Romanam ditionem ad fines pristinos, bellorum felicitate reuocauit. Leges plurimas sanxit. Agonem Soli primus instituit, primusque diadema capiti innexuit, ac gemmis, vesteque aurata vsus est. Varios ludos summo cum apparatu edidit. Vrbes celeberrimas condidit. Templa superbissima ædificauit. Romam denique, campo Martio incluso, laxioribus, validioribusque mœnibus sepsit. Omni certè laude dignus, ni tantæ maiestatis decora, atque ingenij ornamenta, sæuitiâ, qua multos etiam nobiles capite damnarat, & à qua, nec arente subito manu, nec diuina vltione, digitorum commissuris eneruatis, potuit prohiberi, turpissimè defœdasset. Itaque piorum sanguine imbutus ferox Imperator, à familiaribus, qui ei posteà sepulchrum erexerunt, extinctus est anno Christi ducentesimo septuagesimo octauo, Imperij septimo.*

TACITI IMPERATORIS. Gesta, & Obitus.

INterfecto Aureliano, Tacitus Imperij habenas suscepit decimo septimo Kalendas Octobris, anni Christi ducentesimi septuagesimi octaui. Ipso principatus initio statuam auream in Capitolio; argenteam verò in curia, in templo Solis, & in foro Traiano, Aureliano Principi decreuit, eiusque imaginem in omnium larariis magno cum honore coli voluit. Statuit vt si quis argento æs, auro argentum, æri denique plumbum immisceret, capite damnaretur.

Patrimonium, cuius reditus octo circiter millionibus constabant, *vt refert Casaubonus*, publicauit. Meritoria scorta extrà vrbem stare vetuit. Cornelium Tacitum historiæ Augustæ scriptorem, in omnibus bibliothecis collocari iussit, & ne incuria deperiret, decies per singulos annos describi, & in archiuis reponi mandauit.

Holosericam vestem viris omnibus interdixit. Columnas centum Numidicas pedum vicenûm ternûm Hostiensibus donauit. Possessiones quas in Mauritania habebat, sartis tectis, Capitolio concessit. Argentum mensale, quo priuatus vtebatur, ministris conuiuiorum, quæ in templis fiebant dedicauit. Seruos vrbano vtriusque sexus manumisit. Expletis denique sex mensibus principatus sui, desiit morbo, vel gladio, vt alij sentiunt, apud Pontum, in expeditione Mæotica. *Vopiscus.*

ICON
TACITI IMPERATORIS.

TACITUS *Princeps senatus, moribus candidus, Reipublicæ tractandæ idoneus, prudentia, ac doctrina illustris, vitaque parcissima, togis enim, ac tunicis iisdem vsus est Augustus, quibus priuatus. Gemmas, atque aurum clauatasque vestes, vxori interdixit. Leges varias edidit. Templum augustissimum, ac thermas publicas propriis sumptibus condidit. Bellum in Gothos, Scythasque feliciter confecit. Aurelianum inter numina retulit. Filios, fratremque in societatem Imperij assumere noluit, ratus insignem esse gloriam Principis, Rempublicam magis amare, quàm suos. Insidiis tandem militaribus, aut morbo, vt alij volunt in itinere, contra Persas profectus, naturæ concessit, anno Christi ducentesimo, septuagesimo octauo, Imperij mense sexto emenso. Magis amando Rempublicam, quàm suos meruit hic Imperator, vt apud Rempublicam, non sit Tacitus.*

FLORIANI IMPERATORIS Gesta, & Obitus.

TAcito Augusto demortuo, M. Annius Florianus ipsius frater, præfectus prætorio, nullo militum suffragio, sed veluti hæreditario iure, principatum inuasit non diuturnum tamen, cùm illum duobus tantùm mensibus tenuerit. *Vopiscus.*

ICON
FLORIANI IMPERATORIS.

MARCVS *Annius Florianus, Claudij Taciti Imperatoris germanus, Princeps magnanimus, variarumque virtutum gloriâ clarissimus, ac regnandi cupidus, Imperio fraterno, longè tamen breuiore, vt pote bimestre, potitus est; Probo siquidem totius orientis rectori, rerum summa ab exercitu, senatu, populoque Romano delata, secundo mense principatus apud Tarsum Ciliciæ, tumultu militari, vel, vt alij referunt, voluntaria morte, solutis venis cecidit. Et verò florere diu, Floriani Imperium non poterat, cùm nullas in populorum voluntate radices haberet.*

PROBI IMPERATORIS GESTA.

FLoriano è vita erepto, Probus ad summum humanæ felicitatis fastigium euectus fuit, anno Christi ducentesimo, octogesimo. Ipso Imperij exordio, eos qui Aureliano Principi manus intulerant, Tacitoque Imperatori insidiàs struxerant, grauiter, atque seuerè puniuit; Omnes vero Europæenses exercitus, qui Floriano vel purpuram obtulerant, vel vitam ademerant recepit, inuictamque hactenùs Germaniam in Prouinciæ formam redegit. *Vopiscus, & alij.*

HEROES

HEROES.

Sanguine, Gestis, & Politia.

Titus Maurorum Tribunus, domi, forisque laudabilis, Imperator inuitus, coactusque salutatur. *Vopiscus.*

Censorinus vir militaris, & antiquæ dignitatis, bis Consul; bis Præfectus Prætorij; ter Præfectus vrbis; quartò Proconsul; tertiò consulatis; Legatus prætorius secundo; Ædilitius quarto; Quæstoriùs tertiò; Legatione item Persica, atque Sarmarica functus est extra ordinem; tandem Imperium suscepit, Aureliani temporibus, ab iis, à quibus die septimo interemptus est. In eius sepulchro, ipsius honores grandioribus litteris inscripti fuere, cum hac Epigraphe. FELIX AD OMNIA, INFELICISSIMVS IMPERATOR. *Vopiscus.*

Pompeianus Aureliani Principis dux spectatissimus, fortiter, fortunatéque contra Zenobiam, Palmyrenorum Reginam depugnauit. *Vopiscus.*

Zabdas militum magister, bellica laude illustris, ac Zenobiæ Reginæ peccarus. *Zosimus.*

Fruuus Placidus, cuius Consulatus, tanto ambitu in circo fuit editus, anno Christi ducentesimo, septuagesimo quarto, Aureliani Imperatoris quarto, vt non præmia tantùm aurigis, sed ipsa etiam patrimonia dari viderentur. *Vopiscus.*

Marcellinus summæ apud Aurelianum Imperatorem potestatis, Mesopotamiam, orientemque regebat, hoc tempore. *Zosimus.*

VIRI ERVDITI.

Dexippus, Philosophus platonicus, vir disciplinis liberalibus, & facultate logica versatissimus: scripsit libros duos in prædicamenta Aristotelis; vnum de Platonicis dubitationibus; fabulas Indicas, Principum Romanorum gesta, & Chronica. *Gesner.*

Aurelianus Princeps, doctrina singulari atque eloquentia insignis fuit. *Vopiscus.*

Numerianus, Cari Imperatoris filius, inter peritissimos poëtas, palmam meruit omnibus coronis donatus, statuam vtro suâ facundiâ, in bibliotheca Vlpiana, cum hac inscriptione NVMERIANO CÆSARI, ORATORI SVI TEMPORIS POTENTISSIMO. *Vopiscus, & Pomponius Lætus.*

Nemesianus Olympius poëta celeberrimus, cum quo Numerianus Princeps contenderat, plura de re piscatoria, nautica, & nauali composuit. *Gesner, Genebrardus, & alij.*

Anatolius Laodicenus Episcopus decem libros mathematicos typis mandauit. *Philippus Bergomensis.*

Dorotheus Eunuchus Græca, & hæbræa lingua eruditissimus, magno fuit in pretio apud Aurelianum Imperatorem, varia ingenij sui monumenta nobis reliquit, *vt testatur citatus auctor.*

Porphyrius Philosophus, Tyrius genere, clara ortus prosapia, Longini viri doctissimi, & Æmilij discipulus, Iamblichi autem præceptor, Malchus primo; hoc est Assyriorum lingua, Rex vocatus, dein, ob vestem purpuream, qua vtebatur, Porphyrius dictus. Hic multos libros edidit; de principiis duos; de materia sex; de anima quinque; de animalium abstinentia quatuor; de cognoscendo seipsum quatuor; quod vna fuerit Platonis, & Aristotelis secta, Septem. In Historiam Iuliani Chaldæi quatuor; contra Christianos quindecim; Philologiæ historicæ quinque; Miscellanearum quæstionum septem; ad Aristidem septem; Isagoges rerum astronomicarum tres; Grammaticæ dubitationes; de Homerica philosophia, aliaque complura. *Suidas, Volaterranus, & alij.*

NATILITIA AVGVSTA.

Constantinus Magnnus nascitur in Britannia, è patre Constantio, anno Christi ducentesimo, septuagesimo quinto, *Eusebio teste*, cum Imperare ceperit, anno Christi trecentesimo sexto, ætatis vero tricesimo primo.

OPERA PVBLICA.

Vrbem firmioribus muris, atque laxioribus cinxit Imperator Aurelianus anno Christi ducentesimo septuagesimo tertio, principatus tertio. *Eutropius, & Vopiscus.*

Emissæ verò templa pretiosissimis ornata muneribus extruxit, anno Christi ducentesimo septuagesimo quarto. *Vopiscus.*

Fanum item magnâ auri gemmarumque vi ditissimum ædificauit Romæ Heliogabalo numini, hoc est soli, anno Christi ducentesimo septuagesimo quinto, principatus quinto. *Vopiscus.*

Geneuam insuper ciuitatem Allobrogum, seu Sabaudiensium in Gallia, ad Lemanum lacum, cui pons, orbis totius miraculum impositus est, condidit anno Christi ducentesimo septuagesimo sexto, principatus sexto, *vt scribunt Philippus Bergomensis, & Æneas Syluius.*

PRODIGIA.

Tanta è cælo frumenti copia decidit, anno Christi ducentesimo octogesimo, Probi Imperatoris secundo, vt illo, totus Romanorum exercitus famè penè enecatus restauratus fuerit. *Zosimus, & Zonaras.*

RES BELLICÆ.

Alemannos, seu Germanos, aut Marcomannos Romanum orbem variis cladibus infestantes aggressus est Aurelianus Imperator, anno Christi ducentesimo septuagesimo secundo, principatus secundo, à quibus primâ acie victus fuit, vnde Romæ trepidatum, librique Sybillini consulti, eosdem tamen posteà feliciter perdomuit, expulitque. *Vopiscus.*

Idem in Zenobiam Odenati Principis iam defuncti vxorem, orienti imperantem castra mouit, multaque in itinere bellorum genera confecit. Byzantium insuper, ac Tyanam, & Antiochiam, aliasque vrbes illustrissimas, expugnauit. *Auctor citatus.*

Zenobiam Reginam, magna militum ſtrage, effuſoque vtrinque ſanguine, debellauit, anno Chriſti ducenteſimo ſeptuageſimo quarto, principatus quarto, fugientemque ad Perſas in Euphrate deprehendit, captamque, ad triumphum, reſeruauit. *Zoſimus, Mariana, & alij.*

Tetricum in Galliis, quæ ſolæ, poſt tot ſuperatos Tyrannos, recuperandæ ſupererant, regnantem, in deditionem accepit, anno Chriſti ducenteſimo ſeptuageſimo quinto, principatus quinto. *Eutropius, & Vopiſcus.*

Tribunus legionis ſextæ Gallicanæ Francos in Gallias irrumpentes penè deleuit apud Moguntianum oppidum tranſalpinæ Galliæ, anno eodem Chriſti ducenteſimo ſeptuageſimo quinto. *Vopiſcus.*

Probus Imperator in Germanos, qui, audita Aureliani Principis cæde, è ſuis emerſerant finibus, multaque Galliarum oppida munitiſſima, occuparant, inuolauit anno Chriſti ducenteſimo octogeſimo, principatus ſecundo, eoſque tanta exegit felicitate, vt cæſis quadringentis hoſtium millibus, captiſque ſexaginta ciuitatibus, non in ſuas modo terras vltra Nigrum, & Albim fluuios, compulſi fuerint, ſed obſidibus datis Imperio ſe ſubmiſerint. *Gregorius Turonenſis lib. 1. c. 32. Hiſtoriæ Franciæ.*

TRIVMPHI.

Aurelianus multarum victoriarum princeps illuſtriſſimus, inclytum magna cum pompa de Zenobia, ac Tetrico, hoc eſt oriente, & occidente, triumphum agens, vrbem, variis ornatam trophæis, laureatus ingreſſus eſt, anno Chriſti ducenteſimo ſeptuageſimo quinto, principatus quinto. In eo regij tres, arte mirabili, materia inſigni, & ad omnem ſtuporem effecti currus trahebantur; Horum primus auro, argentoque, atque gemmis diſtinctus, Odenati erat Principis; alter pari opere fabricatus, Imperatori, ab ipſo Perſarum Rege, donatus fuerat; Tertium Zenobia, futuræ victoriæ ſpe aliqua nixa, ad tantæ gloriæ maieſtatem, atque decus, compoſuerat; Adde quartum Gothorum Regis ſumma induſtria elaboratum. Præibant elephanti viginti; feræ manſuetæ, Lybicæ, Philippinæ

diuersæ, ducentæ; Trigrides quatuor; Camelopardali, Alces, & alia huiusmodi in ordinem ducta. Sequebantur gladiatorum paria octingenta; tum relegatis manibus captiui Blemyes, Axomitæ, Arabes, Eudæmones, Indi, Bactriani, Iberi, Sarraceni, Persæ, Gothi, Alani, Roxolani, Sarmatæ, Franci, Sueui, Vandali, & Germani, nec non Palmyreni principes ciuitatis, & Ægyptij ob rebellionem; ductæ sunt, & decem mulieres ex Amazonum genere, virili habitu Gothos inter acriter depugnantes, permultis aliis, tanto in prælio, cæsis; prælatique tituli gentium nomina continentes. Inter hæc apparebat Tetricus Chlamyde coccinea, tunica Galbina, & braccis Gallicis ornatus, adiuncto sibi filio, quem Imperatorem in Gallia nuncuparat; incedebat & Zenobia variis ditata gemmis, catenisque aureis onerata; Præferebantur coronæ ciuitatum omnium aureæ; Dein populus ipse Romanus; Vexilla Collegiorum, atque castrorum; Cataphractarij milites; Opes regiæ, & omnis exercitus, cum vniuerso senatu, tantaque hominum multitudine, vt hora circiter nona ad Capitolium Princeps peruenerit, serò verò ad Palatium. *Vopiscus.*

REI INSIGNES.

Longinus Philosophus crimine conuictus quòd auctor fuisset epistolæ, quam Zenobia Regina ad Aurelianum Imperatorem miserat, morte mulctatus est anno Christi ducentesimo septuagesimo quarto, Aureliani Imperatoris quarto. *Vopiscus.*

Chrocus omnium populationum, atque excursionum, quibus Germani Gallias afflixerant, reus factus, apud Arelatem grauissimis suppliciis pœnas luit, anno Christi ducentesimo octogesimo, Probi Imperatoris secundo. *Gregorius Turonensis lib. 1. c. 32. Historiæ francicæ.*

OBITVS ILLVSTRES.

Plotinus insignis Philosophus, sed dæmonis cultor, angi-

nâ tactus, ac manuum, pedumque variis vlceribus affectus supremum in Campania obiit diem, anno Christi ducentesimo, septuagesimo primo, ætatis vero sexagesimo sexto. Hic tanti fuit nominis apud suos, vt post mortem diuini honores decreti illi fuerint, aræque erectæ; *teste Eunapio, & Porphyrio in ipsius vita.*

DECAS NONA.

PROBI IMPERATORIS. Gesta, & Obitus.

GRÆCIAM peragrauit, anno Christi ducentesimo, octogesimo primo, principatus tertio, multosque in deditionem, atque amicitiam recepit. *Vopiscus.*

Gallias, ac Pannonias interdicto Domitiani Principis abrogato, vinctis repleuit eodem Christi anno. Almum item montem apud Sirmium, & Aureum apud Moësiam superiorem, militari manu consitos, prouincialibus colendos dedit. *Vopiscus, & Eusebius in Chronico.*

Cum Persis, & Parthis pacem composuit; Ptolemaidem vrbem Romano iuri adiecit, Ægyptumque pacauit, anno Christi ducentesimo octogesimo secundo, principatus quarto. *Vopiscus.*

Venationem in circo ad syluæ virescentis speciem consito, amplissimam dedit, anno Christi ducentesimo, octogesimo tertio, principatus quinto seu vltimo; immissi enim sunt, per omnes aditus, struthiones mille, mille cerui, mille apri, milleque damæ. Addidit & altero die, vna missione, in amphitheatro, centum iubatos Leones; Leopardas lybicos centum; centum Syriacos; Leænas centum; Vrsos denique trecentos. Edita insuper gladiatorum paria trecenta, Blemiis plerisque pugnantibus, qui in triumphum ducti fuerant; nec non Germanis, ac Sarmatis, nonnullisque latronibus Isauricis. *Vopiscus.*

Tandem in Illyrico militari tumultu cum in Persas maturaret, Sirmij, vrbis Pannoniæ inferioris in turri ferrata periit, anno Christi ducentesimo, octogesimo tertio, principatus quinto, vt constat ex veterum lapidum inscriptionibus, *Ba-*

ronio teste. Eo vero extincto ingens ab ipsis militibus erectum fuit sepulchrum cum hac inscriptione marmori incisa. HIC PROBVS IMPERATOR ET VERE PROBVS SITVS EST, VICTOR OMNIVM GENTIVM BARBARARVM, VICTOR ETIAM TYRANNORVM. *Vopiscus.*

ICON

PROBI IMPERATORIS.

PROBVS *non nomine solùm, sed moribus, è Pannonia oriundus ciuitate Sirmensi, humili sanguine, & agresti patre, verùm summis virtutibus clarus. Adolescens Tribunitiâ potestate à Valeriano Principe auctus fuit, multorumque Imperatorum dux celeberrimus, apud quos multùm valuit. Purpuram inuito animo ab orientali exercitu sumpsit. Gallias à Barbaris occupatas, mirabili prœliorum felicitate, restituit. Inuictam Germaniam, in Prouinciam redegit. Illyricum à Sarmatis recepit. Thraciam Gothis, quâ domitis, quâ in fidem acceptis. Asiam Persarum Rege ad pacem compulsô, pacauit. Nouenos Principes diuersarum gentium supplices ad pedes suos prostratos vidit. Saturninum in oriente, Proculum verò, & Bonosum Agrippinæ, certaminibus oppressit. Gallias, Pannonias, & Moësorum colles variis distinxit vinetis. Tum Romam repetens triumphum de hostibus magno cum apparatu egit, breui tamen à militibus disciplinam ægre ferentibus apud Sirmium crudeliter extinctus est Imperij anno quinto. Insigne documentum, quantum difficile sit duci, Probi nomen, & vitam tueri.*

CARI IMPERATORIS GESTA, & Obitus.

INterfecto Probo, Marcus Aurelius Carus Augustus acclamatus est, anno Christi ducentesimo octogesimo tertio, vt patet ex veteribus inscriptionibus, ex quibus colligitur, eundem Principem Carinum, & Numerianum filios suos Cæsares creasse, anno Christi ducentesimo octogesimo quarto, Carinumque Galliis, ad coërcendos Transrhenorum impetus, quibus illæ continenti bello appetebantur, præfecisse; Numerianum verò secum in orientem ad bellum Persicum duxisse; In hac expeditione lethali morbo absumptum fuisse *asserit Vopiscus*; Orosius autem, Pomponius Lætus, Mariana, & alij, fulmine percussum.

ICON

CARI IMPERATORIS.

CARVS *Narbonæ in Gallia ortus, vir integer, & antiquis moribus, verè carus omnibus, & Imperio dignus, profligato bello Sarmatico, cõtra Persas profectus, collectis ingentibus copiis, rem feliciter gessit; fusis siquidem hostibus, Seleuciam, ac Mesopotamiam vniuersam recepit. Sed castris ad Tigrim positis, ictus fulmine, deflagrauit anno Imperij secundo, Christi verò octogesimo quarto. Nil enim, vel certè parum prodest carum esse hominibus, nisi simul & cælitibus carus sis.*

CARINI OCCIDENTIS, ET NVMERIANI orientis Imperatorum Gesta: Numerianique Obitus.

SVblato Caro Principe, Carinus Imperium in occidente capessit, Numerianus verò militum suffragio in oriente, anno Christi ducentesimo octogesimo quarto. *Vopiscus, Eutropius, & alij.*

Carinus varia Romæ spectacula edidit, ac in primis ludum Sarmaticum, quo dulcius nihil, & Cyclopem; Data item & Græcis artificibus, & gymnicis, & histrionibus, ac musicis auri, argentive magna vis, data & vestis serica. *Vopiscus.*

Numerianus, tantas ob funestum dilecti patris obitum, lachrymas sub idem tempus fudit, vt in ocularem morbum inciderit, vectusque lecticulâ ab Apro prætorij præfecto, & socero suo, oppressus fuerit. *Eutropius, Sextus Aurelius & alij.*

ICON

NVMERIANI IMPERATORIS.

NVMERIANVS *magnæ indolis Princeps, summaque virtutis, & expectationis fuit. Mars eum victricibus armis; Minerua ingenio facundo, & citharâ ad numeros aptissimâ Apollo donauit. Miles enim illustris fuit, Orator celebris, & Poëta insignis. Hic Apri prætorij præfecti, ac soceri sui insidiis, paulo post Cari parentis obitum desiit in oriente, anno Christi ducentesimo, octogesimo quarto; Verus certè Aper hic fuit, cuius feritas nec armis, nec facundia, nec citharâ tanti Imperatoris reprimi potuit.*

DIOCLETIANI ORIENTIS, CARInique Occidentis Imperatorum Gesta, & Carini Obitus.

NVmeriano orientis Principe vita functo, Diocletianus ob præclara belli Persici facinora Imperatoriis, insignibus ornatus fuit, anno Christi ducentesimo octogesimo quarto, vt habet inscriptio, quam Baronius refert. Tum Aristobulum in collegam adsciuit, ac primâ militum concione, Aprum, qui Numerianum interemerat, propria percussit manu. Anno verò sequenti, principatus secundo Maximianum Herculium Cæsarem in Gallias ad compescendos rusticorum quorundam tumultus, Æliani, Amandique ductu excitatos, misit. *Eutropius.*

Carinus Occidentis Imperij Princeps, Romani orbis obtinendi studio accensus, arma in nouum Augustum Diocletianum vertit, sed fato infelici; in eo enim bello, apud Murgum Moësiæ oppidum, cecidit anno Christi ducentesimo octogesimo sexto, Imperij tertiò. *Vopiscus, Eutropius, & alij.*

Vu iij

Edictum contra maleficos, & Manichæos qui tunc inualefcebant in Africa, promulgauit, anno Christi ducentesimo octogesimo nono, iussitque, vt illorum doctores, immo etiam scripta igni traderentur; Sectatores verò capite punirentur, vel saltem ad metalla damnarentur, & quorumcumque bona fisco vindicarentur. Vide antiquum codicem Gregorianum. *lib. 7.*

HEROES

Sanguine, Gestis, & Politia.

Iunius Messala vir consularis ita spectaculis deditus fuit vt amplissimum suum patrimonium variis speciosissimis scenis fœdè consumpserit, hæredibus verò abnegarit. *Vopiscus.*

Constantius Constantini Magni pater princeps clarissimus, laudéque bellicâ illustrissimus. *Auctor citatus.*

Lysias Proconsul Ciliciam prouinciam, ingenio fero, aspero, atque crudeli omnibusque reclamantibus administrabat. *Mamertinus.*

Carausius contra Francos, & Saxonas missus purpuram induit, nouusque Britanniæ Augustus creatus est. *Eutropius & Eusebius in Chronico.*

VIRI ERVDITI.

Florent hoc tempore Achillas, & Pierius Alexandrini presbyteri, eruditionis magnæ. *Eusebius.*

Miletus vir ingenio acuto, ac splendido, Rhetor insignis, summusque Philosophus. *Auctor citatus.*

Eumenius, & Mamertinus oratores disertissimi varios in honorem Imperatorum panegyricos singulari eloquentiâ, atque facundiâ composuere. *Vopiscus.*

RES BELLICÆ.

Sarmatas in Illyrico, aliosque Barbaros qui eò penetrarant, feliciter debellauit Probus Imperator, anno Christi ducente-

ſimo octogeſimo primo, principatus tertio. *Vopiſcus.*

Gothos in Thracia, & latrones Iſauricos perdomuit idem Princeps anno Chiſti ducenteſimo, octogeſimo ſecundo, principatus quarto. Subegit & Blemyas Æthiopiæ populos, os, oculoſque pectore præferentes, ſi fides adhibenda ſit auctoribus.

Franci ſub idem tempus è Batauia, aliiſque locis in Pontum relegati, in vindictam acceptæ cladis in Gallia, nauibus aliquot interceptis, Græciam, Aſiamque populati ſunt, pleriſque Libyæ littoribus appulſi, ipſas naualibus quondam nobiles Syracuſas cepere, immenſoque itinere emenſo, Oceanum quâ mediis influit terris, intrauere; Inde Africam ſubiere, vnde tandem eiecti, abductis copiis, Carthagine, quam caſtris poſitis vehementer terruerant, proprios lares, variarum gentium ſpoliis onuſti, repetiere, *vt refert panegyricus Maximiano Principi ab Eumenio Rhetore dictus.*

Diocletianus Imperator Sarracenos acie deuicit, anno Chriſti ducenteſimo octogeſimo quinto, principatus ſecundo; Galetius verò Sarmatas Pannoniam magnis cladibus dilacerantes aggreſſus eſt. *Mamertinus in Panegyrico.*

Carinus Princeps poſt parentis, & Germanici fratris obitum, bellum aduerſus Sabinum Italiam inuadentem ſuſcepit, eóque victo, Cæſoque, in Diocletianum nouum Auguſtum armauit, anno Chriſti ducenteſimo octogeſimo quarto, principatus tertio; Certatum eſt in Mœſia iuxta Murgum vtrinque acriter; ſed Gallorum virtute Carinus victor euaſit; ab iis tamen, quod illorum coniugibus ſtuprum vi inferre conſueuiſſet, dum victum hoſtem auidè premeret, obtruncatus eſt. *Aurelius Victor, Caſſiodorus, Idatius, & Eutropius.*

Maximianus incurſantes Herulos vnà cum Burgundionibus repreſſit, anno Chriſti ducenteſimo octogeſimo ſexto, principatus primo. *Mamertinus in Panegyrico.*

Ora maritima ab Rheni incolis latrocinio more infeſtantur eodem Chriſti anno. Huic bello præficitur Carauſius ingenio promptiſſimus, duxque inter Menaſpios ſpectariſſimus. Hic Britanniam Inſulam occupauit. Ab Oriente Perſarum Rex imminet. Achilleus in Ægypto diademate ornatur; à Quinquentianis

quentianis denique, Africa deuastatur. *Eutropius*, *Idatius*, *& alij*.

Germani Gallias fere depopulantes victrici Maximiani Principis dexterâ, cæsa ingenti illorum multitudine, repressi fuere, anno Christi ducentesimo octogesimo septimo, principatus secundo. Idem Rhenum transgressus horrendam Barbarorum stragem edidit. *Mamertinus in Panegyrico.*

Contra Quados, & Marcomannos profectus Diocletianus traiecto Danubio fines Imperij propagauit, anno Christi ducentesimo octogesimo octauo, principatus quinto. *Eutropius*, *& Mamertinus.*

Tentato contra Britanniam, & Carausium bello, nec repertis idoneis prælij naualis ducibus, in Batauos copias duxit Maximianus, Francosque ibi incolentes ad deditionem magna ex parte coëgit. *Mamertinus in Panegyrico.*

TRIVMPHI.

Probus Imperator spectabili pompa atque apparatu de Germanis, ac Blemyis Romæ triumphum egit, anno Christi ducentesimo octogesimo tertio, principatus quinto. *Vopiscus.*

DECAS DECIMA.

DIOCLETIANI, MAXIMIANI HERculij Imperatorum Gesta.

DVos nouos Cæsares, Constantium nempè Chlorum, & Galerium Maximianum cognomento Armentarium crearunt, anno Christi ducentesimo nonagesimo secundo, principatus nono. Tum Diocletianus Valeriam filiam suam Armentario concessit; Maximianus vero Herculius Theodoram priuignam Constantio collocauit, repudiatis prioribus vxoribus. Mox, partito quadrifariam bello, Diocletianus in Ægyptum; Herculius in Africam; Armentarius in orientem; & Constantius in Britanniam profecti sunt. *Eutropius, Sextus Aurelius, Pomponius Lætus, & alij.*

Diocletianus vt Deum se adorari voluit, gemmasque vestibus, atque calceamentis inseri, anno Christi ducentesimo nonagesimo tertio princpatus decimo, cùm tamen anteà Imperij insigne esse chlamys purpurea. *Eusebius in Chronico, & Eutropius.*

Vbique pacem firmauit, fedusque iniit cum Narseo Persarum Rege, anno Christi ducentesimo nonagesimo nono, principatus decimo sexto, iis tamen legibus, vt Armenia, Mesopotamia, & Assyria, cum quinque aliis prouinciis vltra Tygrem, Romano orbi adiicerentur, ipsi verò vxores, ac liberi redderentur. *Eutropius, Zonaras, & Zosimus.*

HEROES

Sanguine, Gestis, & Politia.

A lectus, Carausio Tyranno extincto, Imperatoris fasces

assumpsit, anno Christi ducentesimo, nonagesimo tertio, Diocletiani Imperatoris decimo. *Eutropius.*

Constantius, & Galerius in Augustorum familiam adsciti magno in pretio habentur apud omnes aulæ proceres. *Sextus Aurelius Victor.*

Achillæus Imperator salutatur in Ægypto; Iulianus verò in Italia. *Auctor citatus.*

Narseus Persarum Rex potentissimus, belloque exercitatissimus; Amandus vero, & Ælianus Bagaudorum duces celeberrimi in Galliis. *Eutropius, & Mamertinus in Panegyrico.*

VIRI ERVDITI.

Ælius Lampridius Principum Romanorum præclara gesta, vsque ad Constantinum illustrauit; extant tamen solùm Commodi, Heliogabali, Alexandri, & Diadumeni. *Volaterranus.*

Trebellius Pollio Historiam exorsus est ab anno Christi circiter ducentesimo, quinquagesimo quinto, Valeriani nimirum iunioris, Gallieni, triginta Tyrannorum, & D. Claudij. *Philippus Bergomensis.*

Flauius Vopiscus ab obitu Claudij, & Quintilij fratris, seu ab anno Christi ducentesimo, septuagesimo primo, vsque ad Diocletiani initia, vel Carini mortem, Imperatorum vitas contexuit. *Auctor citatus.*

Ælius Spartianus omnium tùm Augustorum, tum Cæsarum narrationem, vsque ad sua tempora complexus est; Supersunt tamen tantùm Adriani, Ælij Veri, Didij Iuliani, Seueri, Pescennij, Nigri, Caracallæ, & Getæ. *Philippus Bergomensis.*

Vulcatius Gallicanus multa scripsit de Romanis principibus, quædam tamen de Auidio tantùm Cassio extant. *Vt refert citatus Auctor.*

Floruit etiam hoc tempore Arnobius Africanus, Philosophus clarissimus, Orator disertissimus, & Lactantij Firmiani præceptor celeberrimus. Rhetoricam, cuius præcepta vnico libro attigit. Siccæ, in Africa magno cum applausu docuit;

alia pia volumina, quæ nobis reliquit habes in historia sacra. *Gesner.*

Iacobus cognomento sapiens librum vnum de Regno Persarum eruditè composuit, *teste Philippo Bergomensi.*

NATALITIA AVGVSTA.

Natus est Constantio Cæsari ex Theodora vxore filius, Anniballianus nomine, anno Christi ducentesimo, nonagesimo secundo, Diocletiani Imperatoris nono. *Cuspinianus.*

OPERA PVBLICA.

Thermæ Diocletianæ Romæ, Carthagine vero Maximianæ ceptæ sunt, anno Christi ducentesimo, nonagesimo octauo, Diocletiani Imperatoris decimo quinto. Septimo autem post, à Constantio, & Galerio Augustis perfectæ, ornatæque fuere, vt testatur vetus inscriprio, quam habes apud Baronium, & Panninum in fastis; Harum ingentem, ac stupendam prorsus magnitudinem describit *Marcellinus lib.* 16.

PRODIGIA.

Carthagine decimo sexto mensis Maij, anni Christi ducentesimi, nonagesimi primi, Diocletiani Imperatoris octaui, hora post meridiem tertia, Sol totus penè defecit. *Idatius.*

RES BELLICÆ.

Varias Ægypti vrbes subegit Diocletianus Imperator, anno Christi ducentesimo, nonagesimo primo, principatus octauo. *Sextus Aurelius Victor.*

Constantius sub idem tempus Gessoriacum ciuitatem expugnauit, receptis in suam potestatem præsidiarijs militibus, quos Carausius Britanniæ Rector ibi reliquerat, cum priùs sinum omnem portus, quem statis vicibus æstus alternat, defixis in aditu trabibus, ingestisque saxis, inuium nauibus red-

didiſſet, dumque paratur in Britanniam claſſis, ipſe (*vt refert auctor Panegyrici ad Constantium.*) Batauiam incredibili celeritate ingreſſus, Francos Carauſio, & Alecto adhærentes, ob implacabile in Romanos odium, ad Rheni ripam profligatos vltra ſubmouit. *Sextus Aurelius Victor.*

Galerius Armentarius Cæſar Achillæum Tyrannum magna ſuorum ſtrage apud Peluſium ciuitatem, Damietam poſteà dictam, & à Suida, Ægypti clauem nuncupatam, deuicit, anno Chriſti ducenteſimo, nonageſimo tertio, Diocletiani Imperatoris decimo. Alexandriam inſuper, quo Achillæus confugerat, obſidione cinxit. Armeniam item tunc rebellaſſe *Scribit Cedrenus*, ad quam prouinciam deſtinatus fuit Galerius, contra Perſas. *Iornandes, & Eutropius.*

Expeditio ſuſcepta eſt in Sarmatas, anno Chriſti ducenteſimo, nonageſimo quarto, Diocletiani Imperatoris vndecimo. *Idatius.* Baſternæ item, populi Sarmatiæ Europææ ad Boryſthenem amnem, & Carpi, gentes Africæ ſubacti fuere. *Eutropius.*

Alexandria capta fuit à Diocletiano Imperatore, anno Chriſti ducenteſimo, nonageſimo ſexto, rediitque cum tota Ægypto in obſequium, *vt ſcribit Euſebius in Chronico*; Hanc defectionem Princeps variis cædibus, & proſcriptionibus acerbè vltus eſt, vniuerſamque prouinciam fœdè deformauit. Buſiris prætetea vrbs ad Nilum fluuium, & Coptos Ægypti metropolis euerſæ fuere. *Eutropius.*

Iuxta Lingonas ſexaginta Alemannorum millia cæſa fuere eodem Chriſti anno ducenteſimo nonageſimo ſexto à Conſtantio Cæſare. Quinquagentiani domiti à Maximiano principe. Galerius Armentarius à Narſeo debellatus; Alectus denique victus, & Britanniæ recuperatæ. *Eutropius*, .

Narſeus Perſarum Rex à Galerio Armentario per Illyricum, Moëſiamque contractis copiis, felicibus armis profligatus fuit, fugatuſque vſque ad extremi Rheni loca, graui ſauciatus vulnere, *vt refert Pomponius Lætus.* Illius vero vxores, ſorores, ac liberi, captiui deducti, anno Chriſti ducenteſimo, nonageſimo ſeptimo, Diocletiani decimo quarto. *Idatius, & Eutropius.*

OBITVS ILLVSTRES.

Carauſius Tyrannus Alecti manu periit, anno Chriſti ducenteſimo nonageſimo tertio. *Eutropius.*

Valeria Diocletiani Imperatoris filia, Galeriique Armentarij vxor ſupremum obiit diem, anno Chriſti ducenteſimo, nonageſimo quarto; Pannoniæ pars illius nomine appellata fuit, ciuitaſque ad ripam Danubij ſita. *Ammianus Marcellinus, & Ennodius.*

Alectus Britanniæ Imperator Aſclepiodoti præfecti Prætorij operâ cecidit, anno Chriſti ducenteſimo nonageſimo ſexto, Diocletiani Imperatoris decimo tertio. *Eutropius.*

SAECVLI QVARTI DECAS PRIMA.

DIOCLETIANI, ET MAXIMIANI Imperatorum Gesta.

DEPOSITA purpura, eodem Christi anno trecentesimo quarto, & eodem die, *vt refert Idatius*, priuati facti fuere; Diocletianus quidem Nicomediæ; Maximianus vero Mediolani; Sed ille sponte rerum mole pressus, seu ingrauescente iam ætate fatiscens, vel Christianæ rei, cui par opprimendæ non erat, Salonas in hortos secessit; Iste autem auctoritate magis collegæ, quàm voluntate, idem vt præstaret, adductus est. *Eusebius in Chronico, & lib. 8. Historiæ,* Orosius, *Zosimus, & alij.*

CONSTANTII CHLORI, ET GALERIJ Armentarij Imperatorum Gesta, Constantiique Obitus.

Diocletiano, & Maximiano Herculio, priuatum ad genus vitæ redactis, Constantius Chlorus, & Galerius Armentarius, è Cæsaribus, Augusti creati sunt, anno Christi trecen-

tesimo quarto, quorum ille Galliis, Hispaniis, & Britanniis contentus; Hic reliquum Romanum orbem obtinuit. *Eutropius, Zosimus, & Mariana, & alij.*

Galerius Armentarius in Italiam profectus, cum regendis Prouinciis impar esset, Constantio Chloro Principe, in Britannia extrema mundi parte, agente, duos constituit Cæsares, anno Christi trecentesimo sexto, principatus tertio; Flauium nempè Valerium Seuerum, quem Italiæ præfecit, & Galerium Maximinum, ex sorore nepotem, ab eoque adoptatum, cui orientis administrationem concessit; ipse verò commoratus est in Illirico. *Eutropius, Socrates, Aurelius Victor.*

Constantius Chlorus ipso principatus exordio, vocatis domesticis omnibus, qui Christianam profitebantur fidem, iussit, vt vel deos colerent, vel ex curia procul exularent; Tum eos, qui aulam Christianæ religioni prætulerant, tanquam perfidos ipsi Imperatori, atque Reipublicæ futuros, cùm Deo suo fidem non seruassent, à se penitus repulit: alios verò summis auxit honoribus. *Eusebius in vita Constantini.*

Constantinum filium ex Helena, priori vxore, vnius ex Britanniæ Regulis, nomine Coel, *vt referunt Annales*, filia, Galerij Armentarij insidias, magnis itineribus fugientem, Bononiæ, seu Gessoriaci perhumaniter excepit, anno Christi trecentesimo sexto, eumque octauo Kalendas augusti, Eboraci in Britannia, extremum diem agens, Imperij heredem ex testamento reliquit. *Socrates, Eusebius in vita Constantini, Zosimus, & Victor.*

ICON

ICON

CONSTANTINI CHLORI IMPERATORIS.

CONSTANTIVS *Chlorus ex patre Eutropio nobili Romano, matre Claudia, Claudij Augusti filia natus, miti, ac liberali planè ingenio fuit, tamque expers ambitionis, quàm præstantissimæ ciuilitatis plenus; cùm vnis solis prouincialium suorum commodis maximè studeret, identidem dictitans longè meliùs publicas opes à priuatis haberi, quàm intra vnum claustrum reseruari; nunquam enim profectò excellentior principatus, quàm cùm se publico summitit officio. Quare Gallis non amabilis modò; sed summè venerabilis fuit, ac tantò gratior, quò nuper ferociores Principes extitissent. Belline, an pacis, maior fuerit, dubium; Celebres siquidem Augustodunensium scholas, incredibili erga iuuentutem Gallicam studio, restaurauit, ijsque Eumenium Rhetorem celeberrimum, præfecit. Numerosa item prole illustris fuit, habuit enim ex Helena Constantinum; ex Theodora Constantium, Galli, & Iuliani patrem, & Dalmatium, Dalmatij iunioris parentem, Annibalianum ab alijs dictum; quibus, Constantinum alterum addunt aliqui: filias vero Constantiam, quæ posteà Licinio Imperatori nupsit; Eutropiam, coniugem Nepotiani; & vt volunt alij Anastasiam. Hic, augusta, annis duobus, potitus purpura, summaque pace florens, Eboraci, quæ vrbs Britanniæ Insulæ clarissima est, hominem magno omnium luctu exuit, longiori certè vita*

dignißimus, tùm ob varias, ac singulares virtutes, tùm præcipuè ob propensam, in Christianam gentem, voluntatem.

CONSTANTINI, MAXENTII, ET *Armentarij Imperatorum Gesta.*

EXtincto Constantio Chloro, Constantinus ipsius filius, ex testamento, ac totius exercitus voto Cæsar creatus, purpuraque Imperatoria ornatus, anno Christi trecentesimo sexto, Faustam Maximiani Herculij, ex Eutropia filiam, Augusti nomine, à socero donatus, matrimonio sibi iunxit, anno Christi trecentesimo septimo principatus secundo, cùm tamen anteà Mineruam duxisset, ex qua Crispum susceperat, *ut habetur in Panegyrico.*

Maxentius, Herculij Maximiani filius, à prætorianis militibus Imperator acclamatus, perlata Romam, ex more solemni, Constantini imagine, anno Christi trecentesimo sexto, Romulum filium suum, quem Aurelium Valerium Maxentium nuncupari voluit, vt docent inscriptiones, Cæsarem constituit, anno Christi trecentesimo octauo. Quo tempore, *vt testatur Zosimus*, exercitum in Africam contra Seuerum rebellantem misit; dein in senatores immaniter desæuiit, magicisque artibus deditus, mulieres grauidas dissecuit, infantiumque viscera scrutatus est. *Eusebius in vita Constantini.*

Galerius Armentarius, certior factus de Maxentio, nouo Augusto creato, mandauit Seuero Cæsari, anno Christi trecentesimo septimo, principatus quarto, vt in illum confestim moueret, quod quidem libenter præstitit, non tamen prosperè, fusus enim fugatusque Rauennam confugit. Tum Galerius cum ingentibus copiis in vrbem aduolans, Maxentium generum suum, summis precibus, sed irritis, hortatus est, ut amore potiùs, quàm armis, Imperio potiretur, fœdéque à suis desertus in Illyricum se contulit, vbi Licinium Cæsarem fecit, eoque, in Pannonia relicto, Sardicam regressus est; tertio verò

idus Nouembris, anni treecentesimi octaui, *vt vult Idatius*, Licinium, ex Cæsare, Augustum, Cornuti, nominauit.

HEROES

Sanguine, Gestis, & Politia.

Æmilianus Africæ res administrabat, anno Christi trecentesimo secundo; Venustianus verò, Tusciam Italiæ regionem. *Baronius.*

Rictiouarus Galliis præerat, anno Christi trecentesimo tertio; Dacianus autem Hispaniis, viri naturâ feroces omnino, atque immanes. *Baronius.*

Demetrius proconsulari dignitate ornatus, Thessalonicam, vrbem Macedoniæ celeberrimam, regebat anno Christi trecentesimo quarto. Vrbanus Cæsaream in Palæstina. Timotheus Campaniam, anno Christi trecentesimo quinto, & Simplicius Ciliciam. *Auctor citatus.*

Ascariscus, & Radagisus Francorum, & Alemannorum Reges potentissimi, atque illustrissimi. *Eutropius.*

Alexander prætorij præfectus, Imperatoria sumpsit insignia in Africa, anno Christi trecentesimo sexto; Valens verò in Oriente. *Zosimus.*

Menas Atheniensis, incredibili solertiâ in rebus agendis, domi, forisque spectatus, Alexandriam mittitur, anno Christi trecentesimo septimo, à Maximino Principe, Galerij Armentarij Imperatoris nepote, in cuius locum suffectus est Hermogenes. Firmilianus eodem anno Palæstinæ curam habebat. *Baronius.*

Sapor iunior, Persarum Rex, ac senioris nepos, natusque Posthumus, ipso suo ortu Rex salutatus est, *vt vult Agathias lib. 4. Historiæ, & Nicephorus lib. 7. cap. 20.* Anno Christi trecentesimo decimo, vixitque in illo principatu, annis septuaginta.

VIRI ERVDITI.

Iulius Capitolinus Imperatorum gesta accuratè descripsit; solùm tamen extant Antonini Pij; Marci Antonini Philosophi; L. Veri; Pertinacis; Macrini; Albini; duorum Maximinorum; trium Gordianorum; Maximi, & Balbini. *Gesner.*

Lactantius Firmianus, natione Afer, scriptor luculentissimus, summæque doctrinæ, Arnobij discipulus, & in extrema ætate, Crispi Cæsaris, Constantini Magni filij doctor spectatissimus, Rhetoricam professus est Nicomediæ, anno Christi trecentesimo secundo, ipso teste *lib. 5. c. 2. & 3.* varia nobis ingenij sui monumenta reliquit, ac in primis librum vnum de formatione hominis; Epistolarum ad Seuerum, duos; ad Probum Principem, quatuor; ad Demetrianum auditorem suum, duos; item Odeponicum de Africa, vsque ad Nicomediam, versu hexametro, hoc est commentarium eorum, quæ acciderunt in itinere: adde Ouidianæ metamorphoseos fabularum argumenta, & annotationes in Statij Thebaidem, *vt asserit Galerianus*; librum insuper qui Grammaticus inscribitur, & symposium, quod etiam adolescentulus composuit versu heroico: reliqua vide in Historia sacra. *Gesner, Philippus Bergomensis, & Volaterranus.*

Non prætermittam nobilem illam virginem Catharinam, tantâ eruditione excultam, vt in certamen, contra doctissimos quosque, ac re philosophica exercitatissimos, descendere non recusarit; immò mirâ ingenij sui felicitate, facilitateque, omnibus stupentibus, deuicerit. *Philippus Bergomensis.*

PRODIGIA.

Luna in sanguinem conuersa apparuit, anno Christi trecentesimo secundo, vt testantur acta Felicis Martyris. *Baronius.*

Columnæ Cæsareæ Palæstinæ sereno etiam cœlo guttatim fluxere, anno Christi trecentesimo septimo; ipsæ item plateæ, atque fora, vbique maduere. *Baronius.*

CALAMITATES.

Galerio Armentario, de Romani Imperij felicitate, deuictisque Persis, atque Parthis, in theatro, Nicomediæ perorante, tanta tonitruum vis, ac fulgurum, fœdaque tempestas exorta est, vt maxima hominum multitudo perierit, ipseque Princeps, in præsenti vitæ periculo, fuerit. Agricolarum labores, magnò fluuiorum impetu, ad mare vsque, deportati fuere; multaque apud Tyrum opera, ingenti terræ motu, euersa, anno Christi trecentesimo primo, *Eusebius in Chronico.*

Augustissimum Fortunæ templum summa artè elaboratum conflagrauit, anno Christi trecentesimo octauo, otto igne, incertum ex aëre, an è terra. *Zosimus.*

RES BELLICÆ.

Totus Romanus orbis, bello ciuili magnopere iactatus fuit, anno Christi trecentesimo quarto. *Vt refert Gallicanus orator.*

Constantinus Imperator, arma in Francos, & Alemannos, quorum innumerabiles copiæ, violatâ pace, cum Constantio patre nuper inita, vertit anno Christi trecentesimo quarto; tamque feliciter adortus est, vt Astarisco, & Radagiso, illorum regibus captis, ac mox post triumphi pompam, excæcatis, moreque ethnico (nondum enim gentilium barbariem exuerat) ad feras damnatis, spem omnem, ac redeundi fiduciam abstulisse cæteris, crederetur. Cæsi permulti, captiui plurimi, vici igne consumpti, nec ætati parcitum, puberes ad pœnas spectaculo dati, sæuientes bestias, multitudine sua, fatigarunt. Illam tamen gentem non ita spreuit, quin aliquot cohortes, quæ vltrò eius imperium acceperant, suis legionibus adiunxerit.

Ducto vltra Rhenum exercitu, Bructeros, & finitimas Rheno prouincias, ingenti strage, idem Princeps affecit, *vt habetur in Panegyrico.*

TRIVMPHI.

Diocletianus, & Maximianus Herculius Augusti, inclytum Romæ, ex numerosis gentibus, ac pompa ferculorum illustri, qua Narsei coniuges, & liberi, antè currum ducti sunt, triumphum egerunt, anno Christi trecentesimo primo. *Eusebius in Chronico, Eutropius, & alij.*

OBITVS ILLVSTRES.

Seuerus Cæsar, periurio deceptus, Rauennaque detractus, ac captiui habitu, Romam perductus, in Appia via, tricesimo ab vrbe milliario, iugulatur, ánno Christi trecentesimo septimo. *Zosimus, Victor, Orosius.*

Maximianus Herculius, detectis per Faustam eius filiam insidiis, quas genero suo Constantino struxerat, Massiliam profugit, ibique oppressus à Principe, miserè periit perfidiæ pœnas luens, anno Christi trecentesimo septimo. *Eutropius, & Eusebius in Chronico.*

ICON

MAXIMIANI COGNOMENTO HERCVLII OLIM IMPERATORIS NVNC PRIVATI.

MAXIMIANVS *Herculius, in Pannonia natus, à Diocletiano Principe in consortem Imperij assumptus fuit; vir ardens libidine, consilius stolidus, natura ferox, ac prope immanis, vt pote qui rus, vnde venerat, oleret. Tumultus in Galliis feliciter compressit. In Africa Gentianos prostrauit, rebusque compositis, principatu se Mediolani abdicauit. Tandem Massilia, à Constantino Magno Imperatore, cui insidias parauerat, obsessus, captusque, fractis laqueo ceruicibus, interiit.*

DECAS SECVNDA.

GALERII MAXIMIANI, ARMENtarij Imperatoris Gesta, & Obitus.

EX Italia, in quam Maxentij opprimendi animo aduolarat, in Dalmatiam Illytici regionem regressus, ibique pios impiè crudeliter torquens, atrocissimo morbo, in vindictam scelerum, effusique sanguinis Christiani pœnam, è viuis putrescentibus fœdè genitalibus, acutissimisque doloribus diu meritò vexatus, eripitur, anno Christi trecentesimo vndecimo. Eusebius *lib.* 8. Historiæ: Mariana, & alij: inter diuos tamen à Maxentio adscriptus est, vt docet hæc inscriptio nummi veteris. MAXENTIVS DIVO MAXIMIANO SOCERO.

ICON

GALERII ARMENTARII IMPERATORIS.

GALERIVS *Maximianus Armentarius in Dacia Ripensi, agrestibus ortus parentibus, pastore nempè ouium, vnde Armentarij nomen sortitus fuerat, miles adeo strenuus, vt à Diocletiano Principe adoptatus, & Cæsar creatus fuerit. Ad orientem pacandum contra Narseum Persarum Regem, profectus, primùm infeliciter, dein prosperè pugnauit. Augustus acclamatus, Seuerum, & Maximinum, ex sorore nepotem, Cæsares creauit. Seuero mortuo, Licinium ei successorem dedit. Romam contrà Maxentium tùm mouisset, defectione militum cognita, in Illyricum rediit. Simulacrorum cultui maximè deditus; in libidines verò ita solutus, vt ciuitates omnes stupris, atque adulteriis turpissimè iniquinarit. Denique ad tantam sæuitiam propensus, vt fœdo morbo, Deo vlciscente ipsius immanem crudelitatem, consumptus fuerit. Principis proprium est esse clementem.*

MAXENTII ITALIÆ, ET AFRICÆ, Imperatoris Gesta, & Obitus.

TOtus in præstigiis agendis, offerendis victimis, atque Aruspicibus de belli euentu consulendis fuit, anno Christi trecentesimo duodecimo; Mox, victis ad Veronam illius ducibus à Constantino Principe, vniuersa Romana ciuitate spectante, funditùs profligatus fuit, pontisque ruinâ in Tibe-

rim actus, postera vero die, expiscato corpore, caput illius abscissum, piloque inditum, atque vrbi allatum, spectaculum ciuibus edidit iucundissimum; tum in Africam missum, vt quam viuus Tyrannus afflixerat, laceratus expleret. *Eusebius lib. 8. Historiæ, & lib. 1. de vita Constantini, Nazarius in Panegyrico, & Zosimus.*

ICON MAXENTII IMPERATORIS.

MAXENTIVS, Maximiani Herculij ex Eutropia Syra filius, quem alij arte muliebri suppositum ferunt, non vt Augustus, sed vt Tyrannus principatum rexit; Patri enim asperitate, sæuitiâ verò Domitiano, & Commodo simillimus, in plurimos senatorij ordinis viros seuerissimè animaduertit. Magicæ arti deditus, mulierum, atque infantium viscera scrutatus est; maximarum autem opum cupidus, priuatorum bona diripuit, nouaque turpissimis solutus libidinibus, vectigalia imposuit. Tandem omnibus inuisus, atque odio habitus, à Constantino Principe summis omnium votis expetito, immò ab vniuerso senatu accito, apud pontem Miluium ingenti prælio debellatus, inque Tiberim mersus, vitam profudit, anno Christi trecentesimo duodecimo.

MAXIMINI IMPERATORIS Orientis Gesta, & Obitus.

GAlerio Armentario vitâ functo, Maximinus ipsius nepos, Cæsar anteà creatus, liberas Imperij orientis habenas sumpsit, victusque, ac fugatus à Licinio, anno Christi trecentesimo decimo quarto, principatus tertio, in Asiam ægrè se recepit, vbi idolorum Mystas, & Ariolos, quorum impulsu bellum susceperat, tanquam viros præstigiatores, atque pro-

ditores crudeli morte affecit. Tum de fide religiosiùs sentiens, leges optimas ad illius incrementum, edidit; non diu tamen superstes fuit; diro siquidem correptus morbo, voraci intùs flammâ absumptus fuit, Tarsi, quæ est vrbs Ciliciæ clarissima, ac regionis totius caput, in campis sita, & à Perseo Danai filio, vt fama tenet, condita; ipso mortuo, eius nomen, filiorumque è tabulis, atque inscriptionibus erasum fuit, statuæque euersæ. *Eusebius lib. 8. Historiæ, Zosimus, & Eutropius.*

ICON MAXIMINI IMPERATORIS.

GALERIVS *Maximinus Daza dictus, ex sorore Galerij Armentarij progenitus, & ab eodem vna cum Seuero adoptatus, ortu quidem pastoralis, animo tamen, & moribus nihil agreste præ se ferens, ingenio enim & miti, & quieto erat; sed vini auidior, quo accensus, cùm asperius paulò tunc imperaret, facti pœnitens, ieiunus sæpè, negotia peragebat. Litteras maximè coluit. Christianum nomen effuso multo sanguine in oriente vastauit. Res nouas in Licinium Principem moliens, rupto fœdere cum filiis suis, quos iam socios Imperij adsciuerat, exercitu partim deleto, partim fugato oppressus, abiectisque Imperij insignibus, vix Tarsum se recepit, vbi paulo post, fœdo exitu vitam finiit. Qui rebus studet nouis, in hoc sæpè nouas facit, quòd perdat suas.*

CONSTANTINI MAGNI Imperatoris Gesta.

CONstantinus expeditionem in Maxentium suscepit, anno Christi trecentesimo duodecimo, principatus septimo. Sed quoniam multò firmiore præsidio sibi opus esse præsentiebat, quàm quod res militaris suppeditare soleret, ob maleficas, atque fallaces magorum præstigias, à Tyranno, per puerorum, ac mulierum euiscerationes studiosè conquisitas, despectis Diis, quorum auspiciis Imperatores bella suscipiebant, Deum creatorem omnium, & quem ipsius pater impensè co-

luerat, statuit implorandum. *Nazarius in Panegyrico.*

Indictiones, vt referunt recentiores non pauci, instituit sub idem tempus: immò Græci, Siculique fasti, in quibus legitur eas inchoatas fuisse, Constantino, & Licinio secundùm Consulibus, hoc est anno trecentesimo duodecimo.

Prætorianis militibus sublatis, anno Christi trecentesimo decimo tertio, principatus octauo, castris eruptis, Maxentio Principi fauentibus morte mulctatis, vrbanisque rebus constitutis, aduersùs rebellantes in Germania Barbaros progressus est. *Aurelius Victor.*

Ludos sæculares, tuum annorum periodo recurrentes, & ad pestes, morbos, luem, bellaque extinguenda, diuinitùs, vt Ethnici sibi persuadebant, institutos, atque ad eum vsque diem religiosissimè cultos, ingenti omnium mœrore exhibere renui, eodem Christi anno trecentesimo decimo tertio. Principatus octauo, *teste Zosimo.* qui asserit Romani Imperij ruinam inde profluxisse; cùm tamen constet, sæcula illa, in quibus eiusmodi ludi magno cum apparatu fuerant editi, nec peste, nec fame, nec aliis publicis calamitatibus caruisse; contra verò, sæculum istud sine illis spectaculis decursum, fuisse vrbi, & orbi felicissimum, tot Tyrannis extinctis, & Barbaris debellatis. Eos tamen ludos restituit posteà Honorius. *Procopius de ludis.*

Edictum de appellationibus promulgauit Treueris, tertio nonas Nouembris, anni trecentesimi decimi quarti, principatus noni. Quo cautum fuit, ne quis iudex sententiam capitis ferret, nisi reus confessione sua conuictus fuisset. *Lib. 1. de Pœ. Cod. Theodosiano, & Codice Iustinianeo. l. 16.*

Vetuit ne schismatici, & hæretici, immò & Eunuchi, principum pestes, vllis magistratibus, atque præfecturis donarentur, *vt scribit Lampridius in Alexandro.* Præterea ne ancillæ Christianæ lenonibus traderentur. *L. de leno. cod. Theodosiano.*

Non prætermittam legem illam pio, ac religioso principe dignam, cuius meminit Hieronymus in Isaiam c. 2. qua cœnosas illas sordidissimarum libidinum cloacas obstruxit, cùm in fornicibus spectaculorum starent pueri, inter scorta, publicæ libidini expositi. *Lampridius in Alexandro.*

Decennalia exhibuit, anno Christi trecentesimo decimo quinto, principatus decimo, non profano quidem ritu, effuso scilicet animalium sanguine; sed vt Christianum decebat Imperatorem, diuino numini gratias agens, adhibita comprecatione. *L. 7. in fine Cod. Theodosian. Eusebius lib. 1. de vita Constantini.*

Crispum, & Constantinum filios, Licinium item Licinij Augusti natum Cæsares creauit, ijsdem decennalibus, vt asserit Nazarius in oratione panegyrica, quam habuit in quinquennalibus eorundem Cæsarum. *Eusebius in vita Constantini.*

Egit cum Licinio principe, vt Bassianus Anastasiæ sororis suæ vir, Cæsar appellaretur, & Italiam obtineret. *Anonymus.*

Sanctionem edidit in Italia, qua parentibus, quibus filios venundare, immo & occidere licebat, tùm ex fisci reditibus, tùm ex priuata Imperatoris pecunia, subuenire voluit; aliis verò prouinciis concessa liberorum distractione, prouidit, ita tamen, vt redimi possent, vel ab iis, qui vendidissent, vel à quocumque alio, siue pretio reddito, siue alio mancipio oblato; denique ea, quæ Italis placuit impartiri, aliis omnibus, postea indulsit. *L. 1. de alimentis Cod. Theo. & l. 2. de patribus.*

Probrosam illam pœnam, qua noxiorum hominum vultus inscribebantur, dato ad Eusebium rescripto, aboleuit eodem Christi anno trecentesimo decimo quinto, principatus decimo, præfatus, nefas esse hominis faciē, ad similitudinem cœlestis pulchritudinis efformatam, hisce notis, tam fœdè deturpari. Eandem tamen restituit posteà Theophilus Imperator, aduersus Catholicos, qua serui tantum, seu mancipia apud Romanos mulctabantur, vnde stigmatici, vel etiam litterati, aut inusti dicebantur. Thracibus quidem hæc nota inurebatur, in signum nobilitatis, vnde prouerbium Thraciæ notæ, *teste Rhodigino.* Dacos pariter, & Sarmatas frontes hisce notis inscribere consueuisse, *auctor est Plinius lib. 22. c. 1.* Fuerunt & Syri stigmatici, non quidem in vultu, sed in vola manus, & in ceruice, *vt refert Lucianus.* Britonum denique, insignia fuisse stigmatica, *tradit Tertullianus.*

In Iudæos res nouas molientes seuerè egit, auriculisque amputatis, signoque rebellionis corpori impresso, veluti fu-

gitiua mancipia, per omnia loca circumferri iussit, vt cæteri addiscerent principum legibus obtemperare. *Chrysostomus.*

Concessit Episcopis, aliisque magistratibus vt manumissi ab illis, non solùm libertate, verùm etiam, ciuitatis Romanæ, ac si essent adscripti tabulis Romani census, iure amplissimo donarentur. *L. 1. & 2. de iis qui in Ecclesia manu mitti possunt.* Voluit etiam ne materfamilias per apparitores, in iudicium, extra domum traheretur. Aliquos insuper Donatistas exilio damnauit. Augustinus post collationem *cap. 33.*

Post victoriam Thracicam, quinto nonas Iulij reportatam, anni Christi trecentesimi decimi septimi, principatus duodecimi; fœdus cum Licinio iniit, ea tamen lege, vt Illyrico, Græciæ, aliisque prouinciis, quotquot vlteriùs essent porrectæ, imperaret, relicta ei Thracia, & oriente. *Ita Zosimus, Victor, & alij.*

Christianos exules, & ad metalla damnatos reuocauit; de gratu eiectos restituit; bona priuatis adempta, vel à fisco possessa reddidit, anno Christi trecentesimo decimo octauo. *Eusebius de vita Constantini.* Legem item in parricidas, vt culeo insuti demergerentur, reuocauit. *l. de parricidis.* Nefandos denique puerorum concubitus, anteà minimè veritos, non solum Romæ, sed etiam vbique gentium, coërcuit. *Zosimus.*

Aruspices qui antiquam superstitionem sensim reuocabant, ab accessu in alienas domos, ignis pœnâ intentatâ, inhibuit anno Christi trecentesimo decimo nono, principatus decimo quarto. Pœnâ etiam licet minore, nimirum deportationis, iis qui illos admisissent, propositâ. *L. 1. & 2. de malef. cod. Theo.*

Aduersus item eos qui famosos libellos composuerant, & magistratus ambiebant, leges tulit, quæ Hieropoli, atque Carthagine, fuerunt publicatæ. Adde illam, qua potestatem dedit, eodem Christi anno, omnibus, quicumque in iudicium, non solùm pro Ecclesiasticis cõtrouersiis, sed etiam pro sæcularibus causis, disceptationibus, atque litibus, vocarentur, reiectis ciuilibus magistratibus, ad Episcoporum iudicium prouocandi; voluitque Episcoporum sententiam sic ratam esse, aliorumque iudicium sententiis præualere, ac si ab ipso Imperatore prolatá esset. Præterea vt magistratus, Episcoporum iudicia,

iudicia, exequerentur, & milites, eorum voluntati inseruirent. *l. 2. de Episcopis, & clericis Cod. Theo. & Zosimus.*

Æque pacis, ac belli artibus studens, anno Christi trecentesimo vicesimo, principatus decimo quinto, legem Papiam in cælibes qui à successione repellebantur, ingensque inde thesaurus in ærarium referebatur, abrogauit. Quod si quis ex Tertulliano, illam à Seuero dudum refixam fuisse contendit, aduertat ille, eam legem, multos veluti ramos habuisse à diuersis Principibus excisos. Primò à Tiberio; posteà à Claudio; deinde à Seuero qui nouissimus omnium securim ad truncum admouit, dum edictum, de caducis tollendis, sanciuit. Fuere tamen alia eiusdem legis Papiæ capita, ad iura patronorum spectantia, quæ posteà viguere. *l. 1. de caducis tollendis Cod. Theo.*

Pœnas, & quidem grauissimas debitorum fiscalium, qui soluendo non essent, antiquitùs solitas irrogari, sustulit, eodem Christi anno. *l. 3. Cod. Theo.* Legem denique tulit contra raptores virginum, & viduarum, quam posteà, Constantinus eius filius temperauit. *l. 1. de rapt. virg. cod. Theo.*

LICINII IMPERATORIS PANNONIÆ, Græciæ, Dalmatiæ, Mœsiæ, Daciæ, & Thraciæ, Gesta.

GAlerio Armentario mortuo, anno Christi trecentesimo vndecimo, Licinius Imperium orientis sumpsit vnà cùm Maximino. *Baronius.*

Constantiam, Constantini sororem Christianam, Mediolani, quò Constantinus Princeps se receperat, toro sibi iunxit, anno Christi trecentesimo decimo tertio. *Aurelius Victor.*

Aruspices consuluit; oracula adiit; victimas mactauit, nihilque, quod ad militum animos, superstitione imbutos, confirmandos faceret, prætermisit. Tum valido cum exercitu, ad Cibalas, Pannoniæ oppidum contendens, Constantino hosti occurrit, à quo Victus, Thessalonicam ablegatus fuit, anno Christi trecentesimo decimo octauo, purpuráque deposita, priuatam vitam egit. Mox tamen huiusce vitæ impatiens,

occulta consilia agitauit, nouáque moliens, Barbaros contra Imperatorem sollicitauit. *Baronius.*

HEROES

Sanguine, Gestis, & Politia.

Tiridates Princeps crudelitate insignis superiori Armeniæ imperabat, anno Christi trecentesimo vndecimo, Constantini sexto. *Baronius.*

Ælianus proconsulari dignitate Africam regebat, anno Christi trecentesimo decimo quinto, Constantini Imperatoris nono. *Auctor citatus.*

Priscus, & Constantinus Imperatoris filij; item Licinius Licinij Augusti, & Constantiæ sororis Constantini Magni natus, Principes illustrissimi.

Baslianus vir clarissimus, & cui nupta fuerat Anastasia, Constantini Magni soror, & Senicius frater, Licinio maximè carus, ac Valens ab eodem Licinio Cæsar creatus. *Zosimus.*

Agricolaus minori Armeniæ præerat, anno Christi trecentesimo decimo sexto, Constantini Imperatoris vndecimo. *Baronius.*

Baronicius, & Vrsicianus duces clarissimi egregiam operam Constantino Principi contra Maxentium nauauere.

Rufius Volusianus, præfectus prætorio, sub Maxentij auspiciis, vnà cum Zana viro bellica laude illustri, pugnauit in Africa, contra Alexandrum rebellantem. *Zosimus.*

VIRI ERVDITI.

Nazarius Rhetor celeberrimus floret hoc tempore: eius Panegyricus Constantino Magno Imperatori dictus, multa eruditione, & arte excultus, extat passim, vt refert Sigonius *lib.* 3. Occidentalis Imperij, ad annum 320. *Philippus Bergomensis.*

Helena Constantini Magni parens augustissima, ingenio

ſplendido, doctrina ſingulari, Hebrææ, Græcæ, ac Latinæ linguæ cognitione illuſtri prædita, Græcorum carminum librum vnum contexuit; Epiſtolarum ad Syluestrum Papam, vnum; ad Antonium Abbatem, vnum; ad Conſtantinum filium ſuum, vnum, & de immortalitate animæ, vnum. *Pitſeus de ſcriptoribus Britanniæ.*

Conſtantinus cognomento Magnus, Græcis Latiniſque litteris egregiè inſtructus, multa ſumma eruditione inferta compoſuit, ac præcipuè ad nationum Præſides librum vnum; ad ſenatum Romanum, vnum; de Reipublicæ legibus, vnum; de noua Ægyptiorum lege, vnum; Geoponica Græca viginti; de re ruſtica vnum; Plures item Epiſtolas; ad Euſebium Cæſarienſem, vnam; ad Palæſtinæ Prouinciales, vnam; ad incolas orientis, vnam; ad Alexandrum, & Arrium, duas; ad Nicomedienſes, vnum; ad Saporem Regem, vnam; ad ciues Antiochenſes, plures; ad Præfectos gentium, plures; ad Diocletianum, vnam; & ad ſuum Quæſtorem, vnam; reliqua pia opera habes in ſacra hiſtoria. *Pitſeus de ſcriptoribus Britanniæ.*

Euſebius Pamphili libros quatuor ſcripſit de vita Conſtantini Magni; de Philoſophorum item diſſenſione, vnum; & Chronicon, S. Hieronymo interprete; Apologias inſuper ſex pro Origene; reliqua habes in ſacra hiſtoria. *Philippus Bergomenſis, & Bellarminus.*

OPERA PVBLICA.

Triumphalis arcus, Palatinum inter, & Cælium montes, haud longè à Domitiani amphitheatro, monumentum victoriæ de Maxentio à Conſtantino Magno Imperatore relatæ erigitur à ſenatu, anno Chriſti trecenteſimo duodecimo; cui ob ſculpturæ artis, opificumque inopiam, lapides affabrè facti, ex variis, atque inſignioribus Traiani, Marci Aurelij Imperatorum, vrbiſque extructionibus ſublati, inſiti fuere; in illius verò fronte hæc inſcriptio legebatur.

IMPERATORI, CÆSARI, FLAVIO CONSTANTINO, MAXIMO, PIO, FELICI, ET SEMPER AVGVSTO, QVI INSTINCTV

DIVINITATIS, ET MENTIS MAGNITVDINE, CVM EXERCITV SVO, TAM DE TYRANNO, QVAM DE EIVS OMNI FACTIONE, VNO TEMPORE, IVSTIS REMPVBLICAM VLTVS EST ARMIS, ARCVM TRIVMPHIS INSIGNEM DICAVIT S. P. Q. R. *Cuſpinianus, & alij.*

Conſtantinus Magnus ſtatuam, ſub idem tempus, labarum manu dextera, cum hac Epigraphe oſtentantem; SALVTARI HOCCE CRVCIS SIGNO, VERO FORTITVDINIS INDICIO, CIVITATEM VESTRAM TYRANNIDIS IVGO LIBERAVI; SENATVM, POPVLVMQVE ROMANVM IN LIBERTATEM VINDICAVI, PRISTINÆ DEMVM AMPLITVDINI, ATQVE SPLENDORI RESTITVI; In vrbis meditullio collocauit. *Euſebius in vita Conſtantini.*

PRODIGIA.

Solo iam in Pomeridianum tempus paululum inclinante, crucis ſignum ex ſplendidiori luce efformatum, & hiſce litteris, IN HOC SIGNO VINCES inſcriptum, Conſtantino Magno Imperatori apparuit, ſpectante vniuerſo exercitu, *vt refert Euſebius in vita Conſtantini.*

Vidit & armatum equitem, crucem toti agmini præferentem, iuuenumque manum lectiſſimam hoſtes funditus delentem, anno Chriſti trecenteſimo decimo octauo, Imperij decimo tertio. Adde & ignem, militum caſtra circumuallantem, *vt teſtatur Zonaras a,nnalium tomo tertio.* Scripturam inſuper ſtellarum miro ordine compoſitam, illique imperantem, vt ſpem omnem in Deo collocaret. *Auctore Nicephoro lib. 7. c. 47.*

CALAMITATES.

Siccitas magna, ſacer ignis, carbunculi, & ingens fames in oriente longè, latéque graſſantur, anno Chriſti trecenteſimo duodecimo, Conſtantini Magni Imperatoris ſeptimo. *Euſebius lib. 9. Hiſtoriæ, cap. 8.*

RES BELLICÆ.

Constantinus Magnus Imperator Alpes transgressus, anno Christi trecentesimo duodecimo, principatus septimo, Maxentiique hostis præsidiis ad Segutium, Taurinum, Brixiam, Veronam, Aquileiam, Mutinam deiectis, perruptis, & concisis, ad vrbem, nullo facto in via obice contendit. Tum hostem ipsum ad Tiberim, Roma egressum, producto in acie labaro, in quo hæc scripta legebantur, ΕΝ ΤΟΥΤΩ ΝΙΚΑ, profligauit, illumque pons insidiosè constructus, præmaturè subsidens in Tiberim præcipitem egit. *Eusebius in vita Constantini, Zosimus, Eutropius, & alij.*

In Germaniam profectus, anno trecentesimo decimo tertio, principatus octauo, hostes primò, Rheni transitu prohibuit, tum simulatè recedens, transgressos ex insidiis adortus, cecidit, sicque ciuile pariter, & externum bellum vno fere anno confecit, Romanumque Imperium, à Maxentij Tyrannide, ac barbarico ferro, pacatum reddidit. *Zosimus.*

Maximinus Licinio bellum intulit, à quo in Illyriis deuictus, mutata veste, vix inermis in Asiam confugiens euasit, anno Christi trecentesimo decimo quatto, Constantini Magni Imperatoris nono. *Eusebius lib. 8. Historiæ, Zosimus, Victor, Orosius, & alij.*

Aduersus Licinium Principem bellum agens Constantinus Imperator, anno Christi trecentesimo decimo septimo, Imperij duodecimo, ingentibus eum præliis debellauit; primo ad Cibalim in Pannonia octauo idus Octobris, vbi cum prælium à prima luce ad vesperam durasset, victus Licinius, cum vxore, filio, ac thesauris, Sirmio translatis, fugit in Daciam; Constantinus Cibali, Sirmio, aliisque oppidis potitus, hostem insecutus est, pacéque ne quicquam orata, fortiter iterum pugnatum est in campo Mardiensi, ac post dubium, diuturnumque conflictum, fusis Licinianis nox superueniens obstitit ne funditus internecione delerentur. *Zosimus, & Anonymus.* Breui tamen per Mestrianum legatum pax inita fuit.

Terrestribus, maritimisque copiis instructus Licinius, anno Christi trecentesimo decimo octauo, Constantini Imperatoris decimo tertio, rupto fœdere superiori anno, stabilito, bellum contra Constantinum in Thracia renouauit; Verùm Deo perfidiam, atque anteactæ vitæ crimina vlciscente, terra marique victus, Byzantij primùm; tum fuga inde elapsus, Nicomediæ obsidetur; denique impar viribus, deditione facta, rursum victoris clementiam implorauit, à quo, Thessalonicam, in ordinem redactus, ablegatus est. *Zosimus.* Hoc bellum Licinicum quidam referunt ad annum 323. alij ad 318. vt Baronius, quem sequimur.

Sarmatas Moëotidis incolas Istrum transgressos, Romanorumque agros, domos, atque oppida fœdè deuastantes, felicibus deuicit auspiciis; Tum Istro traiecto, eosdem in propria regione delcuit, occiso eorum Rege Rausimodo, anno Christi trecentesimo decimo nono, principatus decimo quarto. *Zosimus.*

Priscus Constantini Magni Imperatoris filius Alemannos prostrauit, de ijsque insignem victoriam retulit, anno Christi trecentesimo vicesimo, Constantini Magni decimo quinto, *vt refert Nazarius orator, & antiqua ab Adelpho allata numismata.*

TRIVMPHI.

Deuicto Maxentio hoste, atque Tyranno, Constantinus Magnus triumphum egit, vrbemque magno cum apparatu, ac celebri pompa ingressus, quietis fundator, ciuitatisque liberator acclamatus, in Palatinum montem, atque Palatium, ingenti ciuium applaudente theatro se recepit. *Eusebius in vita Constantini.*

OBITVS ILLVSTRES.

Diocletianus olim Imperator, iam priuatus, vel diuturno, grauique morbo, *teste Eusebio lib. 8. Historiæ*; vel vermibus ex ore scatentibus, *vt scribit Cedrenus*; vel denique ve-

neno hausto, minacibus Constantini Imperatoris litteris territus, Salonæ extinctus est, tertio nonas Decembris, anni Christi trecentesimi decimi sexti, Constantini vndecimi, *auctore Aurelio Victore.* Tum inter diuos adscriptus est, licet priuatus, quod nulli hactenus contigerat. *Zosimus.*

ICON

DIOCLETIANI QVONDAM IMPERATORIS, NVNC PRIVATI.

DIOCLETIANVS *Dalmata, solâ superbiâ, atque sæuitiâ nobilis; Patre siquidem Libertino Annulini senatoris; matre verò Dioclea, vtrisque ignobilibus natus fuerat. Profligato, cæsoque Carino, Augustus ab exercitu est appellatus. Pluribus vbique Tyrannis in Gallis, Britannia, atque Ægypto enascentibus, Maximianum Herculium Imperij consortem fecit. Tum crebras in oriente, atque Ægypto victorias consecutus, aureo, gemmeoque curru Romæ triumphauit. Solemni Regum Persarum more, adorari voluit, pedesque exosculandos omnibus exhibuit, idque edicto sanxit. Thermarum in vrbe opus inchoatum, omni cultu perfecit. Senio denique confectus, ac vitæ tædio fractus, Nicomediæ fasces deposuit, priuatusque Salonis in patria, rei rusticæ intentus, fatis concessit. Rarus quem tædet Imperij.*

DECAS

DECAS TERTIA.

CONSTANTINI MAGNI Imperatoris Gesta.

DIEM dominicum, tum ab Ethnicis, tum etiam à Christianis, festum agi, supremumque numen precibus impensè coli, sanxit quinto nonas Iulij, anni trecentesimi vicesimi primi, principatus decimi sexti. *L. de Feriis, Codice Theodosiano.* Et verò, *vt scribit Eusebius lib. 4. de vita Constantini;* Omnes milites, licet Christianam non profiterentur fidem, eo tamen die, in patentibus suburbiorum campis, singulari modestiâ, ac religione, solemnem hanc comprecationem vnà effundebant. TE SOLVM DEVM AGNOSCIMVS, TE REGEM PROFITEMVR; TE ADIVTOREM INVOCAMVS; PER TE HOSTES DEVICIMVS; A TE PRÆSENTEM FELICITATEM CONSECVTOS FATEMVR; ET FVTVRAM ADEPTVROS SPERAMVS; TVI OMNES SVPPLICES SVMVS, A TE ENIXE PETIMVS, VT CONSTANTINVM IMPERATOREM NOSTRVM, VNA CVM PIIS EIVS LIBERIS, SALVVM, ATQVE VICTOREM CONSERVES.

In maledicos, atque incantatores ad Bassum, præfectum prætorio rescripsit *l. 3. & 4. de malef. codice Theodosiano.* Facultatem insuper ad pias causas testandi, omnibus concessit. *l. de Episc. cod. Th.* qua sanctione Ecclesiarum reditus, factâ in dies noua accessione, ita adcreuere, vt nonnulli Imperatores, Reipublicæ detrimentum veriti, ab eiusmodi profusis largitionibus cohibere fideles conati fuerint. Qua de re S. Ambrosij extat querela ad Valentinianum Augustum. Grammaticis item, atque aliis litterarum professoribus immunitatem, aliaque beneficia largitus est Kalendis. Augusti eiusdem anni tre-

Bbb

centesimi vicesimi primo. *L. 1. de medicis, & professoribus, codice Theodosiano.*

Post tot saluberrimas tamen, ac sanctissimas leges, Aruspices, ex veteri disciplina, consulendos iussit eodem anno, cùm fortè vel regia domus, vel publicum aliquod opus de cælo tactum fuisset; Cuius sceleris grauissimas dedisse pœnas, exploratum est.

Dudum Italis parentibus consuluerat, præstitis, vt obseruauimus superiori decade, è fisco alimentis, ne filios venundare, aut filias, (quod in more positum erat) prostituere cogerentur; eodem affecit beneficio prouinciales Africæ, anno Christi trecentesimo vicesimo secundo, principatus decimo septimo, nouo ad Menandrum rescripto. *L. 2. de alimentis codice Theodosiano.* Natali insuper die Prisci, & Helenæ, reis omnibus, præterquam veneficis, homicidis, & adulteris, indulgentiam impertitus est. *L. 1. de indultis criminibus.*

Vicennalia Imperij sui celebrauit Nicomediæ, anno Christi trecentesimo vicesimo quinto, principatus vicesimo. Romæ verò anno sequenti. *Eusebius lib. 4. de vita Constantini.*

Filium suum Constantium, secundò genitum, Cæsarem creauit eodem Christi anno trecentesimo vicesimo quinto, *teste auctore citato.* Litteras ad prouinciarum præsides dedit, vt in singulis ciuitatibus frumenti quotannis certâ aliquâ mensura viduis omnibus, ijsque, qui castè vixissent, ac diuinis rebus addicti fuissent, suppeditaretur. *Theodoretus lib. 1. c. 11.*

Vnumquemque magnopere hortatus est, vt aulicorum, ac magistratuum crimina fidenti animo illi detegeret, pollicitus se in eos seueriùs acturum, qui gratiâ plurimum in aula valerent. Gladiatorum spectacula seuerè prohibuit. Verùm neque eiusmodi sanctione, neque alia à Constantio posteà promulgata, abrogari omnino potuerunt. *L. 1. de gladiatoribus, Cod. Theodosiano.*

Crucis supplicium irrogari in posterum vetuit, sacrumque hoc signum suis imaginibus inscribi voluit, *vt testantur numismata quæ etiamnum extant, & Sozomenus.* Lanceam insuper qua in præliis vtebatur, in crucis formam elaborandam curauit. Hæc à successoribus Imperatoribus iure hæreditario possessa,

ad Henricum Principem, & Othonem eius filium, peruenit, magnoque in pretio habita fuit, *vt refert Eusebius in vita Constantini, & acta S. Girardi apud Surium, die tertio Octobris.*

Pretiosissimis denique plurimarum exterarum, atque Barbararum gentium, Blemyum, Indorum, Æthyopum, ac Persarum muneribus cultus, quorum legatos amplissimis auctos largitionibus, remisit. Cum Persarum Rege Sapore fœdus, atque societatem iniit, litterisque perhumaniter missis, gratulatus est multitudinem Christianorum in ipsius Regno, illosque ei vehementer commendauit. *Eusebius de vita Constantini, lib.* 4.

Locum ad quercum Mambre tot diuinis visionibus illustre, verum impurissimo victimarum sanguine pollutum, purgari mandauit, anno Christi trecentesimo vicesimo sexto, principatus vicesimo primo. Fanum item Veneris in Phœnicia, summo in vertice Libani situm, meram turpitudinis scholam euertit. *Eusebius de vita Constantini.*

Publica omnia prostibula, lege lata deturbauit eodem Christi, anno trecentesimo vicesimo sexto; occultasque libidines ita insectatus est, vt si ingenua alicui seruo se commisisset, capite plecteretur; seruus vero ignibus exureretur. *l.* 1. *de mulieribus quæ seruis, &c. codice Theodosiano.* Dedit & potestatem accusandi, proposito libertatis præmio, si serui, vel ancillæ forent. Adde legem aduersùs virginum raptores. *L. de rapt. cod Th.*

Scripsit denique sub idem tempus ad Flauium præfectum prætorio de nobilibus, qui, vt publica munera effugerent, fruerenturque priuilegiis ab eo concessis Christianæ religionis ministris, se se haud recta mente, in Clericatum intrudebant, eos expellendos esse voluit. *l.* 6. *cod. Th.* Vandalos denique, à Gelericho Gothorum Rege eiectos, recepit, partemque Pannoniæ incolendam dedit sub Rege Haymaro, seu Visimaro, vbi commorati sunt annis sexaginta, Imperio Romano obtemperantes. *Iornandes.*

Publilium Optatianum Porphyrium ab exilio reuocauit, anno Christi trecentesimo vicesimo octauo, principatus vicesimo tertio, anno verò sequenti rescripsit ad populum, de-

cimo octauo Kalendas Iulij, vt nulli concederetur licentia concubinam habendi apud se. *L. 1. de concubinis cod. Th.*

Encænia vrbis Constantinopolis Christiano ritu celebrauit, anno Christi trecentesimo tricesimo, principatus vicesimo quinto; summoque numini, in honorem sanctissimæ Virginis, eam dedicauit; *vt scribit Eusebius de vita Constantini, Hieronymus Anastasius, & alij.* Ea propter Mariæ ciuitas nuncupata fuit à Theodoro *lib. 5. c. 33.* Eius natalis dies percelebris fuit decima Maij, & in menologio, publice recitandus, adscriptus reperitur. *L. 2. de Ferijs, cod. Th.* Ad tantæ vrbis decus, & ornamentum, ludos litterarios, atque florentissimam academiam constituit; celeberrimos enim quosque Philosophos, Oratores eloquentissimos, liberaliumque artium professores peritissimos, magnis vndique stipendiis accersitos, priuilegiis omnibus, atque immunitatibus donauit. Non omittam Bibliothecam insignem, tot, tantisque libris à variis principibus auctam, vt numerum centum viginti millium voluminum, expleret. *Sozomenus, Greg. Nazianzenus oratione de laudibus Basilij, Zonaras, & alij.*

HEROES

Sanguine, Gestis, & Politia.

Haymarus, seu Visinarus Vandalorum Princeps spectatissimus. *Iornandes.* Geberich Gothorum Rex victricibus armis illustris, vt pote qui Vandalos exegerit sedibus. *Auctor citatus.*

Clodomerus, seu Theodomerus Francorum Dux, è Galliis virtute Prisci, Constantini filij expulsus. Calocorus magister pecoris camelorum, Cyprum specie Regni occupauit, anno Christi trecentesimo vicesimo sexto, Constantini Imperatoris vicesimo primo. *Hieronymus in Chronico.*

Gallicanus re militari inclytus, cui desponsata fuit Constantia Constantini filia. Valentinus vir consularis, & summæ famæ. *Baronius.*

VIRI ERVDITI.

Publius Optatianus Philosophus floruit hoc tempore. Hic panegyricum, morosi litterarum artificij Constantino Magno Imperatori dicauit. *Hieronymus in chronico.*

Sopater Apamensis Sophista, Philosophus Platonicus, Iamblichi discipulus, quo Constantinus Magnus Imperator familiariter vtebatur, Romæ cum applausu docuit, multaque in lucem edidit de prouidentiâ, & ijs, qui præter meritum, ad supremam euehuntur felicitatem, vel detruduntur. *Suidas, Volaterranus, & alij.*

Rufus Sextus Anienus hispanus, *vt vult Petrus Crinitus lib. 5. de Poët. Latin.* Et Albidnus in antiquis codicibus appellatus, *teste Gyraldo lib. 4. de Hist. Poët.* Aratea Phœnomena, & Dionysium de situ orbis, stricta Latinitate donauit. Librum item de oris maritimis versu trimetro iambico, scripsit ad Probum virum consularem. Virgilianas quoque fabulas, & Liuium Carmine jambico composuit, *auctore Seruio Grammatico.*

Iuuencus natione Hispanus nobili ortus genere sacram Euangelicam Historiam, libris quatuor, versu hexametro, complexus est; Sacramenta verò duobus; pleraque alia nobis reliquit, quæ non extant. *Hieronymus in Chronico, Gesner, Volaterranus, & Vasæus de rebus Hispanicis.*

NATALITIA AVGVSTA.

Gallus è Constantio Constantini Magni Imperatoris fratre, & Galla sorore Rufini, & Cerealis consularium virorum, nascitur, anno Christi trecentesimo, vicesimo primo. *Baronius.*

OPERA PVBLICA.

Noua Hierosólyma è regione illius, quæ ob tot cruenta vulnera, diramque necem Christo inflictam, extremam vastitatem passa fuerat, regiâ magnificentiâ à Constantino magno extruitur, anno Christi trecentesimo vicesimo sexto, & Helenopolis nuncupatur. *Eusebius de vita Constantini & Nicephorus lib.* 8.

Instauratur insuper sub idem tempus, & ab eodem Imperatore ciuitas in Bithynia, in honorem Luciani martyris, Drapanum anteà dicta, posteà vero Helenopolis. *Hieronymus in Chronico.*

Byzantium vrbs, crebris olim cladibus, fœdisque naufragiis jactata; à Vespasiano libertate priuata; à Pescennio Nigro Tyranno occupata; à Seuero obsessa, fame capta, & in vici formam redacta; benignitate tamen Antonini Caracallæ restituta; Gallicano regnante iterum pessumdata, atque ab eodem Principe, per Cleodanum, & Athenæum Byzantios, redintegrata à Constantino Magno Imperatore, vetere Troia relicta, vbi prius nouæ vrbis fundamenta jecerat, ab integro, diuinæ mentis impulsu, Gothis, atque aliis plurimis Barbaris ad maturandum opus accitis, *teste Iornande*, ingentibus sumptibus renouatur, anno Christi trecentesimo vicesimo octauo, principatus vicesimo tertio. Hanc Imperator Constantinopolim, nouamque Romam lege lata, & in columnam lapideam incisa, appellari voluit. Quare vt antiquam adæquaret, in quatuordecim regiones diuisit. Dein Capitolio, Milliario aureo, hoc est, ingenti columna, circo maximo, amphitheatro, variisque porticibus, atque ædificiis magnificè exornauit. Idolorum, nobilioris præsertim artificij, statuas ex ære compositas, (aureas enim, atque argenteas conflarat) quasi deuictis hostibus, erecta victoriæ trophæa, ac præcipuè ad deorum gentilium ludibrium, collocauit. *Eusebius de vita Constantini, & Socrates lib.* 1. *c.* 12.

Statuam item æream arte spectabilem, magnitudine stupendam, & dextera malum aureum, aurea cruce ornatum,

præferentem, cum hac inſcriptione, TIBI CHRISTE DEVS VRBEM HANC COMMENDO, ſuper porphyreticam columnam in foro conſtituit. *Nicephorus lib. 7. c. 49.*

In nouam denique hanc Romam, non ſolum Romani Imperij, verùm etiam orbis totius ſumma omnia decora tranſtulit; Pleraque enim ex tota Aſia, Europa, & Africa ad illius eximium ſplendorem deuecta fuere ornamenta. Roma quidem, columna porphyretica, in cochlidis formam elaborata; è Troade, Apollinis ſtatua; aliáque ex oriente Principum monumenta, æternitati conſtructa. *Pomponius Lætus.*

Iſtrum ſeu Danubium lapideo ponte iunxit idem Princeps, anno Chriſti trecentreſimo triceſimo, principatus viceſimo quinto; quod Traianus quidem fecerat; ante illum verò, aut poſt Conſtantinum, nemo. *Cedrenus in ſuis annalibus.*

RES BELLICÆ.

Criſpus Imperatoris filius Francos, qui Clodomero, ſeu Theodomero Principe, improſpera excurſione, Gallias tentauerant, mira felicitate proſtrauit, fortiterque trans Rhenum eiecit, anno Chriſti trecenteſimo viceſimo ſexto, Conſtantini Imperatoris viceſimo primo, quo etiam tempore Romanus etiam orbis variis Perſarum vaſtationibus deformatus fuit. *Nicephorus lib. 7.*

Conſtantinus Magnus Imperator, Gallicano duce viro clariſſimo, genero ſuo, Scythas magnis cladibus omnia miſcentes, debellauit, impoſitis huic genti vectigalibus, quæ Romani nuper penſitare conſueuerant, *vt teſtantur acta ſanctorum martyrum Ioannis, & Pauli.*

REI INSIGNES.

Licinius Princeps in ordinem redactus, nouaſque res moliens, Conſtantini Magni iuſſu, Theſſalonicæ, quò relegatus fuerat, interficitur, anno Chriſti trecenteſimo viceſimo quinto, Conſtantini Imperatoris viceſimo. Martinianus verò Licinio percarus morte damnatur in Cappadocia. *Anonymus, Idatius, & Euſebius.*

Licinius iunior, ex Licinio, & Conſtantia Conſtantini ſorore genitus, paterni ſceleris conſcius, obtrucantur, anno Chriſti trecenteſimo viceſimo ſexto, Conſtantini Imperatoris viceſimo primo. *Zoſimus, & Euſebius.*

Criſpus ex Conſtantino Magno, & Minerua filius, præclaris victoriis auctus, rebus fortiter geſtis verè Magnus, ſpeque futurorum Maximus, ac ſpectatæ caſtitatis inſignis, inceſti criminis cum Fauſta nouerca, falsò accuſatus, Polæ, quæ eſt ciuitas in Iſtria, à Colchis condita, poſteà à Iulio Cæſare, qui eò coloniam deducendam curarat, Iulia Pietas appellata, *Auctore Plinio, lib.* 3. *cap.* 19. necatur eodem Chriſti anno trecenteſimo viceſimo ſexto, *vt ſcribit Ammianus lib.* 14. Fauſtæ inſuper vxoris libidine detecta, iuſtas de ea pœnas ſumpſit Imperator; balnei enim vapore, feruentiùs calefacti, ipſam extinxit. *Zoſimus, Eutropius, & alij.*

Sopater item Philoſophus magicarum artium inſimulatus, ſecuri percutitur ſub idem tempus. *Baronius.*

ICON

ICON

LICINII OLIM IMPERATORIS NVNC priuati hominis.

MARCO *Iulio Licinio agresti genere, Dacia natale solum fuit. Extrema pueritia militauit. Tribunus creatus, bellum contra Narseum Persarum Regem adeo feliciter gessit, vt mortuo Seuero, consors Imperij à Galerio Maximino Principe factus fuerit. Primo Illyriis, tum orienti præfuit. Homo auaritia, atque veneris stu io infamis, moribusque planè barbaris, ac litteris ita infestus, vt eas propter summam inscitiam, qua ne quidem vllum nominis sui characterem, decretis subscribere poterat, pestem publicam nominaret, à Constantino Magno varüs deuictus prœliis, Imperio tandem, vitáque, Thessalonicæ priuatus fuit. Nullus litteras odisse debet Imperator, quarum beneficio scitur imperare.*

OBITVS ILLVSTRES.

Helena Constantij Imperatoris coniux, Magnique Constantini parens, pietate summa, doctrina singulari, moribus candidis, atque antiquis, omnibusque virtutibus insignis, Romæ inter filij, ac nepotum complexus, octoginta annos nata obiit, anno Christi trecentesimo vicesimo septimo. *Eusebius de vita Constantini.*

FVNERA.

Helenæ Imperatricis funus, regio apparatu, atque magnificentia, cæterisque solemnibus illustre fuit. Eius corpus in basilica martyrum Marcellini, & Petri, viâ Lauicanâ inter duas lauros, vbi Constantinus Mausoleum, tum arte, tum materiâ, atque magnitudine conspicuum, erexerat, conditum est, *teste Eusebio de vita Constantini.*

DECAS QVARTA.

CONSTANTINI MAGNI IMPERAtoris Gesta, atque Obitus.

SEVERISSIMVM, in Prouinciarum Præsides, vrbiumque Rectores, edictum sanciuit Constantinopoli, Kalendis Nouembris, anni Christi trecentesimi tricesimi primi, principatus vicesimi sexti, ne venale scilicet iudicis velum, neue ingressus, pretio redimeretur, vel præsidis visio. *L. 1. de off. rect. Prouin. Codice Theodosiano.* Porro huiusmodi velum, quod, populis adeuntibus ostendebatur, famulique, qui admissionales dicebantur, pretio vt plurimum retegebant, nihil aliud erat, quàm, quod Itali nunc vocant, Portieia. *Vide Baronium.*

Rescriptum dedit, anno trecentesimo tricesimo secundo, principatus vicesimo septimo, de veteranorum filiis ad miliriam cogendis. *L. 7. cod. Theo.*

Medicis, ac litterarum professoribus, vt propensiori animo, liberalibus studiis, multos instituerent, immunitatem confirmauit, quinto Kalendas Octobris anni trecentesimi tricesimi tertij, principatus vicesimi octaui. *L. 2. de medicis, & Profes. cod. Theo.* Constantem item filium suum, eodem anno Cæsarem creauit, octauo Kalendas Ianuarij. *Idatius.*

Sarmatas è suis sedibus, à seruis, qui in eos arma sumpserant expulsos, anno Christi trecentesimo tricesimo quarto, principatus vicesimo nono, perhumaniter excepit, hominumque trecenta millia ætatis mixtæ, & sexus, per Thraciam, Scythiam, Macedoniam, Italiamque diuisit. *Teste Anonymo, & Hieronymo in chronico.*

Leges permultas rogauit sub idem tempus, ac præcipuè illam quâ vetuit, ne viduæ, pupilli, atque ægri compellerentur, vt sisterent Imperatori; *L. 2. de off. cod. Theo.* Tum etiam illam, quâ, militibus in expeditione agentibus fauit in testando; optat enim vt eorum voluntas vltima rata habeatur, licet in vagina, vel clypeo, vel puluere, scripta foret. *L. 15. de testamentis militum cod. Th.*

Tricennalia, regio apparatu, celebrauit octauo Kalendas Augusti anni trecentesimi trigesimi quinti, principatus trigesimi. *Eusebius lib 4. de vita Constantini.* Duos insuper nepotes Dalmatium scilicet, & Annibaliianum, fratris sui Dalmatij filios, magnis auxit honoribus. Dalmatium quidem, Cæsaris dignitate, decimo quarto Kalendas Octobris eiusdem anni, vt testantur Socrates, Idarius, Aurelius Victor, & nummi. Annibalianum verò, concessa ei Constantina filia sua, Regisque Regum, ac Ponticarum gentium fascibus, *Auctore Anonymo.* Hinc Anniballianus, Rex ab Ammiano initio *lib.* 14. appellatur.

Constantio filio suo, Eusebiam, summa, *vt ait Zosimus*, eruditione, ac supra sexum muliebrem prudentia præstantem, sed sterilem tamen, alienorumque partuum insidiatricem, & quod deterius est, Arriano infectam contagio, despondit anno Christi trecentesimo tricesimo sexto, principatus tricesimo primo. Quo etiam tempore, honorificam, ab extremis Indorum regionibus, insuetis cùm muneribus, legationem excepit Constantinopoli. *Eusebius de vita Constantini.*

Fato proximus, amplissimam filiis hereditatem partitus est. Constantino quidem natu maximo, auitam sortem, hoc est Galliam, Hispaniam, & Britanniam. Constanti natu minimo, Romam, Italiam, Africam, Siciliam, Insulasque reliquas, Illyricum, Macedoniam, & Græciam vniuersam, aliasque prouincias vsque ad Thraciam. Constantio denique inter ambos medio, Thraciam, cuius caput Constantinopolis, Asiam, & orientem, cum Ægypto, tradidit. *Ita Aurelius Victor, Zosimus, & alij.*

Pacis amantissimus, cum Persis, in quos expeditionem pararat, fœdus iniit. *Eusebius.* Legem item contra spurios tulit,

ne quid, ex patris vltima voluntate caperent. *L. 1. de natur. lib. cod. Theo.* Adde & piorum hominum collegium, quod eodem Christi anno tricentesimo tricesimo sexto, principatus tricesimo primo constituit, ad curanda, & deferenda defunctorum corpora. Nongentos enim, & quinquaginta ad tantum opus religiosissimè obeundum, ex frequentissima vrbe collegit viros, eosque, à publicis muneribus, immunes esse voluit, *vt habetur in nouella constitutione quadragesima nona.* Iustinianus Imperator, eiusdem operis, quod antè illum, Anastasius quoque Princeps præstiterat, adiectis insuper ex fisco reditibus, instaurator fuit. Cæterum sanctissimum hunc morem diu antiquatum, sanctiores leges, atque instituta, in pristinum suum splendorem, Romæ restituerunt, anno Christi millesimo sexcentesimo, *teste Baronio.* Et in diuersas Catholici orbis partes propagarunt. Tandem vndecimo Kalendas Iunij, ipso Pentecostes die, in suburbana villa Nicomediæ, quam Achironam vocabant, è viuis excessit.

ICON

CONSTANTINI MAGNI IMPERATORIS.

CONSTANTINVS *Magnus, patre Constantio pio, matre Helena, in Britanniis natus, sub Galerio militiæ rudimenta auspicatus Sarmatas perdomuit. Rerum potitus Maxentium ad pontem Miluium, diuinis profligauit auspiciis, plurimaque bella contra Barbaros feliciter confecit. Multa publica opera, atque insanas substructiones, ingentibus extruxit sumptibus. Sedem Imperij aliò transferendam ratus, Byzantij in Thracia, nouam Romam, transcripta magnæ nobilitatis parte, condidit, eamque Constantinopolim appellauit. Litterarum studia impensè coluit. Viros eruditos summis donauit honoribus. Leges sanctissimas tulit. Nec maior illi Romanæ rei, quam Christianæ promouendæ, cura fuit; Cum plus apud eum, iura pietatis, quàm omnes opes valerent. Reducta enim ab exilio fides, ac religio; superstitio exulauit vicissim. Aris sanctitas, templis honos Christo cultus exhibitus. Deorum impurissima fana; Dæmonum horrenda sacrificia, & idolorum seruitus euanuit, & quantum, ab impiis Principibus, cladis, & contumeliæ inflicta fuerat, tantum à piissimo Imperatore, decoris, incrementi, atque splendoris, vera Religio accepit. Talem profectò esse oportuit, quem, oppressa, gentilium tormentis, atque furoribus, fides, numenque terris exoratum, tradidisset. Verum in tanta virtutum gloria, non leuem contraxit maculam, ob cruentam Crispi Cæsaris filij sui, falsò Faustæ nouercæ crimine circumuenti necem; quam-*

quam Augustæ libidine, atque fraude mox perspecta, iustas ab ea expetierit pœnas. Obiit autem, anno Christi trecentesimo tricesimo septimo, Imperij tricesimo primo, ætatis sexagesimo quinto, inter sanctos à Græcis adscriptus, à quibus, natalis illius dies, singulis annis religiosissimè colitur.

CONSTANTINI SECVNDI, CONSTANTIJ item secundi, & Constantis Imperatorum Gesta, Constantinique Obitus.

EXtincto Constantino Magno, tres ipsius filij, Constantinus natu maior, Constantius, & Constans, tum senatus, tum militum votis, Augusti salutati sunt quinto Idus Septembris, anni Christi trecentesimi tricesimi septimi, *vt scribunt Idatius, & Eusebius in vita Constantini.*

Constantius secundus vix orientis Imperij habenas susceperat, cùm patruos Constantini Magni fratres, Constantium scilicet, Galli, & Iuliani patrem & Anniballianum, à militibus interfici curauit; Dalmatius quoque Cæsar, ac Censor sublatus est, Optatus item, & Ablauius præfectus prætorio, & Constantis Imperatoris socer. Idem vitæ discrimen adiere Gallus duodenis, & Iulianus quinquennis; illum grauis morbus; Hunc verò ætas innocens à præsenti periculo exemerunt. *Zosimus, Socrates, Sozomenus, & alij.*

Antiochiam Syriæ ob expeditionem in Persas, profectus est, anno Christi trecentesimo tricesimo octauo, principatus secundo, vbi fœdo percussus vulnere, à S. Spiridione cum omnium admiratione sanatus est. *Surius tomo sexto.*

Ad Aconium Catullinum Africæ vicarium scripsit aduersùs ambitum *l. 2. de bon. Cod. Theo* In famulosos item libellos, quos cremandos esse statuit. *L. 6. de famo. libel. cod. Th.* Et occultos delatores. *L. 4. eiusdem codicis.*

Statuit cum Constante fratre minimo, anno Christi trecentesimo tricesimo nono, principatus tertio, vt adulteri culeo viui insuerentur, vel exurerentur. *L. 4. de adul. cod. Theodosiano.*

Bello Persico inualescente, Antiochiam iterum rediit, anno Christi trecentesimo quadragesimo, principatus quarto; quo etiam tempore legem cum Constante Principe tulit Mediolani, in sepulchrorum violatores. *L. 1. de Sepulchr. Violat. Cod. Theo.*

Constantinus secundus rescripsit ad Euagrium, anno Christi trecentesimo tricesimo nono, principatus tertio, ne Iudæi Christianas fœminas in coniuges acciperent. *L. 2. de Iudæis, cod. Theo.* Nullave fierent, cum fratris, sororisve filia, matrimonia. Mox contra Constantem fratrem vexilla mouens apud Aquileiam infeliciter cecidit. *Aurelius Victor, Idatius, & alij.*

ICON

CONSTANTINI SECVNDI IMPERATORIS.

CONSTANTINVS *secundus, Constantini Magni maior natu filius, summo inter Principes loco habitus, Alemannos, Britannos, aliosque Barbaros, diuinis prostrauit auspiciis. Auitam Imperij sortem annis quatuor tenuit. Athanasium Treueris in Gallia exulantem, vbi iam annos duos, & menses tres egerat, & quem, viuente patre, ibidem perhonorificè habuerat, Alexandriam, datis ad Alexandrum litteris, summa cum omnium gratulatione, remisit. Leges perutiles edidit, multáque Imperio digna præstitit. Tum Alpes cum ingenti exercitu transgressus, in Constantem fratrem, ob iniquam principatus partitionem arma vertit, prælumque inconsultiùs committens, ab hostibus interfectus est, proiectusque in flumen Alsam, anno Christi trecentesimo quadregesimo, ætatis verò vicesimo quinto.*

HEROES

Sanguine, Gestis, & Politia.

Ablauius vir consularis, præfecturâ prætorij auctus], ad tantam, ex obscurissimo genere, abiectissimo, atque humillimo, euectus fuerat, dignitatem, vt penes eum rerum sum-

ma esset, filiamque suam Olympiadem Constanti, Magni Constantini filio Imperanti, spopondisset; ex cuius gloriæ fastigio miserando quodam casu deiectus, fortunæ pila nuncupatus fuit. *Ammianus.*

Ariaricus, Gothorum Rex, cuius filius, inter obsides Constantino Magno traditos, numerabatur, *vt scribit Anonymus.*

Constantinus, & Dalmatius, (alij Anniballianum vocant) Magni Constantini Principis fratres coccinea, & aurea veste donati, *teste Socrate, & Zosimo.*

Dalmatius, & Anniballianus, Dalmatij filij, seu Anniballi Anniballiani, Constantini Magni fratris, quorum primus Cæsar, ac censor nominatus, alter Rex Regum, & Ponticarum gentium, creatus à Constantino Magno Imperatore, *vt asserit Anonymus, & Ammianus lib.* 14.

Sapores Persarum Rex, vir strenuus, & spectatæ in bello solertiæ, Constantino Magno Imperatore extincto, expeditionem parat in Romanos. *Theodoretus.*

Optatus patricius summæ erat auctoritatis apud Principem Constantinum Magnum. Aconius verò Carulinus res in Africa agebat anno Christi trecentesimo, tricesimo octauo. *Baronius.*

VIRI ERVDITI.

Patera Rhetor insignis, omnium ordinum concursu, atque admiratione scholas aperuit Romæ, hoc tempore, *vt testatur Eusebius.*

Eunomia, Nazarij Oratoris Gallicani disertissimi filia, musas inter enutrita, & ad omne litterarum genus feliciter nata; *Philippus Bergomensis, & Hieronymus in Chronico.*

Iamblichus Philosophus, è familia amplissima, & locuplete, cui patria Chalcis, Syriæ ciuitas; Porphyrij discipulus, quo nulla in re fuit inferior, præterquam in concinna orationis structura, & dicendi facultate; Neque enim pari Venere, & gratia, erat ornatus. Multos de re philosophica scri-

psit libros; de secta Pythagorica, tres; Orationes varias, atque Epistolas; librum item vnum de mysteriis Ægyptiorum, Chaldæorum, Assyriorum, qui in multis Italiæ Bibliothecis reperitur; tum Bononiæ in cœnobio S. Saluatoris, & Venetiis. Pythagoræ insuper dogmata commentariis illustrauit, imitatus ex parte Moderatum, virum eloquentissimum, & Archippum, & Lysiadem, qui in Græcia, Thebis, scholas habuere celeberrimas. *Eunapius, Suidas, & Gesner.*

NATALITIA AVGVSTA.

Iulianus ex Bassilina, nobilissima fœmina Christiana, & Constantio, Constantinopoli, anno Christi trecentesimo tricesimo tertio, Constantini Magni Imperatoris vicesimo octauo. *Ammianus.*

PRODIGIA.

Solis defectio contigit Romæ decimoseptimo die mensis Iulij, anni Christi trecentesimi tricesimi quarti, Constantini Magni Imperatoris vicesimi noni, fuitque digitorum decem. *Firmicus lib. 1.*

Crinita stella magnitudinis stupendæ, apparuit in cælo, tempore quo Constantinus Magnus obiit, anno scilicet Christi trecentesimo tricesimo septimo. *Eutropius, & alij.*

CALAMITATES.

Orientales regiones tanto terræ motu concussæ fuere, anno Christi trecentesimo quadragesimo, Constantij secundi Imperatoris quarto, vt permultæ vrbes solo stratæ, aliæ verò absorptæ penitus fuerint. *Orosius lib. 7. & Hieronymus in chronico.*

Armeniæ montes sub idem tempus, *vt scribit Ephren, oratione decima.* In mutuum quasi conflictum impulsi, ingentes ignes, densosque fumorum globos longè, latéque effudere, tum

ſuo in ordine, locoue, conſtitere.

Antiochia ciuitas per totum anni vnius tractum, eodem terræ motu fœdiſſimè laborauit. *Teſte Socrate lib. 2. c. 7. ſub finem; & Sozomeno libr. 2. c. 5. & Cedreno.*

RES BELLICÆ.

Bellum Sarmaticum contra Gothos ſuſcipitur, anno Chriſti trecenteſimo triceſimo ſecundo, Conſtantini Magni Imperatoris viceſimo ſeptimo, in quo centum propè millia hominum, fame, ac frigore periere, per Conſtantinum Cæſarem; victos vero, proſtratoſque fuiſſe Gothos, ab auxiliaribus Romanorum copiis aſſerit *Idatius, & Hieronymus in Chronico.*

Sarmatæ à Gothis bello petiti, anno Chriſti trecenteſimo triceſimo quarto, Conſtantini Magni Imperatoris viceſimo nono, ſeruos ſuos in hoſtem armarunt, ſed infelici exitu cùm ab iiſdem, è propriis laribus eiecti fuerint. *Hieronymus.*

Sapores Perſarum Rex vaſtata Meſopotamia, Niſibim muniтiſſimam regionis illius ciuitatem, in finibus Romanorum, Perſarumque ſitam, dura atque acri obſidione duobus oppreſſit menſibus; iam, iamque potiturus à Iacobo eiuſdem vrbis Epiſcopo expulſus fuit, immiſſoque culicum examine, turpiter fugatus, anno Chriſti trecenteſimo triceſimo octauo, Conſtantij ſecundi Imperatoris ſecundo. *Hieronymus in Chronico, Theodoretus lib. 2. c. 3.* Hanc obſidionem deſcribit *Iulianus in Panegyrico Conſtantij Principis.*

Conſtantij Imperatoris duces ſigna in Perſas, Meſopotamiam variis cladibus, atque depopulationibus fatigantes mouere, anno Chriſti trecenteſimo quadrageſimo principatus quarto, ſed parum proſperè. *Oroſius lib. 7.*

FVNERA.

Conſtantini Magni Imperatoris corpus ampliſſimo funere Conſtantinopolim deuectum, piis ſacerdotum precibus,

ac myſtico ſacrificio, pro more ſolemni adhibito, in veſtibulo baſilicæ ſanctorum Apoſtolorum, *vt habes apud Chryſoſtomum*, *Homil.* 26. *ad Cor.* Conditum fuit, anno Chriſti trecenteſimo triceſimo octauo. De iis fuſè. *Euſebius lib.* 4. *in vita Conſtantini.*

DECAS QVINTA.

CONSTANTINI SECVNDI, ET Constantis Imperatorum, fratrumque Gesta, ac Constantis Obitus.

CONSTANTIVS quinquennalia Antiochiæ, quò, ob bellum Persicum, profectus fuerat, celebrauit, anno Christi trecentesimo quadragesimo primo, principatus quinto, *vt refert Socrates lib. 2. c. 5.* Encænia item nobilissimi illius templi, cuius fundamenta Constantinus pater, magnis sumptibus jecerat, ipse verò tanta magnificentia, atque arte perfecerat, vt à maioribus, Dominicum aureum nuncupatum fuerit. *Eusebius in vita Constantini.* De eo, fusius in historia sacra, sub titulo piorum operum, eadem quinta decade. Rescripsit insuper sub idem tempus ad Magdolianum, Præfecti prætorij curam obeuntem, aduersus idololatras, & Paganos, quibus sacrificia interdixit. *Leg. 2. de Paganis, Cod. Theo.*

Grauissimum, contra infandum illud sodomitarum scelus, edictum, verbis obscurioribus, pudoris causâ, conceptum, tulit anno Christi trecentesimo quadragesimo secundo, principatus sexto; quo iussit leges insurgere, & armari iura, gladio vltore, in fœtida illa, ac putida libidinum capita. *L. 3. cod. Theo.*

Leges duas rogauit, anno Christi trecentesimo quadragesimo sexto, principatus decimo, quibus idolorum templa, quæ extra vrbem essent, dirui vetuit, Ethnicisque, ne vel illa aperirent, vel sacra in eis peragerent, imperauit. *L. 4. de Paganis Cod. Theo.*

Sanctiones item, tum pro immunitate clericorum, tum in virginum raptores, sepulchrorumque violatores edidit,

anno Christi trecentesimo quadragesimo nono, principatus decimo tertio. *L. 9. de Episc. l. 2. de rapt. & l. 2. de sepulch. viola. cod. Theodosiano.*

Constans Imperator deuictâ, expulsaque è Gallia Francorum gente, pacem cum ea iniit, anno Christi trecentesimo quadragesimo scundo, principatus sexto, fœderatamque Imperij Romani, constituit. *Hieronymus in chronico, & Socrates lib. 2. cap. 10. & 13.*

Tandem vitiis omnibus solutus in tantum morbum incidit vt omnibus exosus fuerit, Magnentiique Ducis, Imperium sibi vindicantis, insidiis, occubuerit. *Socrates lib. 2. c. 20. & 21. Sozomenus lib. 7. c. 1. & alij.*

ICON

CONSTANTIS IMPERATORIS.

CONSTANS *Constantini Magni filius Rem Romanam, annos tredecim rexit. Plurima strenue, ac feliciter in militia gessit. Deuicto Constantino fratre, occidentali Imperio solus potitus est. Verùm ad vitia traductus, tantos articulorum dolores expertus est, vt Prouincialibus grauis, militibus illiberalis, amicis iniucundus, omnibusque molestus, in Castro, cui Helenæ nomen est, haud longè ab Hispaniis, extinctus fuerit, anno Christi trecentesimo quinquagesimo.*

HEROES

Sanguine, Gestis, & Politia.

Philagrius vir illustris Ægypto præerat, anno Christi trecentesimo quadragesimo secundo, Constantij, & Constantis sexto. *Baronius.*

Titianus præfecturæ prætoriæ munus obibat apud Gallos, anno Christi trecentesimo quadragesimo quinto. *Hieronymus.*

Magnentius Tyrannus, ordinum comes apud Augustam Germaniæ ciuitatem, obscuris in Gallia parentibus natus, à Constante Principe enutritus, & in tantum ab eo ob insignem virtutem bellicam deamatus, vt illum exorto in Illyriis tumultu, cùm iamiam à militibus interficiendus esset, regio suo paludamento obtexerit, gratitudinis tamen loco, cruentam seruatori suo rependit mortem, quo extincto, Augustus

gustus est acclamatus decimo quinto Kalendas Februarij anni trecentesimi quinquagesimi; Moxque Italiam petens, eâ, vnà cum Galliis, & Africa potitus est. *Zosimus, Pomponius Latus, & alij.*

Vetranio Tyrannus dux exercitus in Pannonia, Imperium apud Mursam legionum suffragio occupauit, anno Christi trecentesimo quinquagesimo. *Idatius.*

Nepotianus, Eutropiæ, sororis Constantini Magni filius, Romæ tertio nonas Iunij, anni trecentesimi quinquagesimi, gladiatoriâ manu fultus, purpuram sumpsit, illam sibi iure sanguinis vindicans. Hic sæuis exordiis dignum exitum nactus est; vicesimo enim octauo die Imperij, à Magnentij ducibus oppressus, pœnas dedit, caputque eius pilo infixum, per vrbem circumlatum est. *Eutropius, & Zosimus.*

Decentius Magnentij frater Cæsar Mediolani creatus ad tuendas Gallias, trans Alpes magno cum exercitu missus est. *Zosimus.*

VIRI ERVDITI.

Ædesius Philosophus Cappadox, generis nobilitate, inter suos, facilè princeps, sed censu exiguo. Iamblichi scholam suscepit. *Eunapius.*

Maximus, Philosophus Platonicus, Byzantius, cui natales haud obscuri, opesque amplæ, Iuliani Principis doctor, varia nobis reliquit opera, præsertim de indissolubilibus oppositionibus, de exordiis ac numeris; commentarios item in Aristotelem, aliaque ad eundem Iulianum.

Eustochius vir doctrinâ insignis, scripsit ad Constantem Principem, de antiquitate Cappadociæ, aliarumque gentium. *Volaterranus, & Gesner.*

Iulianus Sophista, Cappadox, Athenis floruit. Iuuentus omnis, discendæ Rhetoricæ gratiâ, ad illum confluebat, ipsius animi magnitudinem, atque eloquentiam suspiciens. *Volaterranus.*

Eustathius dicendi facultate maximè illustris; tanta enim valuit eloquentia apud Saporem Principem, vt parum ab-

fuerit quin Rex, tiaram abijcerit, purpureumque paludamentum, ac gemmata monilia, cum Eustathij penula, commutarit; tantumque fortunæ regiæ, atque ornamentorum fastidium inuexit, vt corporis cultui, studioque deditus, infœlicitatis damnarit. *Eunapius.*

Sopatra Eustathij coniux, cui natale solum fuit in Asia, circa Ephesum, genere locuplete, & copioso; vix limen florentis ætatis egressa fuerat; cum non modò Poëtarum, sed etiam Philosophorum, atque Oratorum scripta in ore habuerit, & quæ cæteri difficulter, & obscure poterant percipere, nec nisi cum magno molimine, & ingeniorum tormento; hæc illa otiose, citra laborem explicaret, prompteque declararet. *Auctor citatus.*

Priscus recondita, abstrusaque mente ac memoria præstantissima fuit. Illius æstimatio, & auctoritas, cum eo consenuit. *Eunapius.*

Apsines Lacedemonius, artium liberalium professoris splendidum nomen obtinuerat. *Eunapius.*

OPERA PVBLICA.

Magnis Reipublicæ impensis, portus, in Seleucia Syriæ, extructus fuit, anno Christi trecentesimo quadragesimo septimo, Constantij, & Constantis Imperatorum vndecimo, vt refert *Cuspinianus.* Cæterum Seleucia cognomine Pieria, vrbs est in littore maris Syriaci sita: cuius meminerunt, *Polybius, Strabo, Cicero; & alij.*

PRODIGIA.

Solis Eclipsis accidit sexto Iunij, Constantinopoli, hora quinta post mediam noctem, digitorum octo, anno Christi trecentesimo quadragesimo sexto Constantij, & Constantis, Imperatorum decimo.

Defecit item sol sub horam diei secundam, ac diametrum bessis circiter, nono Octobris anni trecentesimi quadragesimi octaui, Constantij, & Constantis Imperatorum duodecimi. *Theophane teste.*

gesimi octaui, Constantij, & Constantis Impetatorum duodecimi. *Theophane teste.*

CALAMITATES.

Neocæsatea, Cappadociæ vrbs in ponto Polemoniaco, Magno Gregotio, cognomento Taumaturgo illustris, & Lyco fluuio, qui eam prætersluit, ingenri tetræ motu subuersa est, anno Christi trecentesimo quadragesimo tertio, Constantij, & Constantis Imperatorum septimo, principe tantùm templo superstite, Episcopi ædibus, ipsoque Episcopo, atque eius ministris. *Hieronymus in chronico.*

Corruit Dyrrachium fœdo alio terræ motu, anno Christi trecentesimo quadragesimo septimo, Constantij, & Constantis Imperatorum vndecimo; Rhodus item vehementer quassata fuit, plurimæque Campaniæ vrbes. Roma insuper tribus diebus, ac noctibus, eodem tempore nutauit. *Hieronymus in chronico.* Dyrrachium autem ciuiras est in ea parte Macedoniæ, quæ mari Adriarico incumbit. Dictum vero Dyrrachium, à nomine illius, qui vrbi portum adiecit, anteà siquidem Epidamnus vocabatur, *teste Plinio lib. 3. cap. 23.*

RES BELLICÆ.

Irrumpunt in Pannonias Scythæ, anno Christi trecentesimo quadragesimo primo, Constantij, & Constantis Imperatorum quinto. Franci vero in Gallias, anno sequenti. *Hieronymus in Chronico, Socrates, Paulus Diaconus, Sigonius, & alij.*

A Persis multa grauiáque perpessus est Constantius Imperator, anno Chtisti trecentesimo quadragesimo quinto, principatus nono. Sæpè captis oppidis, obsessis vrbibus, & cæsis exercitibus. *Eutropius, & Orosius.*

Bellum Persicum ad Singarum, Arabiæ vrbem, Rhetanorum caput, *teste Plinio lib. 5. cap. 24.* gestum est anno Christi trecentesimo quadragesimo octauo, Constantij, & Constantis Impetatotum duodecimo, *vt scribit Idatius*; Quando haud

dubiam victoriam, ferociâ militum, pugnam seditiosè, ac stolidè, contra rationem belli die iam præcipiti poscentium, amisit. *Hieronymus addit* ex grauissimis bellis contra Persas maximum id accidisse, quo Nisibis obsessa, & Bizabda, atque Amida vrbes captæ fuere.

DECAS SEXTA.

CONSTANTII IMPERATORIS Gesta.

NOVA belli mole oppressus, Persico adhuc vigente, prolequemascula carens, Gallum ex Constantio, fratre Magni Constantini, & Gallo matre genitum, Iulianique Appstatæ fratrem, natu maiorem, annum ætatis vicesimum sextum habentem, Cæsarem creauit Antiochiæ, idibus Martiis, anni trecentesimi quinquagesimi primi, *vt scribit Idatius;* Cum hoc tempore celebrata, fuissent illius quinquennalia, tertiò repetita: hisce enim solemnibus Cæsares creari solebant. *Sozomeno teste lib. 5. c. 18.* Tum illum Constantium appellauit. In orientem vero profecturus aduersus Tyrannos, Magnentium scilicet, & aduersus Tyrannos, Magnentium scilicet, & Vetranionem; res ei orientales commisit, sororembue Constantinam, quam alij Constantiam vocant, Anniballiano anteà nuptam, in matrimonium dedit.

Edixit eodem Christi anno, vt omnes milites sacro expiarentur baptismo, vel cingulo exuerentur, & ad propria amandarentur. Hinc factum vt, cum exauctorati, vrbes posthac non incolerent, ex iuriperitorum vsu, Pagani dicti fuerint, omnesque Ethnici à Christianis eodem nomine nuncupati, quod è ciuitatibus eiecti, Deos suos circa agros venerarentur, sacráque clandestina peragerent. *Theodoretus lib. 3. c. 3.*

Ficta simulataque amicitia, cum Vetranione Tyranno egit, anno Christi trecentesimo quinquagesimo secundo, principatus decimo sexto, spondens se illum, in collegam recepturum, modo exercitum suum contra Magnentium hostem duceret. Qua pactione Tyrannum consopiuit; Tum illius mi-

lites', quos eadem artè demulserat, in concionem vocatos, atque iniustè Tyrannidem ab eo occupatam acriter insectatus, fortiter impulit, vt ipsum purpura exuerent, priuatusque placidè in prædio Bithyniæ amœnissimo, consenesceret. Interim Virtonionis copiis sibi adiunctis, grande in Magnentium bellum parauit, quod anno sequenti gestum est. *Ita Zosimus, & Baronius.*

Eo insolentiæ venit, anno Christi trecentesimo quinquagesimo tertio, principatus decimo septimo, ob victoriam de Magnentio Tyranno reportatam, qua orientali occidentale Imperium adiecerat, vt immortalem se, ac totius orbis Dominum, appellarit. *Ammianus lib. 15. Athanasius, Baronius, & alij.*

Natalem diem eodem Christi anno celebrauit, innoxio tamen sanguine madidum, eorum scilicet, qui vel leuissima suspicione, de amicitia cum Magnentio laborassent: Hyemem insuper, eodem tempore egit Arelate, vbi ludos circences ambitioso exhibuit apparatu. *Ammianus lib. 15.*

Vrbe digressus quarto Kalendas Iunias, in Illyricum se contulit, anno trecentesimo quinquagesimo sexto, principatus vicesimo. Legesque saluberrimas contra Aruspices, Mathematicos, Magos, & Vaticinatores, nec non Ethnicæ superstitionis cultores edidit Mediolani; Quibus sacra peragi, vel idolis cultus exhiberi vetuit; rescripsit item aduersus Apostatas. *L. 5. de Malef. l. 6. de Paganis, & l. 1. de Apostatis. Ammianus lib. 16.*

Idolum vnicum Romanis relictum, Victoriæ nempè simulachrum, cum Ara super thedam impositum, & in vestibulo Capitolij collocatum; à Constantio Constantini Magni patre cultum; à Constantino Christiano Principe non amotum; à Constante sublatum; à Magnentio iterum restitutum tolli rursus curauit, eodem Christi anno trecentesimo quinquagesimo sexto. *Ex Symmachi relatione ad Valentinianum, & Ambrosij responsione ad eandem.*

Romam venit quarto Kalendas maias, anni trecentesimi quinquagesimi septimi principatus vicesimi primi, *vt testatur Idatius.* Pœnáque capitali proposita, vetuit Mediolani, octa-

uo, Kalendas Septembris eiusdem anni magos, & ariolos consuli. *L. 4. de Malef. cod. Theo l. 2. de gladiat.* Clericis Ecclesiæ Romanæ priuilegia confirmauit quatto idus Nouembris. *L. 13. de Episc.* Adde edictum de immunitate Clericorum datum octauo Idus Nouembris.

Certior factus de Iuliani Cæsaris magicis artibus, nocturnisque sacris, quæ in Galliis, secreto peragebat, vt refert Euagrius, & Ammianus *lib. 16.* voluit, noua lege promulgata, anno Christi trecentesimo quinquagesimo octauo, principatus vicesimo secundo, sanctionem illam abhinc duobus annis à se editam contra huiusmodi facinorosos homines, insigniores etiam quosque viros, ac summis honoribus donatos complecti. *L. 6. de malef. cod. Theo.* Iussit præterea, vt ij qui sacrificarent, responsa quærerent, vel remedia quartanæ febris, aut alterius morbi amuleta, collo gestarent, & per sepulchra errarent, ad supplicia traherentur.

HEROES

Sanguine, Gestis, & Politia.

Gallus Cæsar pro eximia sua indole, summoque rei Christianæ studio, famosissimum illud, ac poëtarum fabulis notissimum Daphnes nemus; templumque Apollinis, in Antiochiæ suburbio, magnis sumptibus extructum, ac Dæmonis oraculo illustre, sacris Babylæ martyris cineribus, quos illuc inuexerat, anno Christi trecentesimo quinquagesimo primo, Constantij Imperatoris vicesimo quinto, longè illustrius reddidit. *Sozomenus lib. 5.* In oriente verò crudeliter se gessit, Iudæósque, qui Patricium, in Regni speciem, sustulerant, oppressit, cæsis multis hominum millibus, vsque ad innoxiam ætatem; immo ciuitates eorum Diocæsaream, Tiberiadem, & Diospolim, igni tradidit, anno Christi trecentesimo quinquagesimo tertio, Constantij Imperatoris decimo septimo. *Hieronymus in Chronico.*

Iulianus, qui hactenus in clericali vita, qua fuerat initiatus, perseuerarat, euecto in sortem Imperij Gallo Cæsare

fratre, & Constantio Imperatore occidentem petente, laxiores iam nactus habenas, Imperij cupiditate exardescere cœpit. Quare ariolos, & magos vndique accersitos, anno Christi trecentesimo quinquagesimo primo, Constantij Imperatoris decimo quinto, consuluit, vtrùm voti compos esset futurus. *Theodoretus lib. 3. c. 3.* In suspicionem coniurationis cum Gallo fratre adductus, ad Constantium Principem, qui tunc Mediolani erat, se contulit, anno Christi trecentesimo quinquagesimo quarto, Constantij decimo octauo; vbi sanè perijsset, nisi Eusebia Augusta, dum viri indignatio deferuesceret, Comum oppidum Mediolano proximum amandasset. Eadem posteà illius necem deprecante, Athenas petere concessit ipsi Princeps, vbi pallium induit Philosophicum, nec tam Philosophicis præceptionibus, bonisque artibus, quàm occultis, atque nefariis sacris, & magicis institutionibus, operam nauauit. Gregorius Nazianzenus oratione secunda ad Iulianum;

Porro Comum ciuitas est Galliæ transalpinæ, iuxta Latium lacum. Hæc primo mediocris fuit Colonia, trans Padum, à L. Scipione deducta; tum à Pompeio instaurata, postremò à Iulio Cæsare, multis partibus aucta, missis eò quinque millibus colonorum: quo tempore pro Como, nouum Comum cepit appellari, & incolæ Nouocomenses, qui anteà Comenses dicebantur. *Meminit huius oppidi Plinius lib. 3. cap. 17.*

Rectis itineribus idem Princeps in Gallias profectus est, anno Christi trecentesimo quinquagesimo quinto, Constantij Imperatoris decimo nono; vbi ad conciliandos sibi Catholicorum animos, quibus sciebat inuisum esse Constantium, non modò Christianus, sed & Catholicus videri voluit. Ea propter Hilarium, cæterosque Episcopos, plurimis officiis demereri studuit; cum tamen, vt scribit Ammianus *lib. 16.* secretò Deos coleret, & noctè surgens Mercurio supplicaret.

Augustus acclamatur ab vniuerso exercitu, ob rem præclare gestam, contra Alemannos Gallias incursantes, anno Christi trecentesimo quinquagesimo septimo, Cõstantij Imperatoris vicesimo

cesimo primo. Imperij iterum insignia, Lutetiæ Parisiorum à seditiosis militibus per vim delata, renuere se simulans, assumpsit anno Christi trecentesimo sexagesimo, Constantij vicesimo quarto. His peractis quinquennalia magno apparatu celebrauit, diademate pretiosissimis lapidibus distincto, ornatus, cum anteà præ penuria, torque tantum aurea, vsus fuisset. *Ammianus lib. 21.*

Lucillianus re militari illustris, Nisibim à Sapore obsessam feliciter liberauit, anno Christi trecentesimo quinquagesimo primo, Constantij Imperatoris decimo quinto. *Zosimus.*

Vetranio Tyrannus in ordinem redactus, anno Christi trecentesimo quinquagesimo secundo, Constantij Imperatoris decimo sexto priuatam vitam coluit. *Idatius.*

Mussonianus, Stratigius anteà dictus, orienti præerat, anno Christi trecentesimo quinquagesimo quinto, Constantij decimo nono. *Ammianus.* Syluanus vero licet barbaro patre genitus, institutione tamen Romana satis cultus, & patiens, eò bellica virtute peruenerat, vt quamquam à Constantio Principe adamaretur, magis tamen timeretur, purpuram Malaricho, aliisque Francorum ducibus, fultus, induit. *Pomponius Lætus, & Eutropius.*

Artemius dux, Ægypti Præfectura auctus est, anno Christi trecentesimo quinquagesimo octauo, Constantij Imperatoris vicesimo secundo. Honoratus autem ex Præfecto prætorio Galliarum, primus, vrbis Constantinopolis præfectus constitutus fuit tertio idus Septembris anni sequentis. *Hieronymus in Chronico, & Idatius.*

Sapores Persarum Rex, solis, lunæque frater nuncupatus, Mesopotamiam, Armeniamque repetit eodem Christi anno; Numeriusque proprætoria dignitate ornatus, Galliam Narbonensem regit. *Ammianus.*

Eusebius, ab ima sorte, ad summam potestatem euectus est à Principe, cui maximè carus erat, eique thalami cura commissa, anno Christi circiter trecentesimo sexagesimo. *Auctor citatus.*

VIRI ERVDITI.

Anatolius gloriæ pariter, atque eloquentiæ amator, iurisque ciuilis scientiâ insignis; nec mirum, cum Berytos, Phæniciæ vrbs, eruditionis mater, & alumna, patria illi esset. Hic Romam profectus, magnis honoribus, ab Imperatore cumulatus fuit, præfectique prætorij dignitate insignitus. Quare fortunam prosperam, pro innata ambitione nactus, in Græciam properauit, quæ eum, & variis excepit plausibus, & ingenti admiratione suspexit. *Eunapius.*

Proæresius tanta dicendi facultate præstans, vt illius ingenij vim, & magnitudinem stuperet Anatolius. Romæ ex Senatusconsulto statua ex ære pari magnitudine donatus fuit, cum hac Epigraphe. REGINA RERVM ROMA, REGI ELOQVENTIÆ. Hinc Athenas petens castrorum Præfectus, creatus est, immensisque muneribus auctus. *Eunapius, & Sozomenus lib. 6. c. 17.*

Milesius, ex Smyrna Ionica vrbe, oriundus, tanta arte, Carmina texebat, vt illum Anatolius non alio, quam musæ nomine, compellaret. *Eunapius.*

Eusebius, patria Alexandrinus, Proæresij discipulus, summa eloquentia, & eruditione clarus, floruit hoc tempore. *Eunapius.*

Himerius in Bithynia natus, politus maximè, atque concinnus fuit, eius scriptio non ab vrbano strepitu, plausuque dissonabat; immò aliquando ad diuinum Aristidem assurgebat. *Auctor citatus.*

Gennadius orator, verborum apparatu, ac maiestate potentissimus, Romæ docet, turbatim omnibus vndiquaque confluentibus. *Eusebius in chronico.*

Diophantus Arabs, non exiguæ, inter liberalium artium professores, famæ. Hic orationem funebrem in laudes Proæresij demortui habens, conuersusque ad Salaminem, Medorumque res, in has erupit voces; vestris iam trophæis, vestris monumentis, atque victoriis, tuba cecidit. *Eunapius.*

Donatus Grammaticus peritissimus, diuique Hieronymi

præceptor, artem, quæ in manibus extat puerorum, quam quam in Epiromen redacta, composuit. Commentarios item in Terentium, & Virgilium. Romæ in magno fuit pretio, apud eruditissimos quosque viros, *vt refert Eusebius, & Volaterranus.*

Mareus Victorinus, Afer, Rhetoricus scholas Romæ aperuit tanta cum pompa, & dictionis splendore, vt statuam, in foro Traiani, meruerit; Scripsit in Rhetoricam, seu de inuentione Ciceronis, libros duos; De enuntiatione, orrographia, & metris comicis, quatuor; versu item heroïco septem Machabæorum fratrum acerbam cum matre necem, sub Rege Antiocho; Commentarios insuper in poëtica, exquisitæ certè frugis, si integri haberentur. Adde quod Porphyrij Isagogem latinitate donarit; *Deeo multa Seuerinus Boëtius, D. Hieronymus illius discipulus, Lilius Gyraldus, Gesner, & alij.*

Libanius Sophista, quem Antiochia, Syriæ vrbe primaria, Canæ nomine dicta, Seleucique cognomento victoris opus, protulit. Athenis profecit sub Diaphanto philosopho; ludum vero, primo Constantinopoli; dein Nicomediæ aperuit; Chrysostomum, & Basilium, aliosque permultos illustres viros, Rhetoricæ præceptis, magna cum laude, imbuit. Librum vnum de progymnasmatis edidit. Epistolas item, & orationes, quæ magnam eruditionem sapiunt, merasque illecebras, atque suauia spirant; nouas præterea aliquas, & ob antiquitatem obscuras voces, seu donaria quæpiam prisci sæculi detracta, in medium adduxit, & è puluere extersa concinnauit, accurateque è senectæ exuuio nitida exornauit. Quas ob res Iulianus Princeps, turbáque procerum eum magnopere suspexit; Denique tanti Sophistæ nomen fecit, vt illud, summis quibusque dignitatibus, summè prætulerit. *Eunapius, Suidas, Gesner, & alij.*

Iulianus Constantini Magni Imperatoris nepos, fideique Christianæ desertor, Princeps non minus ingenio, quàm natalium splendore nobilis; Epistolas varias, admirabili tum puritatis, tum eloquentiæ nitore expressas adornauit, publicauitque; Symposium item, & hymnum in solem Regem, stylo regio, ac sublimi, contexuit, Romanorum Imperato-

rum gesta ab Augusto pari facunditate exorsus est. Adde Misopogonem, & librum de tribus figuris, quæ saturnalia vocantur; orationes denique omni rerum, verborumque ornatu, atque purpura insignes, nobis reliquit. *Suidas*, *Volaterranus*, *& Gesner.*

Petrus Cæsar-augustæ orator clarissimus, cuius scholæ fuere illustres, anno Christi trecentesimo sexagesimo; *vt refert Hieronymus in Chronico*, *Eusebius*, *& Vasæus*.

NATALITIA AVGVSTA.

Aurelius Prudentius, Poëta Lyricus nascitur Cæsaraugustę, anno Christi trecentesimo quinquagesimo primo, Constantij Imperatoris decimo quinto; *vt ipse testatur in præfatione libri sui, & Vasæus in Chronico Hispaniæ.*

Valentinianus, Gratiano filio auctus est decimo quarto Kalendas Maias, anni trecentesimi quinquagesimi noni, Constantij Imperatoris vicesimi tertij. *Hieronymus in Chronico.*

OPERA PVBLICA.

Curia, Grisonum vrbs primatia condita fuit, anno Christi trecentesimo quinquagesimo septimo, vt asserunt auctores.

Obeliscus ingenti magnitudine, Alexandriâ deuectus, Constantij Imperatoris iussu; Romæ in circo maximo erigitur, eodem Christi anno trecentesimo quinquagesimo septimo, teste Ammiano *lib.* 17. Hunc eodem in circo fractum, iacentem terraque sepultum, Sixtus Quintus in Lateranum trãslatum, ac penè in integrum restitutum, crucisque vexillo nobilitatum, Christi glorię consecrauit; *vt scribit Baronius.*

PRODIGIA.

Crucis signum, non vt cometes solet, diffusis radiis, sed multa in vnum collecta luce, visum est Hierosolymis, postridie nonarum Maij, anni trecentesimi quinquagesimi tertij, tantáque magnitudine, vt à Caluario monte, ad Oliueti

protenderetur, stadiisque vndecim in aëre suspensum hæreret. *Sozomenus lib. 4. c. 4. & Cyrillus Hierosolymitanus Episcopus in fine Catech.*

Horrenda solis defectio digitorum vndecim, contigit in oriente, octauo die Augusti anni trecentesimi sexagesimi, Constantij Imperatoris vicesimi quarti, Feria secunda sub ortum solis.

CALAMITATES.

Ingentes terræ motus Macedoniam, Asiam, & Pontum grauiter afflixere, anno Christi trecentesimo quinquagesimo octauo, Constantij Imperatoris vicesimo secundo, ac in primis Nicomediam, Bithyniæ vrbem. Prima siquidem luce diei noni Kalendarum Septembrium, concreti nubium globi, serenam cœli faciem, densa caligine, infecerunt. Mox summo numine fatales contorquente manubias, furentium procellarum vis magna incubuit, cuius subito impetu, montium fragor vndiquaque auditus est; dein maximo terræ concussu quatefacta ciuitas, fœda ædificiorum strage corruit. Tunc omnia gemitibus, clamoribus, & vlulatibus resonarunt; reductáque luce, funereæ hominum clades retectæ fuere, nonnulli enim superuenientium ruderum ponderibus extincti; alij trabibus suspensi; illi collisis capitibus, humerisque, atque cruribus diffracti, auxiliatricem manum succlamantes; isti denique animam agentes magno cum horrore visi sunt. Ad hæc adde incendium adeò atrox, & ferale, vt per quinquaginta dies, noctesque, quidquid vrbis, hominumque super fuerat, exhauserit.

Non prætermittam centum quinquaginta ciuitates, hocce terræ motu euastatas. *Ammianus lib. 17. Idatius, & alij.*

RES BELLICÆ.

Sapores Rex Nisibim graui obsidione cinxit, anno Christi trecentesimo quinquagesimo primo, Constantij Imperatoris decimo quinto, sed conatu irrito, immo fatali sorte.

Cæsis enim viginti hominum millibus coactus fuit illam soluere, tum Massageris hostibus regnum suum fœdè diripientibus occurrere. *Zonaras, & Bizarus lib. 4. Historiæ Persicæ.*

Fluctuabant res orientales, Isauricis latronibus longè, latéque grassantibus, anno Christi trecentesimo quinquagesimo tertio, Constantij Imperatoris decimo septimo. Persis insuper limitaneas regiones inuadentibus, ac Iudæis rebellantibus, quos Gallus Cæsar fortiter oppressit, multáque hominum millia cecidit. *Hieronymus in Chronico.*

Ad profligandum penitus Magnentium Tyrannum, aduolauit Constantius Imperator eodem Christi anno trecentesimo quinquagesimo tertio, pugnatumque est apud Mursam in finibus Pannoniæ, tantâ partium pertinaciâ, vt ea dimicatione in serenissimam noctem protracta, Imperij Romani vires consumptæ, atque exhaustæ (eo enim prælio vtrinque quinquaginta trium hominum millia desiderata fuere) Barbaris occasionem, omnia cæde, atque incendio miscendi præbuerint, victoriam tamen diuinis auspiciis retulit Constantius Imperator. Supremo vlciscente numine Constantis fratris sanguinem innocentissimum. *Aurelius Victor, Eutropius, Zosimus, & Hieronymus in Chronico.*

Gundomarus, & Vadomarius Alemannorum Reges, crebris incursionibus Gallias defœdantes, anno Christi trecentesimo quinquagesimo quarto, Constantij Imperatoris decimo octauo, Principis dexterâ prostrati fuere. *Ammianus.*

Agrippinam coloniam obsessam, captamque penitùs deleuerunt Germani, anno Christi trecentesimo quinquagesimo quinto, Constantij Imperatoris decimo nono. *Hieronymus in Chronico.*

Sueui in Græciam, quæ est Grisonum Prouincia, irruunt anno Christi trecentesimo quinquagesimo sexto, Constantij Imperatoris vicesimo. Quadi in Valeriam regionem vltimæ Germaniæ versus orientem, quæ hodie Stiria vocatur (*vt placet Æneæ Syluio*;) & Sarmatæ in superiorem Moësiam, & secundam Pannoniam; summa tamen fœlicitate ab Imperatore expulsi fuere. *Ammianus.*

Barbara gens, Galliæ regionis potiundæ auida, suóque

more, in illam effusa, eodem Christi anno trecentesimo quinquagesimo sexto, debellatur penitùs à Iuliano Cæsare, à quo etiam sub idem tempus Coponia Agrippina recuperatur, fœdusque initur cum Francorum Regibus. *Ammianus lib.* 16.

Primo vere anni trecentesimi quinquagesim. septimi, Constantij Imperatoris vicesimi primi idem Princeps Iulianus Germanos, Lugdunum vsque incursantes, victricibus fudit armis. *Auctor citatus.*

Ferale item bellum mouit eodem Christi anno trecentesimo quinquagesimo septimo, aduersùs Alemannos, qui collecto in vnum virium omnium robore, propè vrbem Argentoratum, & Rhenum fluuium consederant, vbi collatis signis, adeo cruento prælio, hostem deuicit, vt captis aliquot eorum Regibus, cruor amnium modo flueret, aceruique cadauerum, montium similes, assurgerent. Regem insuper Chonodomarum tantorum motuum auctorem Romam catenis vinctum, ad Imperatorem misit. *Ammianus.*

Constantius Augustus Sarmatas Pannoniam iterum variis cladibus proscindentes, anno Christi trecentesimo quinquagesimo octauo, principatus vicesimo secundo, omnino attriuit; ea propter Sarmaticus fuit nuncupatus. *Ammianus lib* 17.

Iuthurgi Alemannorum populi finitimi Rhetias penetrarunt eodem anno; Hos Barbutio peditum magister, partim cecidit, partim in fugam vertit. In illa pugna Neuitæ equestris turmæ præpositi virtus, maximè enituit. *Auctor citatus.*

Iulianus transacta Parisiis hyeme, singulari animi sagacitate, quod in arduis expeditionibus fieri suadet necessitas, frumento ad diuturnitatem vsus excocto, buccillatoque, vt vulgo appellant, humeris libentium militum, imposito, secundis vt antea auspiciis profectus, Francos Salio nomine, nuncupatos, qui olim in solo Romano apud Toxandriam, hoc est Brabantiam, sedem prælicenter collocarant, aggressus est eodem Christi anno trecentesimo quinquagesimo octauo. Mox Chumanos eadem celeritate adorsus, Rhenumque transgressus, Alemannos Regum suorum ferocià tumescentes, & rapinis ditescere assuetos, in ordinem redegit. *Ammianus lib.*17.

Isauros tumultuantes compressit Laurentius comes, anno

Christi trecentesimo quinquagesimo nono, Constantij Imperatoris vicesimo tertio. *Ammianus lib. 19.*

Sapores Mesopotamiam inuadens, anno Christi trecentesimo sexagesimo, Constantij Imperatoris vicesimo quarto, Amidâ antè expugnatâ, Syngaram capit, tum Bezabden, seu Phœnicem; Virtam insuper in finibus Mesopotamiæ, tentat, sed frustra. *Ammianus lib. 20.*

Scotos Pictosque vastitates magnas, maiori Britanniæ, inferentes, Lupicinus dux, armorumque magister bellicosus sanè, castrensisque rei peritus, fortiter repulit, eodem Christi anno trecentesimo sexagesimo. *Auctor citatus.*

TRIVMPHI.

Ingenti omnium ordinum pompâ, apparatissimoque comitatu, triumphali deuectus curru, æternam vrbem ingressus est Constantius Imperator, tertio Kalendas Maias, anni trecentesimi quinquagesimi sexti, principatus vicesimi. Incedebat hinc inde armatorum clypeatus ordo, cataphractique milites, thoracum muniti tegminibus, ac limbis ferreis cincti, ita vt Praxetilis polita manu credidisses simulachra, non verò homines, quos laminarum circuli variis flexibus ambiebant, per omnia ducti corpora. Tùm faustis acclamationibus, atque applausibus, Augustus salutatus, magno lituorum, vocumque fragore, in palatium deductus est. *Ammianus.*

REI INSIGNES.

Gallus, Polæ, apud Istriam Cæsaris insignibus exutus, capite plectitur, anno Christi trecentesimo quinquagesimo quarto. *Socrates lib. 2. c. 27. & alij.*

Numerius Galliæ Narbonensis Proprætor furti accusatus, (populares siquidem suos infinitis direptionibus vexarat) in ius, à Iuliano Cæsare, vocatur, anno Christi trecentesimo sexagesimo, Constantij Imperatoris vicesimo quarto. *Ammianus.*

OBITVS

OBITVS ILLVSTRES.

Magnentius Tyrannus, deſperatis rebus, apud Lugdunum in Gallia mortem ſibi intulit tertio idus Auguſti anni trecenteſimi quinquageſimi tertii, Conſtantij Imperatoris decimi ſeptimi. Decennius vero ipſius frater, decimo quinto Kalendas Septembris eiuſdem anni laqueo ſe ſuſpendit. *Victor*, *Eutropius*, *Zoſimus*, *& Hieronymus in Chronico*.

Conſtantina Conſtantini Magni Imperatoris filia, repentina febrium vi periit, anno Chriſti trecenteſimo quinquageſimo quarto, Conſtantij Imperatoris decimo octauo. *Ammianus*.

Helena Iuliani Cæſaris vxor, vitâ functa eſt, anno Chriſti trecenteſimo, Conſtantij Imperatoris viceſimo quarto. Ipſius cineres, Romam, magno cum apparatu, deuehi curauit Iulianus, reponique in ſuburbano viæ Nomentanæ, vbi Conſtantina illius ſoror, Galli fratris coniux, condita fuerat. Hoc in loco per celebre ſanctæ Agnetis virginis templum à Conſtantino Magno, Conſtantia eius filia expoſcente, magnis extructum ſumptibus etiamnum viſitur, vnà cum Conſtantiæ mauſoleo porphyretico, in baptiſterio, apud eandem Baſilicam collocato. *Ammianus lib. 21.*

DECAS SEPTIMA.

CONSTANTII IMPERATORIS Gesta, atque Obitus.

CERTIOR factus de Iuliani Cæsaris imperio, Vidomari Galliæ Regis animos in Iulianum Principem accendit, anno Christi trecentesimo sexagesimo primo, principatus vltimo. *Ammianus lib. 21.*

Eusebia coniuge iam pridem extincta, Faustinam duxit eodem Christi anno, ex qua, Constantia posthuma nata est, quæ Graciano Principi postea nupsit. *Auctor citatus.*

Audito nuntio quod Iulianus Italiam, & Illyricum, cursu citatissimo, prætergressus Succorum claustra occupasset, auxiliisque vndique conquisitis, magna armatorum multitudine stipatus in Thraciam properasset; Persici belli consiliis abiectis, eo maximè, quod Persarum Rex ad propria diuertisset, autumno iam senescente, Antiochiam primùm, dein Tarsum accessit, illud identidem ad mentis solamen dictitans, parum se feliciter cum externis hostibus; cum perduellibus autem, aut ciuilibus bellis prospere semper res peregisse. Verum cum Tarsi versaretur, leui iactatus febri, moræque impatiens, Mopsuestiam Ciliciæ oppidum petiit, vbi ardentiori æstu correptus interiit, anno Imperij vicesimo quarto, mensibus quatuor, & diebus quatuordecim, cùm certum sit, ipsum, à Constantini Magni obitu, imperasse, anno trecentesimo tricesimo septimo, vndecimo Kalendas Iunij, vsque ad trecentesimum sexagesimum primum; *Victor, & Ammianus lib. 21.*

ICON,

CONSTANTII IMPERATORIS.

CONSTANTIVS, *patre Constantino Magno, matre Fausta, prognatus; Princeps spectatissimus; laboris patiens; bellis ciuilibus fœlix; animi magnitudine illustris; imperio natus, omnique gloria dignus; ni ambitio nimia, summaque libido, qua continuò deflagrabat, illius purpuram fœde deturpasset. Adde seueritatem, ad quam ita pronus erat, vt Caligulæ, Domitiani, atque Commodi immanitatem æmulatus, primis imperij annis, sanguine sibi coniunctos principes nece affecerit. Constantis fratris cædem vlturus, Gallo Cæsaris nomine, orientisque præfectura ornato, in Magnentium Tyrannum mouit; ex quo insignem licet, non incruentam tamen victoriam reportauit. Iulianum, Galli fratrem contra Alemannos Gallias euastantes, misit: Quem cum, ob res fœliciter gestas, Augustam salutatam didicisset, bellum ciuile, Parthicis rebus abiectis, apparans, febri Mopsuestiæ extinctus est.*

IVLIANI IMPERATORIS Gesta, atque Obitus.

COnstantio patruele moruo, solus rerum potitus est, anno Christi trecentesimo sexagesimo primo, magnisque

itineribus Constantinopolim profectus, vrbem tertio idus Nouembris armatorum, togatorumque agminibus stipatus ingressus est; tum Romani Imperij liberas habenas nactus, eiuratis Christianæ fidei Sacramentis, nihil antiquius habuit, quam vt collapsum, Constantini Magni, ac filiorum æuo, idolorum cultum restauraret; Deorum fana recluderet, ac tandem in Pontificem Maximum, sacrorumque Eleusiniorum Antistitem, consecraretur. *Ammianus lib. 22.*

Porro, ritus, quo Pontifex initiabatur, hic fuit. Sacerdotij huiusce candidatus primò foueam subibat, qua, rimosis deinde, ac multifariè terebratis tabulis, obtecta; Taurus aureis cornibus, frontéque, atque harmis, variis sertis, vittisque ornatus, supra foueæ illius tegumentum iugulabatur, Pontifexque in ea reconditus, sanguineum imbrem defluentem, toto corpore, atque ore in primis, & lingua, excipiebat; Collapso vero tauro, indeque remoto, & retecta fouea seu scrobe, nouus Pontifex, nouo purpuratus cruore, prodibat, cui effusa Mystarum, ac populi turba, salutem, faustaque omnia precabatur. *Vide Prudentium super hac re.*

Erecto, sub idem tempus, Chalcedone metuendo tribunali, omnes Constantij Principis familiares, qua nece, qua exilio mulctauit. Ad conciliandos tamen Christianorum animos, Episcopos iam longè ablegatos reuocauit, vno dempto Athanasio, *teste Mariana lib. 4. de rebus Hispaniæ*, quem, quia Constantio mortuo, Ecclesiam suam repetierat, latebras mortis metu, captare compulit.

Ciuitates ingentibus tributis exhaustas, ac penè desertas, mœnibusque obrutas, collectâ ex ærario pecuniâ, in antiquum splendorem restituit; Romanæ denique vrbi eodem Christi anno trecentesimo sexagesimo primo maximè periclitanti abunde subuenit. *Ammianus lib. 22.*

Permultos doctrinâ præstantes viros accersiuit, quorum alios, ad magnos honorum gradus, euexit; alios prandio, cœnáve dignatos, probeque elusos, emisit anno Christi trecentesimo sexagesimo secundo, principatus primo. *Mamertinus in panegyrico.* Sanciuit item ne quis Christianus Gram-

maticus pueros doceret, aliasque liberales artes, atque disciplinas traderet. *Hieronymus in Chronico.* Labarum quod præcipuum totius exercitus vexillum fuerat, à Constantino Magno, ex viso crucis ostento, efformatum, immutauit: iussitque vt milites, dum donatiuum pro more acciperent, thus anteà adolerent, vel cingulum deponerent. *Theodoretus lib. 3. c. 5. Sozomenus lib. 6. c. 6. Socrates lib 4. c. 10.* Vrbem Constantinopolim patrui odio, veteri nomine Byzantium appellauit, vbi decem mensibus commoratus, eam maximis incrementis auxit; Senatuque, portu, atque porticu, tum etiam Bibliotheca suis lucubrationibus, ingeniique operibus illustrata, decorauit. *Teste Zosimo lib. 3.*

Antiochiam petiturus Chalcedonem appulit, vbi Persarum Regis legatos nactus, & eos Christianos, quasi Persarum auitæ religionis vindex, contra ius gentium, supplicio mulctauit. *Nicephorus lib. 10. c. 11.* Famosum illud matris Deorum Idolum, Pessinunte in Phrygia, restituit. *Gregorius Nazianzenus in Iulianum.* In Persas profectus, Antiochiam se contulit, vbi à populo derisus, satyrico libro, quem Misopogonem inscripsit, se vltus est. *Auctor citatus.*

Rescriptum dedit ad populum pridie idus Februarij anni trecentesimi sexagesimi tertij, principatus secundi, de non violandis sepulchris, neque efferendis cadaueribus. *L. 3. de sepulch. viol. codice Theodosiano.* Prouinciarum item Præfectos creauit, fauitque Iudæis. *Ammianus, lib. 23. Sozomenus lib. 5. & Orosius.*

Vere primo contra Persas mouit, nouitque se post reditum Christianos immolaturum. *Hieronymus in Chronico.* Edessam prætergressus, Carris substitit, vbi specum quandam nactus, penetrauit, in eaque nefanda peregit sacra, tum, mulieris ventre dissecto, victoriam explorauit, *vt refert Cedrenus.* Eo tempore demirandum illud contigit, à Christiano quodam, factum responsum Libanio Sophistæ, petenti quid ageret fabri filius: loculum, inquit, Iuliano fabricat. *Theodoretus lib. 3. cap. 18.* Tandem à Persis interceptus, rerumque omnium inopiâ laborans, emisso, incertum cuius manu, in medio

conflictu, jaculo confoſſus eſt, moxque in has erumpens voces: viciſti Galilæe, ſatia te ſanguine, quem ſitiſti Nazarene, miſerè deſiit ſexto Kalendas Iulias, anni Chriſti trecenteſimi ſexageſimi tertij. In eo Conſtantini Magni ſoboles extincta fuit. *Eutropius, Theodoretus, Mariana, & alij.*

ICON

IVLIANI APOSTATÆ IMPERATORIS.

IVLIANVS, *patre Constantio, Constantini Magni fratre, & Bassilina genitus; vir ingenio sublimi; eruditione summa; memoria tenacissima; in amicos liberalis; ciuilis in cunctos; in Prouinciales iustus; tributorum parcus; gloriæ cupidus; domi forisque adeo fœlix, vt prudentiâ Titus alter, Vespasiani filius, haberetur, bellorum gloriosis cursibus, Traiano simillimus; clemens, vt Antoninus, & vt Marcus Aurelius, moderatus; magnis certè quibusque Imperatoribus exæquandus, si veram pietatem, qua à teneris annis ab Eusebio Nicomediæ Episcopo, imbutus fuerat, ad extremum spiritum retinuisset, nec magicis artibus, atque libidinibus, deditus fuisset, seque, ætate confirmata, Libanio Rhetori, non tradidisset, religione deserta, vnde, Apostatæ cognomen meruit. A Constantio patruele adoptatus, Cæsar creatus est, Galliisque præpositus, quas, Alemannorum depopulationibus, vastetas asseruit, eorumque Regem cepit; tum Augustus Parisiis acclamatus, bellum ciuile in Constantium parauit; quo febri Mospuestiæ extincto, rerum solus potitus ingenti apparatu in Persas signa mouit, vbi inconsultiùs prælio se inserens, lethali percussus vulnere, iustè cecidit, anno ætatis trigesimo primo, Imperij verò secundo, nondum emenso.*

IOVIANI IMPERATORIS Gesta, & Obitus.

IVliano Apostata extincto in oriente, ipso elucescente die quinto Kalendarum Iulij anni trecentesimi sexagesimi tertij, Iouianus, totius exercitus suffragio Imperator salutatur, non suscepto tamen prius principatu, quin duces omnes, ac milites, Christianos se fore profiterentur. Quare eos statim à gentilitio cultu, ad Christianam religionam traduxit. *Sozomenus lib. 3. c. 3. Theodoretus lib. 4. c. 1. Socrates, Ruffinus, & alij.*

Cum Sapore Rege, necessariam magis, quàm honestam pacem, ad annos triginta pepigit Nisibi vrbe celeberrima, & magna Mesopotamiæ parte, ei relicta. *Ammianus, & Hieronymus in Chronico.* Idolorum delubra claudi; immo incendi iussit; quòd in eorum adytis, permultæ humanæ victimæ, à Iuliano Principe cæsæ fuissent. *Socrates.* Proscriptos, religionis Christianæ causâ, viros illustres reuocauit, inter quos fuit Valentinianus in Melitena Armeniæ relegatus, futurusque Imperator, hunc in pristinum militiæ gradum restituit. *Sozomenus.*

Sanctissimas leges nouus Augustus promulgauit, quibus Ecclesiæ olim reissum, à Constantino Magno congiarium conferri iussit. Sacratasque Deo virgines ad matrimonium cogi, ne dum rapi vetuit. *Sozomenus, lib. 3. de Epis. & Cler. & l. 1. de rapto. cod. Theo.* Contra spem omnem, & expectationem, Philosophos, immò & Magos, Maximum præcipuè, & Priscum Christianorum hostes, & quos Iulianus in Persidem secum deduxerat, summo honore coluit, *vt testatur Eunapius.* Qua in re diuinum numen non leuiter in se concitauit. Antiochiæ commorans templum Traiani, quod illi, tanquam Diuo, Adrianus erexerat, instigante vxore, flammis penitus consumpsit. *Suidas, Nicephorus, & alij.*

Constantinopolim petiturus, ipsis Kalendis Ianuariis, quibus nouis consulibus nouus aperiebatur annus, Ancyram simul Galatiæ vrbem, & consulatum iniit, collega sibi adscito paruulo filio, Varroniano, aui nomine, nuncupato. Iamque Dadastanam,

Dadastanam, finitimum Galatiæ, Bithyniæque oppidum peruenerat, cum decimo tertio Kalendas Martias anni trecentesimi sexagesimi quarti, siue cruditate stomachi, siue ex recenti cubiculi tectorio, animam exhalauit, adepto Imperio clarior, quàm gesto. *Socrates*, *Ammianus*, *Hieronymus in Chronico*, *Eutropius*, *Mariana*, *&* *alij.*

ICON
IOVIANI IMPERATORIS.

IOVIANVS, *seu Iouinianus, Singidone in Pannonia, patre Verroniano genitus, natura liberalis; procero corpore; ingenio amœno; virtutumque omnium gloriâ, ac præsertim Christianæ religione clarus; Augustus acclamatus, gentilibus imperare recusauit, ni sacris mysteriis initiati, Christianam profiterentur fidem. Tum rebus turbatis, & exercitu magna inopia laborante, victusque vno, aut altero prælio à Persis, turpissimo fœdere pacē ab hostibus redimere coactus fuit. Dein leges multas, atque perutiles edidit. Sacrificia aboleri iussit. Idolorum templa clausit, incenditque. Vectigalia Ecclesiis restituit. Exules reuocauit. Filium suum in Collegam assumpsit. Tandem Dadastanæ, in confinio Galatiæ, & Bithyniæ obiit Imperij mense septimo, & diebus viginti. Si non certum, saltem dubium reliquit hic Imperator, vtrum melius non imperare omnino, quam imperare malis.*

VALENTINIANI IMPERATORIS Occidentis, & Valentis Orientis Gesta.

IOuiniano defuncto, Flauius Valentinianus scholam secundam scutariorum regens apud Cibalim Pannoniæ oppidum, proximo, post bissextilem, ominosum, atque infaustum habitum, die, hoc est sexto Kalendas Martij, anni trecentesimi sexagesimi quarti, Nicææ, Imperator creatus est, tum negotiorum mole oppressus, Valentem, fratrem, Augustum Constantinopoli, in milliario septimo, quarto Kalendas Aprilis, appellauit, eóque oriente commisso, ipse in occidentem concessit. *Idatius*, *Ammianus*, *Socrates*, & *Zosimus*.

Leges eodem anno sanciuit, quibus & Magicos apparatus, & sacrificia prohibuit; Christianos item, quo Iulianus Princeps à docendi munere eiecerat, reuocauit. *L. 7. de Malef. & 6. de profess. Cod. Theod.*

Rescripta alia dedit anno Christi trecentesimo, sexagesimo quinto, principatus secundo, quibus voluit, vt sacræ virgines, viduæ, ac pupilli exempti essent à censu capitationis; neue Christiani ab exactoribus, die dominico conueniri possent; ne insuper artes magicæ addiscerentur, aut docerentur. Denique ne illi qui è curia, ad munia clericatus confugerant, vllis potirentur immunitatibus concessis clericis, nisi decennio, in clericali functione, perseuerassent. *L. 4. de Censu. l. 1. de exactio. 8. de Males. 19. de Episc. & Cler.*

Febre haud semel tentatus Gratianum filium suum tum primum pubescentem & Augustum creatum apud Ambianum in Galliis nono Kalendas Septembris in Collegam assumpsit, anno trecentesimo sexagesimo septimo, principatus quarto. Mox illum corona, atque omnibus supremæ fortunæ ornamentis insignitum deosculatus, ad tam nobile, atque augustum munus, ad quod adscitus fuerat, egregiè obeundum, totis animis adhortatus est. *Ammianus*, *Idatius*, & *alij*.

Laude certè dignum rescriptum dedit idem Princeps, anno trecentesimo septuagesimo, principatus septimo, quo Roma-

nis ſcholis conſultum voluit, omnibus interdicens ne ſupra annum ætatis viceſimum liberalibus artibus operam nauare poſſent. *L. 1. de ſtudiis*, edixit inſuper vt virgines, viduæ, & pupilli à cenſu plebis eximerentur. *L. 6. Cod. Theo.*

Valens Imperator baptiſmum ab Eudoxio Arriano Epiſcopo, impellente vxore, ſuſcepit, eique hæreſi iureiurando ſe obſtrinxit, anno Chriſti trecenteſimo ſexageſimo ſexto, principatus tertio. *Theodoretus lib. 4. c. 10.*

Idem agonem, hoc eſt ludicra certamina, reſtituit, anno Chriſti trecenteſimo ſexageſimo nono, principatus ſexto, *vt referunt Idatius, & Hieronymus in Chronico.* Anno verò ſequenti crudelitatis inſuper illuſtre ſpecimen dedit in philoſophos; quod, malis artibus, futurum principem inueſtigaſſent; immò etiam, nomen, magna ex parte, ſe aſſecutos euulgaſſent, ſortéque didiciſſent, hiſce primis litteris Theod. conſtare. Quæ quidem deliria, malo ſuo, atque aliorum fato, commenti fuerant; cum & diras quæſtiones paſſi ſint, & tot morti addicti, *vt Sozomenus lib. 6. c. 35.* ſcribat omnes penè gentiles philoſophos fuiſſe extinctos; neque eos tantùm, ſed compluces etiam alios, qui infauſtum tum quidem, Theodori, Theoduli, aut perſimile nomen aſſumpſerant. Vnde factum, vt innumeri hancce ominoſam appellationem depoſuerint, aliamque longè ab ea diuerſam, aſſumpſerint.

Porro Theodorus quidam inter Principis ſatellites annumeratus, formâ, ac natalibus illuſtris, & in quem coniectorum vota reſpexerant, Valentis Imperatoris, iuſſu igni eſt traditus. Illum, Gallum genere fuiſſe *tradit Ammianus.* De alio Theodoro Sculo eadem ex cauſa ſupplicio affecto, multa Chryſoſtomus. De Te odoſiolo verò vide Socratem *lib. 4. c. 5.* qui ait eum ex patricio ſanguine natum, Imperioque dignum hăbitum & ab Hiſpania, ad Valentem adductum, morte mulctatum fuiſſe.

HEROES

Sanguine, Gestis, & Politia.

Victor Historicus vir consularis, æneáque donatus statuâ secundæ Pannoniæ præest, anno Christi trecentesimo sexagesimo primo. Mamerrinus præfectus prætorio fastis inscribitur anno sequenti, *vt testatur Ammianus lib. 21.* Capitolinus toti Thraciæ imperat. Libanius orator Antiochenus quæsturâ ornatur Themistius verò vrbis Constantinopolitanæ præfecturâ, *Teste Mamertino in Panegyrico.* Cæsarius denique Gregorij Nazanzeni frater, & quem Constantius in Senatum adoptarat, quæstor simul, & comes rerum priuatarum, constituitur. *Gregorius oratione de laudibus Cæsarij.*

Salustius Imperatori percarus, Galliarumque præfectus amplissimum iniit magistratum, anno Christi trecentesimo sexagesimo tertio, Iuliani Imperatoris secundo. Octauianus proconsulari dignitate res Africæ administrat. Venusto Hispaniæ commissæ sunt. Orientis comes Ruffinus Arabius eligitur; & Heliopolitis naturâ sæuus, & ferox Syriæ prouinciam eodem Christi anno, suscipit. *Ammianus lib. 23.*

Clearchus è Thesprotis, Epiri regiunculâ oriundus, opulento genere, & secunda fama, vniuersam regit Asiam, anno Christi trecentesimo sexagesimo quarto, Valentiniani, & Valentis Imperatorum primo. *Eunapius.*

Procopius natione Cilix, cui à Iouiano Principe cura demandata fuerat deferendi è Perside, ad Tarsum vsque, Iuliani cadauer; persolutis cognato suo inferiis, derepente euasit; nec nisi multo post, licet ingenti studio perquisitus, prodiit purpuratus Constantinopoli, vbi orientis Imperij tyrannidem arripuerat, eodem Christi anno trecentesimo sexagesimo quarto. Mox tamen à Valente Augusto oppressus in Phrygia, captusque, tum ad eam deductus, periit sexto Kalendas Iunias anni trecentesimi sexagesimi sexti, Valentiniani, & Valentis Imperatorum tertij. Eo sublato Marcellus Imperium apud Nicæam inuadit; Hic tamen à Valentis Principis militibus inter-

ficitur, *vt asserit Ammianus lib. 26.*

Lampadius æternæ vrbis Præfectus creatus, anno Christi trecentesimo sexagesimo sexto, Valentiniani, & Valentis Imperatorum tertio, expensas, quæ in magnificentissima munerum editione, pro more exhibebantur, pauperibus in Vaticano degentibus erogauit. Dagalaiphus vir antiqua peritia probatus, militiæque rector à Iouiano Principe constitutus, consul creatus est eodem anno. *Ammianus lib. 26.*

Lupicinius magister equitum, ob rem feliciter gestam aduersus Procopium consulares item assumpsit fasces, anno Christi trecentesimo sexagesimo septimo, Valentiniani, & Valentis Imperatorum quarto; Iouinus, qui insignem victoriam de Alemannis retulerat eodem etiam honore auctus est. *Baronius.*

Arsaces Armeniæ Rex Christianâ pietate maximè clarus, dolo pacis, à Sapore Persarum Principe captus, dirissima passus est, anno Christi trecentesimo sexagesimo nono, Valentiniani, & Valentis Imperatorum sexto. Athanaricus primus Gothorum Rex, magno habetur in pretio apud omnes proceres. *Ammianus lib. 27.*

VIRI ERVDITI.

Acacius Sophista, Cæsareæ Palæstinæ Rhetor illustris, contentione, atque spiritu, si quisquam alter, plenus; Eius dictio ad manuum plausum prisco dicendi genere accedebat; de eo multa Libanius, cui librum de dexteritate ingenij dicauit, & in quo Acacij mirabilem indolem, animique magnitudinem atque præstantiam fusè descripsit.

Nymphidianus Smyrnæus doctrinæ laude percelebris, Maximique Philosophi frater, quem Iulianus dictandis Epistolis, quæ Græca lingua scribendæ forent, præfecit; licet componendis declamationibus, atque disceptationibus, magis appositus esset.

Quamplures hoc temporis tractu medici floruerunt, inter quos fuit Zenon Cyprius, è cuius schola Magnus, Oribasius, & Ionicus, viri famâ clarissimi prodiere.

Magnus Antiochiâ, quæ trans Euphratem ſita eſt, nunc Niſibis appellata, oriundus, Alexandriæ magna cum laude docuit; ad eum enim peregre & nauigio, & terreſtri itinere, omnes turmatim confluebant, tum vt illius ingenij acumen, atque ſplendorem ſuſpicerent; tum vt multa, variaque medicæ diſciplinæ arcana, atque myſteria penetrarent.

Oribaſius Pargamenus honeſtis natus parentibus, à pueritia grande ſibi nomen, ob liberalium artium doctrinam ſingularem comparauit; Iuueniles annos ingreſſus, ad ſummum medicæ artis faſtigium, magnis curſibus peruenit. Hunc Iulianus Imperator, maximis honoribus, dotibuſque ingentibus auxit; apud exteros Reges ſummâ valuit famâ; immo tanquam diui num aliquod numen à Barbaris colebatur; vbique ſiquidem illius virtus abunde elucebat.

Ionicus Sardianus patre inſigni medico genitus, corporis, atque humanæ naturæ indagator eximius, Rhetoricam ſtudioſè, atque Logicam excoluit, facultatis tamen poëticæ minimè rudis.

Chryſanthius Philoſophus ordinis ſenatorij, ac nobilitate, ciuitatis ſuæ facilè princeps; Eius auus fuit Innocentius, vir copioſus, & locuples; condendarum legum arbitrium, & auctoritas, Imperatorum conſenſu commiſſa illi fuerat. Extant ipſius libri, Romanâ, Græcáque lingua perſcripti, & qui in expendendis rebus, peracre iudicium, & Ingenij acumen teſtantur. Platonis, atque Ariſtotelis doctrinâ imbutus, vniuerſæ philoſophiæ animum adiecit; deinde, in eloquentiæ cognitione vires omnes ac robur collegit; quâ in facultate expeditus, promptuſque continuo vſu redditus; nec defuit animus in edendo felici ſpecimine, cùm eloquendi, & ſcribendi peritiſſimus euaſerit. Denique octogenario maior, propria manu, tantum librorum exarauit, quantum vix alij, iuuenta florentes, percurrere poſſent. Hinc factum, vt extremi digitorum illius articuli ob iuge, & indeſeſſum ſcribendi ſtudium, curuati, contractique fuerint.

Helleſpontius è Gallia oriundus, vir multiplici rerum ſcientia clariſſimus, Chryſanthio ſiquidem vno excepto, primus omnium iure habebatur, *Eunapio teſte.*

NATALITIA AVGVSTA.

Natus est Valentiniano Imperatori decimo quinto Kalendas Februarij anni trecentesimi sexagesimi sexti, principatus quarti, filius ex Iustina, Arriana fœmina, quæ Magnentij vxor fuerat, *vt testatur Ruffinus lib.* 4. Hunc, Princeps, Valentinianum nomine appellauit. *Socrates lib. 6. c. 9.*

REGNORVM ORTVS.

Gothi, è sedibus, patrioque solo egressi, prima Regni sui fundamenta, posuerunt, anno Christi trecentesimo septuagesimo, Valentis Imperatoris septimo, *vt referunt Gothorum Historiæ, Eusebius, & alij.* Primus verò huiusce Imperij Rex, fuit Athanaricus, Christianæ religionis hostis infensissimus; ipso enim principatus sui exordio, fidem, vario suppliciorum genere, penitus extinguere conatus est.

OPERA PVBLICA.

Chalcedonis muri instaurantur, anno Christi trecentesimo sexagesimo sexto, Valentiniani, & Valentis Imperatorum quarto. *Socrates lib. 7. c. 21.*

Porro Chalcedon vrbs est Asiatica, ad Bosphorum Thracium, à Megarensibus condita, qui cùm oppositum littus, longè fœlicius, & in quo postea, Byzantium tanto apparatu, atque splendore extructum fuit, non elegissent, cæci dicti sunt. Plinius Chalcedonem ciuitatem liberam vocat; Curopalates in libris de Officialibus Constantinopolitanis, Iustinianam tertiam. Petrus verò Gyllius asserit esse hodie exiguum vicum, sine vllis mœnium vestigiis.

Valens Imperator, Constantinopoli vrbi, aquarum inopiâ laboranti, aquæductum, quem Valentem appellauit, tum ad varios vsus, tum præcipuè ad balnea perutilem ædificauit eodem Christi anno trecentesimo sexagesimo sexto, *vt scribit Zonaras,* Clearchus item eiusdem ciuitatis præfectus, Nymphæum

phæum maximum, hoc eſt Nympharum ædem, in platea, quæ nunc Theodoſij dicitur, ad teſtandum gratum animum, excitauit. *Hiſtoria tripartita lib. 7. c. 21.*

PRODIGIA.

Vix Illyrici fines attigerat Iulianus Princeps, anno Chriſti trecenteſimo ſexageſimo primo, Conſtantij Imperatoris viceſimo quinto, cùm vites circa Vergiliarum occaſum acerbis vuis, ac minimè maturis, onuſtæ viſæ ſunt. Ros inſuper è cælo decidit, qui ſingulis ſuis guttis mirabilem crucis effigiem tum in propria, tum etiam in comitum ſuorum veſte, magno adſtantium ſtupore expreſſit. *Sozomenus lib. 5. c. 1.*

Eodem Imperatore ſacris operante, anno Chriſti trecenteſimo ſexageſimo ſecundo, victimarum exta coronatam crucem prætulerunt. *Sozomenus lib. 5. cap. 2. Nicephorus lib. 1. cap. 3.*

Facta Iudæis copia, à Iuliano Principe, anno Chriſti trecenteſimo ſexageſimo tertio, Hieroſolymotum templum, à Tito dirutum, iterum ingentibus ſumptibus reſtaurandi; Negotij totius cura Alipio Antiochenſi commiſſa fuit; Hic cùm vehementer inſtaret, & à Prouinciæ Rectore, populique numeroſa multitudine, magno conamine iuuaretur; Siquidem concurſu maximo Hieroſolymam Iudæorum facto, viri pariter ac mulieres, ciſtis ad conuehendam materiam deficientibus, ſinu eam, veſtibuſque magni pretij importarunt; Ignei globi, crebris inſultibus è fundamentis ſubinde erumpentes, opifices omnes, earumque ex argento compoſita, ad tantum opus maturandum, inſtrumenta, ligones puta, palas, ſportas, & alia huiuſmodi victricibus flammis comburentes, locum inacceſſum fecere. *Ammianus lib. 23.* Adde crucem in cœlo apparuiſſe, veſteſque omnium, qui intererant, crucis ſigno conſignatas fuiſſe. *Ruffinus lib. 4. c. 38. & 39.*

Apud Attrabatas, Galliæ populos lana pluuiæ mixta, ex aëre decidit, anno Chriſti trecenteſimo ſexageſimo octauo, Valentiniani, & Valentis Imperatorum quinto. *Euſebius in Chronico.*

CALAMITATES.

Apollinis Daphnæi templum ab Antiocho Epiphane conditum, flammarum vi consumptum est, anno Christi trecentesimo sexagesimo secundo. Nicomedia sub idem tempus terræ motu collapsa, & Nicææ portio non mediocris. *Ammianus lib. 22.*

Ædes, Apollini Palatino sacratæ, ex quibus omnis diuinatio hauriebatur, Romæ conflagrarunt, anno Christi trecentesimo sexagesimo tertio, Iuliani Apostatæ secundo; Cumanáque carmina combusta penitùs fuissent, ni Romani ad hocce incendium extinguendum, turmarim confluxissent. *Ammianus.*

Tot tamque ingentes terræ motus per vniuersum orbem grassati sunt, anno Christi trecentesimo sexagesimo quinto, Valentiniani & Valentis secundo; quales nec vlla hactenus ætas, suis historiarum monumentis, nec ipsæ etiam fabulæ, exposuerunt.

Prima enim luce, vi magna fulgurum præuia, totus orbis concussus fuit; mare dispulsum, retro euolutis fluctibus, abscessit, retectaque profundorum voragine, multiformes natantium species limo adhærentes in conspectum venere; relapsa iterum horrenda illa aquarum multitudo, infinita penè hominum millia, variasque vrbes amplissimas submersit; recurrentium denique æstuum incitata vertigine, naues innumeræ funditùs periere; Aliæ, vehementibus ventorum flatibus abreptæ, summis tectorum culminibus insedere, quod Alexandriæ contigit; Aliæ demum ad secundum fere lapidem à littore, contortæ fuere. *Ammianus lib. 26.*

Stupendæ magnitudinis grando petrarum in modum, cecidit Constantinopoli, anno Christi trecentesimo sexagesimo septimo, Valentiniani, & Valentis Imperatorum quarto, finitimaque vrbi loca, fœdissimè deuastauit; Cæsa hominum magna multitudine; qua ingenti clade, prouincias alias affectas fuisse, ac præsertim Cappadociam, testis est celebris illa oratio de plaga grandinis inscripta, dictáque Nazianſi à Gregorio theologo. Insecuta est insuper fames, post hominum

memoriam atrociſſima, quæ orientem penè vniuerſum populara eſt.

Longè latéque magnis terræ motibus oriens rurſum quaſſatus eſt, & Nicæa Bithyniæ funditùs euerſa, anno Chriſti trecenteſimo ſexageſimo octauo, Valentiniani, & Valentis Imperatorum quinto. *Hieronymus in Chronico, Euſebius & Socrates lib. 3. cap. 10.*

RES BELLICÆ.

Iulianus Apoſtata appetente vere, tertio nonas Martias anni trecenteſimi ſexageſimi tertij, ductis contra Perſas copijs, felici marte aliquantulùm progreſſus, oblatas pacis ab eorum Rege honeſtas conditiones ſtolidè reiecit; dein, pari imprudentia, nauigiis, quæ ad ſubſidium ſecundo flumine comitabantur, exuſtis, omnique intercluſo commeatu, à Barbaris interceptus, confoſſuſque jaculo, incertum à quo emiſſo, à ſuiſne, vel hoſtibus, aut Mercurio martyre, haſtæ indicio in eius ſepulchro repertæ, profuſo ſanguine occubuit. *Mariana lib. 4. de rebus Hiſpaniæ. Ammianus lib. 24. & 25. & Zoſimus.*

Barbari, audita Iuliani Imperatoris morte, Romanum orbem ferociùs inuadunt; Mauri Africam; Quadi Pannoniam; Germani Galliam, & Rhetias; Scoti, Pictique Britanniam; ad quorum impetus propulſandos Valentinianus Princeps ingentem duxit exercitum, anno Chriſti trecenteſimo ſexageſimo quarto, principatus primo; quo tempore Valens illius frater contra Procopium Iuliani cognatum, Imperium orientis occupantem feſtinanter contendit. *Ammianus lib. 26. & 27.*

Alemannos in Gallias rurſum irrumpentes Valentinianus feliciter debellauit, anno Chriſti trecenteſimo ſexageſimo ſexto, principatus tertio. Valens verò ciuili perfunctus bello, externum aduerſùs Gothos, qui Thraciam penetrarant, ſuſcepit, trienniòque geſtum eſt. *Auctor citatus.*

Theodoſius peditum magiſter contra Scotos, Pictoſque, qui occiſis Romanis ducibus, Britanniam ceperant, mittitur, anno Chriſti trecenteſimo, ſexageſimo ſeptimo. Hic fugatis aliis, Scotos ad ſuas paludes redegit, *vt refert Sigonius, Socrates, & alij.*

Valens in Gothos irerum arma capit, anno Christi trecentesimo, sexagesimo septimo. Persarum Rex, Armeniâ subactâ, Romanis bellum infert. Moguntia nobilis Germaniæ vrbs, maximam cladem sub idem tempus experta est; siquidem Ragalifrandi, latronum ducis fraude capta, ciuibusque cæsis, rebus omnibus spoliata fuit. *Ammianus lib.* 27.

Gothicum bellum, quod aduersus Athanaricum ducem Valens Imperator susceperat, conficitur anno Christi trecentesimo sexagesimo nono, principatus sexto, redempta ab eo pace, ingenti pecunia.

Sapores Persarum Rex rupto federe, Arsacem Christianum Armeniæ Regem dolo pacis, & conuiuij captum, effossis oculis, aureisque catenis vinctum, ad castellum, Abagana nomine dictum misit, vbi acerbè acceptus, ferro tandem periit. *Auctor citatus.*

Aduersus Alemannos mittitur Theodosius à Valentiniano Principe, anno Christi trecentesimo, sepruagesimo, Imperij vndecimo cruentaque edita strage, captiuos plurimos in Italiam deduxit. *Ammianus lib.* 28. *& Orosius.*

REI INSIGNES.

Taurus Consul ordinarius anni trecentesimi, sexagesimi primi; Palladius magister officiorum; Euagrius comes rei priuatæ; Saturninus ex cura palarij, & Cyrinus ex notario, in exilium amandati sunt, quòd Constantio Principi fauissent maximè; Florentius verò alter Consul, eiusdem rei conscius, capitis crimine absens damnatur. Vrsulus denique largitionum comes, Apodemius, & Paulus, cognomento Catena, viui combusti sunt. *Ammianus lib.* 22.

OBITVS ILLVSTRES.

Procopius Tyrannus periit in bello, anno Christi trecentesimo, sexagesimo sexto; Eiusque caput Parisios ad Valentinianum Imperatorem transmissum est. Marcellus item qui ei successerat, interficitur; eadem pænâ damnatus Arsaces Rex

Armeniæ à Sapore captus. *Ammianus lib. 26. & 27.*

FVNERA.

Iuliani Apoſtatæ corpus, pro rerum copia, & temporis curatum eſt, in eoque loco conditum, quem ipſe ſibi elegerat, Tarſi nimirum in Cilicia, *vt refert Ammianus lib. 25.* Eò tamen è Perſide non niſi cum maxima omnium vrbium, ac populorum ſubſannatione, deuectum fuit. Gregorius Nazianzenus aſſerit ſe audiuiſſe, huiuſce Principis cadauer, è terra, propter illius immane ſcelus, fœdiſſimè quaſſata, excuſſum fuiſſe, æſtúque vehementi longè procul eiectum, futuri ſupplicij funeſtum, atque infandum primordium.

DECAS OCTAVA.

VALENTINIANI IMPERATORIS Gesta, & Obitus.

FACVLTATEM aruſpicinam exercendi conceſſit gentilibus, anno Chriſti trecenteſimo, ſeptuageſimo primo, principatus octauo, ablegatâ tamen omni arte magicâ. *L. 2. de maleficiis cod. Theod.* Permiſit inſuper eodem anno, Victoriæ aram erigi, in capitolio, eique ſacra peragi. *Symmachus ad Valentinianum, & Ambroſius Epiſ.* 89.

Amicitiam, cum Macriano Alemannorum Rege iniit anno Chriſti trecenteſimo, ſeptuageſimo quarto, principatus vndecimo. *Ammianus lib.* 30.

Incurſantibus Quadis, ſeu Sarmatis, exercitum contra illos parans, in eorumque legatos pacem depoſcentes acriùs inuehens, apoplexiâ ſubitò correptus, interiit apud Pannoniam in Brigitione, decimo quinto Kalendas Decembris, anni trecenteſimi, ſeptuageſimi quinti, Imperij duodecimi; ætatis verò quinquageſimi quinti. Eſt autem Brigition vrbs ſuperioris Pannoniæ, in Danubij ripa, vbi olim erat legio Germanica decima quarta, non longe à fluuio, Arabon dicto. *Cuſpinianus.*

ICON

VALENTINIANI IMPERATORIS OCCIDENTIS.

FLAVIVS *Valentinianus, apud Cibalas, in Pannonia oppidum, patre Gratiano, obscuris natalibus ortundus, rerum summa, militari suffragio, potitus est. Princeps pace, atque bello clarus, solerti ingenio, rerumque variarum perito; temperantia singulari; Prudentia domi, forisque illustri, & religionis Christianæ integritate tanta, vt militiæ cingulum, fidei studio, abdicarit. Multa alia in eo egregiarum virtutum decora enituère, ac præcipuè Iustitiæ amor; ita vt in puniendis sceleribus, etiam nimius aliquando fuerit. Duos reliquit filios Gratianum nempè, ex priori coniuge, nomine Seuera, & hac superstite, ex Iustina Valentinianum. Quam ob rem, cum legè lata duarum vxorum fecisset potestatem, superiorem gloriam magna ex pa te defœdauit. Germanos perdomuit. Gothos ex Thracia, & Syria Parthos, depulit. Scotos in Britannia, & Firmum Africæ Tyrannum debellauit. Tandem ad Sarmatarum, seu Quadorum arma coërcenda profectus, subita sanguinis profusione, extinctus est.*

GRATIANI IMPERATORIS OCCIDENTIS & Valentiniani iunioris fratris Gesta.

EXtincto Flauio Valentiniano, Gratianus eius filius, iam annos antè septem, Augustus nuncupatus, solus cum Valente patruo imperare cepit, anno Christi trecentesimo septuagesimo quinto. Sexto tamen pòst die, Valentinianus iunior, eiusdem Principis defuncti ex Iustina coniuge filius nouennis vt testantur tabulæ consulares, Cerealis auunculi operà, purpuram solemni more sumpsit apud Acumincum inferioris Pannoniæ oppidum ad Istri ripam; quod Gratiano Principi, ipsius fratri, pergratum maximè fuit, *Idatio teste.*

VALENTIS IMPERATORIS Orientis Gesta, & Obitus.

MOnachos, lege lata, ad militiam coëgit, anno Christi trecentesimo septuagesimo quinto, principatus duodecimo. *Hieronymus in Chronico, & Orosius lib. 7.* Grauissima item tributa eis imposuit, à quibus tùm à Constantino, cùm etiam à Constantio Imperatoribus, exempti fuerant, *vt refert Gregorius Nazianzenus Epistola ad Iulianum.*

Gothos ab Hunnis, è regionibus trans Istrum, quas occupauerant, expulsos perhumaniter excepit, anno Christi trecentesimo septuagesimo sexto, principatus decimo tertio, eosque in Thracia, sub Alarico, & Phridigerne Regibus collocauit; Athanaricus siquidem Princeps, in tutiora loca confugerat. *Idatius, & Ammianus lib. 31.*

Animum ludis Circensibus Constantinopoli recreans, anno Christi trecentesimo septuagesimo octauo, principatus decimo quinto; Barbaris ad mœnia fere ciuitatis incursantibus, infanda populi probra, atque contumelias expertus est, vrbeque egressus, ad Melantiada, villam Cæsarianam, cum copiis se contulit; tum accepto nuntio de Alemannis à Gratiano Principe

Principe debellatis, de eiuſque aduentu Sirmium cum exercitu, certior factus, ipſius gloriæ æmulus, contra Gothos, per ſummam amentiam, prælium maturauit, ne Gratiano adiutore, viciſſe crederetur; Hadrianopolimque profectus eſt, vbi Phridigernis Chriſtiani Gothorum Principis legationem, pacem, honeſtis conditionibus, petentis, pari temeritate contempſit. Quare Deo, in apertum exitium, eum impellente, manus cum hoſte conſeruit, ſagittaque confoſſus, in tugurio, quò ſe receperat, viuus à Barbaris exuſtus eſt, quinto Idus Auguſti, anni trecenteſimi ſeptuageſimi octaui, Imperij decimi quarti, adiectis menſibus quatuor, & aliquot diebus, ætatis verò quinquageſimi, nulla prole relicta. *Idatius, & Ammianus lib. 31.*

ICON

VALENTIS IMPERATORIS ORIENTIS.

VALENS *Valentiniani Principis frater, in consortem Imperij ab eo assumptus, orienti magna cum laude præfuit. Permulta bella prospere gessit, Procopiumque Tyrannum principatum inuadentem, fœliciter deuicit. Huius indoles nonnullis virtutibus, pluribus verò vitiis temperata fuit, ira præsertim, crudelitate, & inuidia, quibus Impietas in Deum, & Arriana contagio, perfidiæ faces subiecit. Monachos militaribus addixit ministeriis, & Christianum nomen, fœdum in modum vexauit. Quare pœnas, & si seras, non tamen leues, numini dedit. Siquidem à Scythis, & Gothis in Thracia debellatus, Romanis legionibus ad internecionem deletis, sagittaque grauiter confossus, prope Hadrianopolim in quoddam tuguriolum deuectus fuit, in quo à Barbaris deprehensus, subiecto igni, flammis, cum omni suo comitatu combustus periit; tuncque leue tyrocinium æternæ combustionis fecit, quam nullus Valens potest ferre.*

THEODOSII IMPERATORIS Orientis Gesta.

VAlente Principe defuncto, Theodosius Hispanus, Italicæ, diui Traiani ciuitate annum agens tricesimum tertium, Theodosij illius, qui in Africa innocens occubuerat, filius, & de quo supra satis abundè egimus, Sirmij publicis comitiis militaribus, Augustus à Gratiano Imperatore creatus est anno Christi trecentesimo septuagesimo nono, orientalem tantùm Rempublicam recturus. Quo facto, vaticinium, de Valentis successore, à nobis anteà relatum, impletum fuisse apertè nobis constat. *Socrates lib. 5. cap 12. Victor, Idatius, Chronicon Alexandrinum, & Marcellinus comes.*

Pulsis Gothis, seu Visigothis, vexatas ab hostibus vrbes muniri curans, in tantum morbum Thessalonicæ incidit, vt ab Acholio, siue Ascholio, eiusdem vrbis Episcopo, virtutibusque, ac miraculis claro, baptisari voluerit, anno Christi trecentesimo octogesimo, principatus secundo. *Socrates lib. 5. cap. 6.* Porro antequam Thessalonicâ discederet, nouo ad Albucianum Macedoniæ vicarium rescripto, toto quadragesimalis ieiunij tempore, criminalium quæstionum cognitiones cessare voluit. *Leg. 4. de quæst. cod. Theo.*

GRATIANI IMPERATORIS OCCIdentis Gesta.

HÆreticorum conuentus sanctione latâ prohibuit, anno Christi trecentesimo septuagesimo sexto, principatus decimo. *Leg 4. de Hæreticis, codice Theodosiano.*

Ingentem expeditionem in Gothos Thraciam variis depopulationibus infestantes parauit, anno Christi trecentesimo septuagesimo octauo, principatus duodecimo. *Baronius.* Pacem insuper cum Gothis inire studuit, anno Christi trecentesimo octogesimo, principatus decimo quarto. *Prosper.*

HEROES

Sanguine, Gestis, & Politia.

Para, filius Arsicis, Rex Armeniæ, Princeps spectatissimus, summæque famæ. Firmus Tyrannus, purpurâ ab Afris indutus, & Augustus salutatus. Merobaudes re militari illustris, toti exercitui, contra Quados, & Sarmatas, Reipublicæ hostes, instructo, præficitur. *Zosimus lib.* 4.

Arintheus, magister militum, Armeniam, contra hostiles incursiones, tutatus est. Clearchus magnæ auctoritatis vir, Constantinopolitanæ vrbi præerat, *vt refert Historia Tripartita.*

Sebastianus, copiarum Prætor, aduersus Scythas, & Sarracenos, à Valente Principe constituitur. *Zosimus lib.* 4. Pera Quadorum dux, decursis magnis cladibus, Romani Imperij prouinciis, lares suos ingentibus onustus spoliis repetiit. Phridigernes Gothorum Princeps clarissimus, summoque in loco apud proceres habitus. *Ammianus lib.* 29. Equitius Comes, Illyrici Prouincias regebat, quas iniquissimis tributornm exactionibus oppressit. *Eusebius in Chronico.*

VIRI ERVDITI.

Didymus Alexandrinus, ingenio adeo mirabili, vt licet à quinto ætatis anno, oculis captus fuisset, omni tamen eruditionis genere, ac præsertim Geomerriæ, quæ visu maximè indiget, omnium admiratione floruerit, variáque nobis doctrinæ suæ monumenta reliquerit. *Suidas, Gesner, & Volaterranus.*

Ammianus Marcellinus Historicus, Græcus genere; vir vtriusque linguæ peritus, grauiorisque in Historia fidei, vt pote qui plerisque rebus gerendis interfuerit. Præclara Iuliani, Iouiniani, Valentiniani, & Valentis Imperatorum gesta à *lib.* 14. ad tricesimum vsque primum, qui soli tantum extant, descripsit. Huius siquidem Historia fracta, ac laciniosa ad nos peruenit. *Suidas.*

Ausonius Poëta Burdegalensis, Pæonius à quibusdam cognominatus, petulantior certè, & lasciuior, quàm Christia-

num deceat, magni fuit nominis apud Gratianum Imperatorem, ipsius discipulum. In eo singularis eruditio eniruit, ac rerum varietas demiranda, iudicij tamen, ac nitoris parum. Symmacho, & Dripano viris clarissimis, ac multiplici scientia illustribus vsus est. Præter Annales quos ipse fastos nuncupat, Historiam ab vrbe condita, vsque ad sua tempora contexuit; quædam præterea Græco Ydiomate composita, latinitate donauit; in quibus argutiæ, salis, & leporis satis, & quæ legisse operæ pretium est. *Gyraldus.*

Themistius Philosophus cognomento Euphrades, doctorque lucidus, superiori seculo nuncupatus, & qui à Constantij Imperio, ad Theodosium, & Arcadij vsque primordia, Philosophiæ pariter, atque facundiæ primatum tenuit: claruit anno Christi trecentesimo septuagesimo quinto, Valentiniani, & Valentis duodecimo. Scripsit autem paraphrases in Aristotelis posteriora analytica; de naturali auscultatione; de anima; de memoria, & reminiscentia; de somno, & vigilia; de insomniis, & diuinatione per somnum; Orationes item octo; de facilitate Principis ad audiendum; de humanitate Imperatoris; exhortatoria Nicomediensibus ad philosophiam, & ad eum qui ipsum rogauerat vt ex tempore orationem haberet. Extant, & aliæ orationes apud Diegam Hurtadum Cæsaris oratorem, quæ nondum fuere editæ; adde opusculum Græcum de characteribus, quod est Romæ in Bibliotheca Vaticana. *Suidas, & Gesner.*

Sempronius singulari rerum cognitione instructus, summæ erat famæ apud viros doctrinâ celebres, *vt testatur Idatius.*

Symmachus orator celeberrimus, cui Imperatores statuam auream, tùm Romæ, tùm Constantinopoli erexerunt, extat etiamnum basis illius quæ in vrbe collocata fuerat, cum amplissima, atque illustri inscriptione, quam habes apud Baronium, anno Christi trecentesimo septuagesimo septimo.

NATALITIA AVGVSTA.

Arcadius Theodosij filius nascitur, anno Christi trecentesimo septuagesimo septimo, Valentis decimo quarto, Gra-

ciani vndecimo, & Valentiniani iunioris secundo. *Baronius.*

OPERA PVBLICA.

Bibliotheca vrbis Constantinopolitanæ fœdissimis exhausta incendiis, restaurarur anno Christi trecentesimo septuagesimo secundo, Valentiniani, & Valentis Imperatorum nono, Gratiani sexto. *L. 2. de stud. cod. Theod.*

Thermæ Carosianæ dedicatæ sunt, anno Christi trecentesimo septuagesimo quinto, Valentiniani & Valentis duodecimo, Gratiani verò nono, agente Præfecto Vindalonio. *Idatius, & alij.*

CALAMITATES.

Fulmen totam Sirmij regiam, atque forum consumpsit, anno Christi trecentesimo septuagesimo quinto, Valenriniani & Valentis Imperarorum duodecimo, Gratiani nono. *Zosimus lib.* 4. Terræ motus sub idem tempus varij, *vt scribit auctor citatus.* Crera vehementer concussa, cum Peloponneso, & reliqua Græcia, exceptis Arhenis, & Attica regione. Ingens insuper fames, arque lues, vniuersam fere Europam deuastarunt, *Paulo teste Epistola ad Seuerum.*

RES BELLICÆ.

Alemanni per Seuerum ducem fugati sunt, anno Christi trecentesimo septuagesimo primo, Valentiniani, & Valentis octauo; Gratiani quinto; Bellumque Mauritanicum à Theodosio, militum magistro, prosperè confectum. *Ammianus lib.* 29.

Bellum contra Quados infelicibus auspiciis à Valentiniano Principe susceptum est, anno Christi trecentesimo septuagesimo secundo, principatus nono. Burgundionum octoginta fere millia ad Rhenum descenderunt, eodem anno. Theodosius item iunior, Mœsiæ dux, Sarmatas, Imperij fines inuadentes fortiter repressit. *Ammianus loco citato.*

Quadi, & Marcomanni Alpes Iulias transgressi, anno Christi trecentesimo septuagesimo tertio, Valentiniani, & Valentis decimo, Gratiani verò septimo, Opitergium Venetorum vrbem, de qua *Plinius lib.* 3 *c.* 19. & Ptolemæus *lib.* 3. *c.* 10. exscindunt, Aquileiamque obsident *Auctor citatus.*

Hunni vltra paludes Meoticas incolentes, fusis Alanis, & Gothis, torrentis instar cuncta passim disturbantis, grande damnum Imperio Romano aduexere, anno Christi trecentesimo septuagesimo sexto, Valentiniani decimo tertio. Gothi in Thraciam admissi à Valente Imperatore, dutiterque excepti à Lupicinio duce, vniuersam illam regionem incursarunt eodem Christi anno, armaque contra Romanos, auxiliaribus ab Alanis, & Hunnis acceptis copiis, verterunt. Quibus cùm se imparem viribus agnouisset Lupicinus, fugâ sibi consulens, exercitum Romanum, quem cunctando, & intra muniriones continendo, seruarat, Barbaris, ad internecionem delendum obijecit. *Ammianus lib.* 31.

Periclitanti orientali Imperio, suppetias laturus Gratianus Augustus, Rieomerem strenuum ducem, in Thraciam, cum ingenti exercitu, misit, anno Christi trecentesimo septuagesimo septimo, principatus vndecimo; vbi cladem maximam Barbaris intulit. Tum autumno aduentante, in occidentem, ob nouos in Gallia motus, ab eodem Principe reuocatur; quo tempore Gothi cum aliis Barbaris in societatem adscitis, non tantum Thracias, verum etiam, & alias regiones ferro, igne, & sanguine compleuerunt: de iis fuse *Ammianus lib.* 31. Gratianus Imperator, res feliciter peregit in Germania, anno Christi trecentesimo septuagesimo octauo, principatus duodecimo. Quadraginta siquidem, vel vt alij volunt, septuaginta hominum millia, propè Argentoratum, seu Argentariam, fatali loco cecidit, reliquis in deditionem receptis, *vt refert Auctor citatus.* Victor tamen, Cuspinianus, & alij asserunt cæsa tantum fuisse triginta millia.

Gothi eodem Christi anno Valentem Imperatorem, atrocissimo bello, profligarunt; Quâ victoriâ elati, Thracias depopulantes Hadrianopoli, atque Perintho, Thraciæ vrbibus tentatis, in ipsa suburbia Constantinopolis irrumpentes, im-

mensas strages edidere, immò vrbem obsidione cinxere. Verum à cuneo fœderatorum, eorumque orthodoxorum, sub sanctissimo Moyse Anachoreta, & Manuia illorum Regina, submisso, expulsi sunt. *Socrates lib. 5. & Sozomenus lib. 7.* Porro Perinthus vrbs est ad Propontidem, Heraclea postea dicta à nomine Heraclei Principis Constantinopolitani, in qua olim fuit celeberrimum illud amphitheatrum marmoreum ex vno lapide excisum, & inter septem orbis miracula annumeratum. Addit insuper *Ammianus* perfractos Gothos, ex iis regionibus recessisse; moxque retrogressos ad Iulias vsque Alpes peruenisse, atque omnia longè latéque euastasse. *Hieronymus Epistola 3. ad Heliodorum illud idem testatur.*

Theodosius summa fœlicitate contra Gothos pugnauit, eosque è Thracia eiecit, anno Christi trecentesimo septuagesimo nono, principatus quarto. *Zosimus lib.* 4. Idatius, & Prosper. Theodoretus tamen censet bellum illud à Theodosio, antequàm Imperij purpuram sumpsisset, profligatum fuisse. Gratianus Princeps Alemannos Gallias infestantes, ingenti clade affecit eodem Christi anno septuagesimo nono; sicque haud ita multo post, insigni ab vtraque parte victoria, Romanum Imperium ad antiquum suum splendorem restitutum est, vt scribit *Sozomenus lib. 7. c. 4.* Longobardi denique ab extremis Germaniæ finibus, Oceanique littore, atque Scandia Insula egressi, nouarumque sedium auidi, Iborea, & Actione ducibus, Vandalos primo deuicerunt. *Prosper, Idatius, & alij.*

Gothi in Thraciam, Macedoniam, Achaiam, & Epyrum; immò etiam in Pannonias, Phridigerne duce, irrumpunt, anno Christi trecentesimo octogesimo, Gratiani decimo quarto, Valentiniani iunioris quinto, & Theodosij secundo; verùm eorum impetus à Gratiano Principe fortiter compressi fuere. *Socrates lib. 5. Prosper, & Iornandes.* Tum ab eodem Augusto in occidentem regresso, Alemanni seuerè castigati.

OBITVS ILLVSTRES.

Firmus Tyrannus in ordinem redactus vitam sibi laqueo ademit, anno Christi trecentesimo septuagesimo tertio, Valentiniani

lentiniani, & Valentis decimo, Gratiani verò septimo; *Ammianus lib.* 31.

Theodosius senior multarum palmarum dux, & Imperatoris pater, Valentis Principis iussu eodem Christi anno interfectus est. Para item in conuiuio occubuit. *Ammianus loco citato.*

Sapores Persarum Rex vitam exuit, anno Christi trecentesimo octogesimo, Gratiani decimo quarto: *Agathia teste.* Fridigernes item Gothorum dux, *vt referunt Annales.*

FVNERA.

Valentiniani magni Imperatoris cineres, Constantinopolim regio apparatu deuehuntur quarto Kalendas Ianuarias, anni Christi trecentesimi septuagesimi sexti, Valentis decimi tertij, Gratiani decimi, & Valentiniani iunioris primi. *Ammianus lib.* 30.

DECAS NONA.

GRATIANI IMPERATORIS Occidentis, Gesta, & Obitus.

ABDICATO summo pontificatu, anno Christi trecentesimo octogesimo tertio, quem more maiorum sine vllo pietatis dispendio gesserat, potestatem omnem, de rebus, ad gentilitiam superstitionem, pertinentibus, iudicandi, & quæ hactenus soli Pontifici concessa fuerat, in vrbis Præfectum transtulit. *Ita Zosimus lib. 4. & Symmachus.* Hic à suis desertus, Andragathij ducis artibus, Maximo iubente Tyranno, apud Lugdunum sublatus est, octauo Kalendas Septembris eiusdem, anni Christi trecentesimi octogesimi tertij, Imperij decimi sexti emensi, si numeres ab anno Christi trecentesimo sexagesimo septimo, quo creatus fuit nono Kalendas Septembres; ætatis denique vicesimo octauo, quantum *ex Ammiano* colligere possumus.

ICON

GRATIANI IMPERATORIS OCCIDENTIS.

GRATIANVS *patre Valentiniano, matre verò Seuera, Sirmij natus, præclara, & ad omnem virtutem, atque honestatem indole, quam eximia corporis ornabat species; Princeps certe inter optimos quosque numerandus, vt pote qui, & diuino cultui, pietatique Christianæ maximè deditus esset, & modestiæ, clementiæ, atque castitatis laude imprimis clarus. Litteris haud mediocriter eruditus fuit; Poëta, & orator non vulgaris; pacis amans, cibi parcus; somni victor; domi, ac militiæ illustris, & artis iaculandi peritissimus. Treueris agens Valentinianum fratrem, Imperij participem fecit. Catholicos, à Valente patruo in exilium actos reuocauit. Illo autem mortuo rerum potitus est; maioremque curarum molem subiens, Theodosium Hispanum genere, eximium belli ducem, ex Hispania, quò post cædem paternam in Africa peractam se receperat, accitum, contra Gothos, in Thraciam misit; dein orientis Augustum creauit; occidentem sibi cum Valentiniano fratre reseruans. Cæterùm multa, magnaque victricibus armis suscepit, confecitque bella, atque illud præcipuè, in quo Germanorum triginta ad minus hostium millia, vel vt alij volunt, quadraginta, immò & septuaginta, apud Argen-*

toratum profligauit. Tandem in Maximum Tyrannum expeditionem suscipiens, à suis proditus, fugáque sibi consulere tentans, Andragathij ducis operâ, occubuit. Quàm ingratus hic interfector, qui Principem extinxit, verè dicendum, à Gratiarum nomine, Gratianum.

VALENTINIANI SECVNDI, SEV Iunioris Imperatoris Occidentis Gesta.

GRatiano fratre extincto, solus imperat, Maximique Tyranni potentiâ territus, Ambrosium ad eum legauit, anno Christi trecentesimo octogesimo tertio, principatus octauo, vt pacem honestis conditionibus componeret, ac Tyrannum ab Italiæ finibus arceret. *Ambrosius Epist.* 33.

Rescriptum dedit, anno Christi trecentesimo octogesimo quinto, principatus decimo, de reis paschali tempore laxandis, exceptis iis, qui, ob atrocia quædam crimina, vincti essent. *L. 8. de indul. crim. Cod. Theo.*

Instigante. Iustina matre Arriana, in Arrianorum, & Ariminensis professionis gratiam, rescripsit, anno Christi trecentesimo octogesimo sexto. *L. 11. de fide Catho. Cod. Theo.*

Spretâ Arrianâ perfidiâ, totum se fidei Christianæ, à qua impia matre suadente desciuerat, constanter addixit anno Christi trecentesimo octogesimo octauo, principatus decimo tertio. *Ambrosius Epistola* 57.

THEODOSII IMPERATORIS Orientis Gesta.

THeodosius Athanaricum Gothorum Regem à suis expulsum, cum quo fœdus pepigerat, perhonorificè excepit Constantinopoli, tertio idus Ianuarij anni Christi trecentesimi octogesimi primi, principatus quarti. *Prosper Aquitanicus, & Marcellinus Comes.* Persarum item legatis pacem exposcentibus, benignissimè concessit, eáque initâ, totus oriens tranquillissimè vixit. *Pacatus in Panegyrico.*

Maximum Tyrannum spe, in collegam Imperij assumendi, aluit, anno Christi trecentesimo octogesimo tertio, principatus sexto, ne vltrà Alpes progrediens, Valentinianum imbellem adolescentulum conficeret, totumque sibi orientale Imperium vindicaret, cùm vno fermè momento, Britannias, Gallias, atque Hispanias, sibi subiecisset. *Zosimus lib. 4. Socrates lib. 5.* Arcadium insuper filium suum natu maiorem sexennem, Augustum dixit, septimoque ab vrbe milliario coronauit. *Marcellinus comes.* Arsenium item diaconum, virum pietate, ac doctrinâ clarum elegit, vt præesset illi in omnibus. *Surius 19. Iulij.*

Aruspicinam sub idem tempus proscripsit, fidicinasque mulieres, ciuitatum pestes, sustulit, anno Christi trecentesimo, octogesimo quinto, principatus septimo.

Gallam Valentiniani sororem, Thessalonicæ; quo se contulerat, instruendi belli causâ, contrà Maximum Italiam deuastantem, matrimonio sibi iunxit, anno Christi trecentesimo octogesimo septimo, principatus nono, *teste Zosimo lib. 4.* quamuis superiori id peractum fuisse tradat *Marcellinus Comes in chronico.*

Arma contrà Maximum sumpturus, nouum orientalibus tributum imposuit, anno Christi trecentesimo octogesimo octauo, principatus decimo. Antiocheni graue illud ferentes, Placillæ, seu Flaccillæ Augustæ illius vxoris iam demortuæ statuam loco motam, cum ignominia, raptarunt. Qua

re commotus Princeps, excidium Antiochiæ vrbi comminatus est. Cæterum cùm susceptum bellum magni esset ponderis, supremum imprimis numen sibi conciliare studuit. Itaque præter alia pietatis opera, atque vota, summâ cum religione concepta, legatos in Ægyptum ad sanctos Anachoretas misit, quorum precibus se communiuit, Ioannis præsertim, & Senuphij, cuius superhumerale, & baculum, ipso in prælio, tanquam inuicti roboris arma præferebat, *vt testatur Metaphr. 31. Ianuarij.* Italiâ denique pulsum Valentinianum iuniorem in Imperium restituit. *Zosimus lib. 4. & alij.*

Dignitates omnes à Maximo Tyranno collatas, rescripto Mediolani edito abrogauit, anno Christi trecentesimo octogesimo nono, principatus decimo quarto. Cauit item ne liceret magistratibus, immo & Imperatori quidquam per codicillos, seu Epistolas relictum accipere, quod priuatis permissum fuerat. *L. 2. de test. am cod. Theo.*

Symmacho viro erudito, & consulari, sed pagano, qui Maximo Tyranno fauerat, ad sacras ædes confugienti ignouit. *Socrates lib. 5. c. 14.* De abolendo idolorum cultu egit sub idem tempus, seruatisque tantùm insignioris artificij, ad vrbis ornatum, idolorum statuis, reliquas confringi curauit. *Prudentius aduersùs Symmachum.*

Vrbem, furum latibulis, in quæ plerique incauti, secretis quibusdam machinis, præcipites ferebantur, purgauit. Sanctionem aduersùs maleficos Romæ tulit. *L. 11. de malef. codice Theod.* Appetentibus Kalendis Septembris, vrbe exiens Mediolanum reuertitur. *Marcellinus Comes, & Socrates lib. 5. c. 16.*

In Thessalonicenses non abs re commotus, quod Bitherium, militum apud Illyricos, præfectum interfecissent, tantam stragem edidit in ludis Circensibus, anno Christi trecentesimo, principatus duodecimo, vt septem hominum millia cæsa fuerint *Theodoretus lib. 4. c. 17.* Legem insuper, Ambrosij suasu, tulit, ne capitales sententiæ, antè tricesimum diem ratæ haberentur, vt iracundo Principi facultas foret eas reuocandi, spatio iræ dato. Vetuit denique consobrinarum, ac sororum coniugia, pœnâ ignis statutâ, & bonorum proscriptione, quam legem laudat maximè *D. Ambrosius Epist. ad*

Pater. 66. Eam tamen, poftea, Honorius, & Arcadius Principes, multùm mitigarunt. *Aurelius Victor.*

HEROES

Sanguine, Geftis, & Politia.

Artaxerxes, Princeps potentiffimus, atque illuftriffimus, Saporifque Regis frater Germanus Perfarum res fecundis omnium procerum atque fubditorum votis adminiftrat, *Tefte Petro Bizaro de rebus Perficis.*

Athanaricus Gothorum Rex, Conftantinopolim, ad confirmandam pacem cum Theódofio Principe initam, profectus, magno cum apparatu excipitur. *Profper Aquitanicus, & Marcellinus comes.*

Mogogifil primus Vandalorum Rex creatus eft anno Chrifti trecentefimo octogefimo primo, Gratiani decimo quinto, Valentiniani fexto, Theodofij tertio: Eo duce Vandali in Gallias irruperunt. *Iornandes.*

Fauftinianus vir illuftris, præfecturâ Gallicâ fungebatur, anno Chrifti trecentefimo octogefimo fecundo, Gratiani decimo fexto, Valentiniani feptimo, Theodofij quarto. *Sigebertus.*

Sapores, Artaxerxis filius, Perfici Regni curam, patre mortuo, fufcepit, anno Chrifti trecentefimo octogefimo quarto, Valentiniani nono, & Theodofij fexto, *vt fcribit Bizarus de rebus Perficis.*

Maximus Tyrannus genere Britannus, feu vt alij volunt, Hifpanus, rei militaris peritiâ clarus, Romani exercitus dux fpectatiffimus, ab eodem in Britannia inuitus, atque reluctans Imperator acclamatus Gallias inopinatò inuafit, fedemque Treueris collocauit; *Victor in Gratiano.*

Dominus natione Syrus, fummæque apud Valentinianum Principem auctoritatis, legatus ad Maximum Tyrannum miffus, anno Chrifti trecentefimo octogefimo feptimo, Valentiniani duodecimo, Theodofij nono, vt cum eo de pace incunda ageret, immenfis muneribus, atque officiis deceptus

fuit. *Zosimus lib.* 4. Hoc tempore Victor Maximi Tyranni filius in consortem Imperij à patre assumptus est.

Agelmundus, Aionis filius, primus regiam inter Longobardos induit purpuram, anno Christi trecentesimo octogesimo nono, Valentiniani decimo quarto, Theodosij vndecimo, regnauitque annis triginta tres. *Prosper Aquitanus in suo Chronico, quod ab anno trecentesimo octogesimo secundo exorsus est, vsque ad annum quadringentesimum quadragesimum septimum.*

Arcadius, & Honorius Theodosij Imperatoris filij, Principes omni gloria clarissimi. Varanes item Saporis filius, Cetmazat appellatus, à Cerma natione in potestatem redacta, in Persarum Regem, sublato patre, inauguratus est, anno Christi trecentesimo octogesimo nono, *vt asserit Petrus Bizardus de rebus Persicis.*

VIRI ERVDITI.

Macrobius vir consularis, & illustris, somnium Scipionis, à Cicerone compositum, interpretatus est; vbi Platonis opinionem de anima contra Aristotelem tuetur. Saturnaliorum libros septem, seu conuiuiorum in lucem edidit; in quibus prætextatos aliquos eruditos inducit in conuiuio. Diuiditur verò totum illud opus, in dies, quibus ad conuiuia, magni illi viri, omnique litteraturâ exculti, conuenerunt. In prioribus libris differitur vt plurimum de Deorum nominibus, quæ omnia, summâ contentione, in solem referunt. Posteriores, Virgilij poësim, eloquentiam, doctrinam, & elegantiam, tum etiam id omne quod ab aliis mutuatus est, perpendunt. *Gesner.*

Latinus Pacatus orator celebris, dicendique facultate præstans, ac potens; sermonem enim ita suauem, ac placidum tanta cum gratia effundebat, vt omnes ab illius ore penderent. *Cuspinianus.*

Paulinus Ausonij discipulus, poëta non illepidus, & Romæ magnis perfunctus honoribus, floruit hoc tempore. Hunc Burdegalensem fuisse asserit Gyraldus, diuóque Augustino, & Ambrosio familiariter vsus. *Vasæus de rebus Hispaniæ.*

Aurelius

Aurelius Prudentius, vir consularis, genere Hispanus, ex vrbe Cæsaraugusta, ingeniosus, & grauis, multa nobis ingenij sui monumenta, tum poëtica, tum oratoria, reliquit. *Gyraldus, & Gesner.*

Eugenius Rhetor insignis, multiplicique eruditione illustris; in eum siquidem natura immensas & eloquentiæ, & ingenij, & doctrinæ opes, larga, fusaque manu, coniecerat, vt scribit *Zosimus lib.* 4.

Pappus Philosophus Alexandrinus, commentarios in libros quatuor Ptolemæi magnæ Syntaxeos composuit; item de fluuiis Libyæ; explicationes somniorum, & vniuersi orbis descriptionem. *Suidas.* Adde libros decem Mathematicos, & quatuordecim Astronomicos. *Gesner.*

Theon è Musæo, Ægyptius philosophus scripsit de signis, & auspiciis, de voce coruorum, de ortu caniculæ, de Nilo, de Arithmetica, & Mathematica, in Ptolemæum expeditum canonem, & in paruum Astrolabium Commentarium. *Suidas.*

NATALITIA AVGVSTA.

Honorius Theodosij Imperatoris ex Flaccilla coniuge filius nascitur idibus Septembris, anni trecentesimi octogesimi quarti, Valentiniani noni, Theodosij verò sexti. *Marcellinus Comes, & Socrates lib.* 5.

REGNORVM ORTVS.

Vandalici Regni initia nata sunt, anno Christi trecentesimo octogesimo primo, Gratiani decimo quinto, Valentiniani sexto, & Theodosij tertio. Vandali enim pulsi à Longobardis, nouasque sedes quærentes in Regem suum Mogogisil elegerunt, *ita Sigebertus* (si ei fides adhibenda sit) *& Iornandi.*

OPERA PVBLICA.

Stupendæ magnitudinis obeliscus in circo collocatur, anno Christi trecentesimo nonagesimo; Ingens insuper columna

non longè à templo, in cuius vertice Theodosij Imperatoris statua argentea, artè mirabili conflata, visebatur. *Marcellinus Comes.*

PRODIGIA.

Horrendum in cælo signum columnæ formam præferens, triginta dierum spatio apparuit, anno Christi trecentesimo nonagesimo, Valentiniani decimo quinto, & Theodosij duodecimo. *Marcellinus Comes.*

CALAMITATES.

Fames magna vrbem totam, immò vniuersam Italiam grassata est, anno Christi trecentesimo octogesimo tertio. Gratiani decimo septimo, Valentiniani octauo, Theodosij quinto. *Symmachus, Ambrosius, & alij.*

Grando subita cum pecorum gregibus, cum arboribus vastitatem summam intulit, anno Christi trecentesimo octogesimo nono. Valentiniani decimo quarto, Theodosij vndecimo. *Cuspinianus.*

RES BELLICÆ.

Maximus Tyrannus Armoricos bello superauit, victosque è suis expulit sedibus, anno Christi trecentesimo octogesimo tertio, Gratiani decimo septimo, Valentiniani octauo, & Theodosij quinto; illucque Britannorum militum colonias deduxit. *Victor.*

Gratianus Imperator Hunnos, atque Alanos in Maximum vocauit eodem Christi anno; vt horum pars Gallias terrestribus copiis, maritimis alia, Britanniam, quam ipse Tyrannus ceperat, inuaderet; verùm à suis derelictus, victusque interficitur. *Zosimus lib. 4.*

Maximus Tyrannus victoriâ fretus, magna celeritate in Italiam aduolauit, copiasque Aquileiam duxit; tum nobiles ciuitates Placentiam, Rhegium, Mutinam, & Bononiam

dire, fœdéque tractauit, anno Christi trecentesimo octogesimo septimo, Valentiniani duodecimo, Theodosij nono. *Pacatus in Panegyrico.*

Theodosius Imperator in Maximum Tyrannum profectus est, anno Christi trecentesimo octogesimo octauo, principatus decimo, illumque in Pannonia obuium ingenti fudit prælio, coëgitque Aquileiam repetere. Dein Marcellinum, Maximi fratrem, alio cum exercitu apud Petauionem agentem pari felicitate profligauit; nihilque cunctandum ratus Maximum ipsum acri obsidione Aquileiæ cinxit, qui haud ita multò post à suis militibus captus, vinctusque ad Theodosium Principem ducitur; mox tertio ab vrbe lapide, regio exutus indumento sistitur, capitéque damnatur. *Prosper Aquitanicus.*

Ceterùm Ambrosius *Epist.* 29. ad Theodosium, refert Imperatorem hostiles turmas prostrasse Francorum ope, & Saxonum; Romanósque posteà quolibet anno festum celebrasse in honorem tantæ victoriæ, de Maximo Tyranno relatæ. *Pacatus idem asserit, & Procopius lib. 1. de bello Vandalorum.* Alexandrini festiuitatem illam anniuersariam εἰκόνιον nominarunt, quoniam Augusto victori statuam superhumerale indutam, dextráque baculum præferentem erexerant.

TRIVMPHI.

Theodosius Imperator Romam omnium ordinum apparatissimo comitatu, magnísque acclamationibus cum Honorio filio suo, & Valentiniano Augusto ingressus idibus Iunij anni trecentesimi octogesimi noni, principatus vndecimi, amplissimum de Maximo Tyranno debellato, Imperióque occidentali recuperato, triumphum egit; tum pro more solemni, congiarium populo dedit.

OBITVS ILLVSTRES.

Athanaricus, Gothorum Princeps obiit Constantinopoli octauo Kalendas Februarij, anni trecentesimi octogesimi pri-

mi, Gratiani decimi quinti, Valentiniani sexti, & Theodosij tertij. *Zosimus lib. 4. & Marcellinus Comes.*

Artaxerxes Persarum Rex, & Saporis frater germanus, vir spectatissimus desiit anno Christi trecentesimo octogesimo tertio, Gratiani decimo septimo, Valentiniani octauo, Theodosij quinto. *Bizarus de rebus Persicis.*

Flaccilla Augusta, Theodosij Principis coniux, & Arcadij, atque Honorij mater, fœmina singulari pietate, caritate summa, & humilitate insigni, omníque virtutum genere illustris vitâ functa est, anno Christi trecentesimo octogesimo quinto, Valentiniani decimo, Theodosij septimo. *Baronius.*

Maximus Tyrannus deuictus, purpuráque exutus obtruncatur, anno Christi trecentesimo octogesimo octauo, Valentiniani decimo tertio, Theodosij vndecimo. *Prosper.* Andragathius verò illius comes, classis præfectus, & Gratiani Principis proditor, ac percussor, auditâ Maximi nece, ne ipse suorum scelerum conscius victori traderetur, fluctibus se in Sicilia immeisit. In Galliis item victor Augustus à Maximo patre creatus, eiusque mater Arbogastis dexterâ cecidit. *Zosimus lib.* 4. Mors insuper Iustinam Valentiniani iunioris matrem, & Saporem Persarum regem, Artaxerxis filium abstulit eodem Christi anno *Bizarus de rebus Persicis.*

Cynegius orientis Præfectus, magno totius ciuitatis luctu, vitâ functus est, anno Christi trecentesimo octogesimo nono, Valentiniani decimo quarto, Theodosij vndecimo.

Galla Augusta, Theodosij Imperatoris coniux posterior, interiit Constantinopoli, anno trecentesimo nonagesimo, Valentiniani decimo quinto, Theodosij duodecimo, vnâ tantum relictâ prole, Gallâ scilicet Placidiâ. *Baronius.*

FVNERA.

Athanarici Gothorum Regis cadauer magno cum apparatu Constantinopoli elatum est, anno Christi trecentesimo octogesimo primo. Præibat militum legio incomptis signis, reliquisque tristitiæ inuitamentis; Sequebatur Theodosius Augustus, animo lugubriori, quàm veste; dein atratus proce-

rum comitatus, mœſtáque omnium ordinum pompâ; quod certè plurimùm valuit ad Barbaram illam gentem demerendam. *Paulus Diaconus.*

Iuſta magnificentiſſimè perſoluta ſunt Flaccillæ Auguſtæ, anno Chriſti trecenteſimo octogeſimo quinto. Huius pietatem eximiam, ſummis laudibus, oratione ſua funebri ornauit Gregorius Nazianzenus, *Baronius.*

Arcadius Auguſtus, Gallæ Auguſtæ corpus magnâ principum pullatâ pompâ, ſuperbiſſimo in mauſoleo condidit, anno Chriſti trecenteſimo nonageſimo. *Baronius.*

ICON

VALENTINIANI SECVNDI IMPERATORIS OCCIDENTIS.

VALENTINIANVS *secundus, seu iunior, Valentiniani Imperatoris ex Iustina vxore filius, Princeps expectationis summæ, ingenio miti, prudentia singulari, & modestia insignis, qua & populi, & procerum studia promeruerat; foris clarus, domi suspiciendus, omnique laudum genere illustris, à Gratiano fratre post patris obitum, consors Imperij factus, in Italiam missus est; Gratiano autem, Maximi Tyranni artibus interempto, ad Theodosium Augustum confugit, cuius ope, sublato Maximo, cruentam fratris necem fœliciter vltus est, Imperióque occidentali potitus. Mox ab Arriana impietate, ad Christianam fidem traductus, totum se Christo addixit. Tandem arma contrà Barbaros sumens, ab Arbogaste comite, Viennæ in Gallia, fœdo exitu, periit.*

THEODOSII IMPERATORIS Gesta, & Obitus.

PRomulgato in Italia Theodosiano codice, Constantinopolim, vnà cum Honorio filio suo, contendit quatro idus

Nouembris, anni trecentesimi nonagesimi primi, principatus decimi tertij. *Socrates lib.* 5. *cap.* 29.

Honorium natu minorem Augusti nomine donauit quarto idus Ianuarij, anni trecentesimi nonagesimi tertij, principatus decimi quinti. *Socrates lib.* 5. *cap.* 24.

Implorato piis supplicationibus supremo numine, ingentem, sub idem tempus, contra Eugenium tyrannum, duxit exercitum, ducesque belli elegit Stiliconem, Vandalum hominem, Gaianam, & Alaricum. Tum Ioannem Anachoretam, virum sanctitate inclytum, & cuius eximiam virtutem, superiori, aduersùs Maximum, bello, expertus fuerat, consuluit; qui quidem, insignem ei, de hostibus suis victoriam spopondit. Cæterùm pro tantis, tamque immensis huiusce belli, in quo non tantum de Romani Imperij, sed etiam de religionis summa agi videbatur, sumptibus, non modò à nouo onere imponendo abstinuit; Verùm, à Tariano prætorij præfecto, indictum temisit; bona insuper proscriptorum quæ in fiscum collata fuerant, vel aliis donata, ipsis si superessent proscriptis; capitale autem supplicium passis eorum filiis, aut propinquis, iterato rescripto, restitui voluit; quod certè, summam illi gloriam apud omnes conciliauit. *L.* 12. *&* 13. *Cod Theo de bonis proscriptis.*

Aquileiæ aliquandiu moratus, Mediolanum se contulit, anno Christi trecentesimo nonagesimo quarto, principatus decimo sexto; vbi bello, quamuis iusto confecto, in quo, cæsa multa hostium capita fuerant, consueto pietatis instinctu Christianorumque solemni ritu, à sacrorum participatione abstinuit; extat enim canon pœnitentialis apud Latinos, quo iussum est illi, qui in bello cædem aliquam fecit, quadraginta diebus à sacris abstinere. Apud Græcos verò Basilij canon, cæde pollutis toto triennio sacris interdicit. Moïsis quoque lege, huiusmodi homines lustratione quadam indigebant; quod & apud Ethnicos vsu receptum fuit. *Plinius lib.* 15. *cap. vltimo*, asserit lustrationem fieri lauri suffitu.

Voti compos factus, & omni hostilis cædis labe purgatus, Ecclesiasticæ communionis factus est particeps. Tum morti proximus, Christianam religionem, vocato ad se senatu,

Christianis

Christianis quidem senatoribus commendauit; Ethnicos verò ad illam amplectendam, eiurata impietate hortatus est. Populo tributa relaxauit. Hostibus veniam concessit. Filiis Imperium diuisit. Arcadium orienti præfecit; Occidenti autem Honorium; Et quia ætas vtriusque nondum erat matura Imperio, Ruffinum Arcadio; Stiliconem verò, cui Serenam fratris filiam in matrimonium collocarat, Honorio, ductores adiunxit. Tandem decimo septimo Kalendas Februarij, anni Christi trecentesimi nonagesimi quinti, principatus decimi septimi inchoati, ætatis denique quinquagesimi, è viuis abreptus est. *Prosper, Marcellinus comes, Orosius, & alij.*

ICON

THEODOSII IMPERATORIS.

THEODOSIVS *patre Honorio, matre Thermantia, in Hispania natus, ex qua à Gratiano accitus, Augustus Sirmij creatus est. Hunnos, & Gothos qui Imperium penè oppresserant, ingentibus deuicit prœliis. Cum Persis fœdus iniit. Maximum Tyrannum apud Aquileiam extinxit. Eugenium non tam humana vi, quàm Deo pugnante, victum, vinctumque sustulit; quippe qui militanti illi æthere, & coniuratis in eius auxilium ventis, insignem victoriam reportauit. Traiano à quo originem duxerat, persimilis fuit. Etenim si ille labentem Romanum orbem fœliciter sustinuit; Hic, trium principum otio consenescentem, mirâ fœlicitate in antiquum splendorem restituit; si ille pacata Europa, ad Indos vsque arma intulit; Hic secundis, auspiciis, armisque paternis, asserta Libya; attrita bellicosa Germanorum gente, dataque toti orienti pace, postremò sublatis Gothis, non amissa Britannia, parenti gentium vrbi, Italiæque suæ, victrices aquilas retulit. Domitis itaque Tyrannis omnibus, Christiano Imperatori dignis ornatus virtutibus, nullique priorum, posteriorumue secundus, militia clarus Clementia, & humanitate illustris, castitate insignis, pietate præstans, & in omnes effusus; paulò tamen in iracundiam procliuior, sed vt non nisi rebus indignis moueretur, ac cito flecti pateretur. Tan-*

dem omni laudum genere cumulatus, graui laborans morbo, purpuram cum homine Mediolani depoſuit.

ARCADII IMPERATORIS Orientis Geſta.

THeodoſio Principe mortuo, rerum ſumma ad filios ex teſtamento delata eſt, orientis quidem ad Arcadium: occidentis verò ad Honorium; quibus, maiori aliquanto religionis ſtudio, morumque probitate, quàm animorum vigore, Rempublicam adminiſtrantibus, Romani Imperij maieſtas, quæ à tenui profecta fuerat initio, ſua magnitudine, atque mole, qua laborare iam pridem cœperat, toto corruit impetu, nihil ſiquidem eſt, quod edax vetuſtas non conſumat: ſummiſque negatum ſtare diu, nimioque graues ſub pondere lapſus, vt poëta canit.

Arcadius Eudoxiam cognomento Iuliam eximiæ pulchritudinis virginem, neptem Promoti, viri conſularis in matrimonium duxit, anno Chriſti trecenteſimo nonageſimo quinto. *Zoſimus lib.* 4.

Magiſtratus, ob viliſſimos quoſdam, atque obſcuriſſimos homines, qui variis artibus in aulam irrepſerant, & ad primos honorum gradus euecti fuerant, coërcuit, anno Chriſti trecenteſimò nonageſimo ſeptimo, principatus tertio. *L.* 1. *de magiſtrat. Cod. Theo.*

Obſcœnum illud ſpectaculum, Maiuma dictum, quo turpiſſima quæque, atque impuriſſima ſcortorum verba proferebantur, lege lata, omnino abrogauit, anno Chriſti trecenteſimo nonageſimo nono, principatus quinto. Porro Maiumæ nomen ortum eſt à ciuitate Palæſtinæ maritima, Maiuma nomine, in qua Venus colebatur; *Paulus Diaconus in rebus geſtis S. Porphyrij, Gazenſis Epiſcopi.*

HONORII IMPERATORIS Occidentis Gesta.

MVnus pro more solemni, Mediolani agens, exhibuit anno Christi trecentesimo nonagesimo sexto, principatus secundo, Africanis belluis in theatrum inductis. *Paulinus.*

Annum decimum quartum inchoaturus mense Septembri anni trecentesimi nonagesimi octaui, principatus quarti. Mariam ex Serena fratris Theodosij filia, & Stilicone genitam, coniugem duxit. *Claudianus in nuptiis Honorij.*

Curam mandauit Gaudentio, & Iouio comitibus in Africa, anno Christi trecentesimo nonagesimo nono, principatus quinto, vt Deorum templa euerterent, & idolorum simulachra diffringerent. *Augustinus lib.* 18. *de ciuitate Dei.* Seuerissimis item edictis sub idem tempus non tantùm Gentiles, sed etiam Iudæos vniuersum fere Imperium vectigalibus depascentes, puniuit, cupiditatemque illam nimiam pecuniarum ingentes summas exigendi extinxit. *L.* 14. *de Iudæis cod. Theo.*

HEROES

Sanguine, Gestis, & Politia.

Varanes Persarum Rex celeberrimus, summæque potentiæ, *vt refert Bizarus de rebus Persicis*, Promotus vir consularis, cuius neptem Arcadius Princeps orientis, toro sibi iunxit. *Zosimus.* Euagrius Ægypti prouinciam administrabat, anno Christi trecentesimo nonagesimo primo, Valentiniani decimo tertio. Arbogastes Comes, natione Francus, Victoris Maximi Tyranni filij, suique Principis Valentiniani iunioris, crudelis percussor. *Auctor citatus.*

Eugenius Tyrannùs genere obscurus, è Rhetoricæ exedra nuper eductus, Arbogastis dolo, extincto iam Valentiniano iuniore, occidentis Imperij Principe, Augustus à militibus

ſalutatur, anno Chriſti trecenteſimo nonageſimo ſecundo, Theodoſij decimo quarto. Tum gentilium vatum, ex victimarum immolatione, & viſcerum inſpectione, atque obſeruatione ſiderum promiſſis deceptus, ac de futura victoria, (qua tamen excidit) ſecurus redditus, aram Victoriæ reſtituir, homo alioquin Chriſtianus. *Sozomenus lib. 7. c. 22. Zoſimus lib. 4. Paulinus, & Ambroſius Epiſ. 15.*

Ruffinus Eluſæ humili loco natus, ſed ſæuitia, atque immanitate inſignis, Conſtantinopolim profectus, tanta arte in Theodoſij Imperatoris amores irrepſit, vt illum Princeps & Conſulis ordinarij faſcibus, & nobiliſſima omnium Prætorij Præfectura donarit; immo animam agens Arcadium filium ſuum natu maiorem, totumque orientem, cui eum præfecerat, commendauit; Eò tamen inſolentiæ venit, vt purpuram ſibi aſſumere tentarit, Gothorumque Regem Alaricum contrà Arcadium Principem armarit, anno Chriſti trecenteſimo nonageſimo quinto, Arcadij primo. *Zoſimus, Socrates, Sozomenus, & alij.* Antiochus Muſonij filius Græciæ præerat ſub idem tempus; Geruntius verò Thermopoli in Illyrico. *Mariana.*

Gildo Reguli cuiuſdam Mauricij filius qui Firmo Tyranno fortiter obſtiterat, Comes Africæ, & vtriuſque militiæ magiſter conſtitutus, nouas res molitur, anno Chriſti trecenteſimo nonageſimo octauo, Arcadij, & Honorij quinto. In eum Miſcezel illius frater ex Senatuſconſulto miſſus eſt, *Iornandes, & Oroſius.*

Gainas Gothus, dux exercitus Arcadij Imperatoris, auctor necis Ruffini proditoris, odio in Eutropium æſtuans contrà Rempublicam conſpirauit, anno Chriſti trecenteſimo nonageſimo nono, Arcadij quinto; Cuius comperta fraude, occultiſque de Conſtantinopoli diripienda patefactis conſiliis, Imperij Romani hoſtis à principe habitus eſt. *Sozomenus lib. 8. c. 4. Socrates lib. 6. c. 6. & Zoſimus lib. 5.* Idem Eutropium, ab Arcadio, ad necem petiit, obtinuitque eodem Chriſti anno; ſequenti verò Chalcedonem petens Saturninum conſularem, Aurelianum conſulem, & Ioannem, qui erat Auguſto à ſecretis, gladio tantùm perſtringens, exilio mulctauit, *vt referunt citati auctores.*

Tribigildus vir periculis obeundis præſenti animo, & ad quodlibet facinus peragendum promptiſſimus, cuique Barbararum copiarum quæ erant in Phrygia, cura demandata fuerat. *Zoſimus lib. 5.*

Flauius Eutropius, Eunuchus, Adriani Principis cubiculi Præfectus, genere ſeruili, moribus perditis, animo effetato, multorum inuidiâ, omnium verò odio laborans, cum pro arbitrio cuncta moderaretur, immò illi ſtatuæ vbique aureæ collocarentur; primus omnium ex Eunuchis Conſul in oriente ab Arcadio Imperatore creatus eſt, anno Chriſti trecenteſimo nonageſimo nono, Arcadij quinto; quod certè monſtro ſimile fuit; vnde Claudianus in hæc erupit verba.

Omnia ceſſarunt, Eunucho conſule, monſtra.

Cæterum Eunuchorum genus propter ſummam illam Eutropij auctoritatem in tantum adereuit, vt nonnulli iam Barbati, cum Eunuchi fieri vellent, & ſe Eutropios fore ſperarent, vita priuati ſint ſimul & Eutropio; *Suidas, & Marcellinus Comes.*

Alaricus Balthorum genere, Rex à Gothis poſt excuſſum Romanorum iugum creatus eſt, vt ſcribit Rodericus Sanctius in parte ſecunda Hiſtoriæ Hiſpaniæ.

Vincentius ſingulari virtute clarus, gratuſque omnibus, Gallias regebat, anno Chriſti quadringenteſimo, Arcadij, & Honorij Imperatorum ſexto. *Seuerus lib. 1. dialogorum.* Iſdigerdis Varanis filius Regni Perſici inſignia, parente mortuo aſſumpſit ſub idem tempus. *Petrus Bizarus de rebus Perſicis.*

VIRI ERVDITI.

Auguſtinus natione Afer, & patria Tagatenſis, ſuſcepto Romæ profitendi munere, anno Chriſti trecenteſimo octogeſimo tertio, ætatis viceſimo nono, Mediolani verò anno ſequenti, omnes eloquentiæ profeſſores, tum auditorum frequentia, tum eruditionis fama, longè ſuperauit; præſertim cum plenis ſubſelliis, magna oris, & ſermonis dignitate, Latinæ linguæ proceres interpretaretur. Scripſit de Grammatica, Dialectica, Categoriis, Rhetorica, Muſica, immortalitalitate animæ, & contra Academicos; Alia pia opera habes in

historia sacra sub eodem titulo; floruit autem præcipuè hoc tempore. *Chronicon Alexandrinum, Idatius, & alij.*

Eutropius, Afer genere, Augustini discipulus, composuit Epitomen Historiæ ab vrbe condita, ad Valentem vsque Principem, & Iouinianum; duas insuper Epistolas ad sorores, quæ religionis, ac virginitatis seruandæ gratiâ, à parentibus hæreditare priuatæ fuerant, vt refert Gennadius Massiliensis; Adde Chronicon vsque ad sua tempora. *Gesner, & Volaterranus.*

Kebius Corinus natione Britannus, patria Cornubiensis, & Salomonis Cornubiæ ducis filius, vir præclari ingenij, doctrinæ singularis, magnæque virtutis. *Pizeus de viris illustribus.*

Orosius Historicus, patriâ Tarraconensis, rerum summas à mundi initio, ad Honorij vsque Principis tempora, librum item vnum de ratione animæ, & Historiarum septem aduersùs paganos, nobis reliquit. *Viues, & Gesner.*

Claudianus Alexandrinus inter Gentiles poëtica facultate illustris, & cui Arcadius & Honorius Imperatores eruditissimi, statuam, senatu etiam perenre, in foro diui Traiani erexerunt, cum hac Epigraphe, qua, & Virgilij mentem, & Homeri musam in tanto viro extitisse testantur.

Ἴσον Βιργιλίοιο νόον, καὶ μοῦσαν Ὁμήρου
Κλαυδιανὸν Ῥώμη, καὶ βασιλεῖς ἔθεσαν

Non tacebo Siluiam virginem nobilissimam, ingenio splendidō, celebrata facundia, ac rerum multiplici cognitione celebrem; *vt scribit Palladius Lausiacorum lib. 33.*

Manlius Theodorus, ex Manlia prisca gente ortus, in quo tantus venustioris eloquentiæ nitor elucebat, vt, inter omnes oratores, qui tempestate illa florebant, palmam retulerit; *De eo plura D. Augustinus*, qui ad eum, dum apud Mediolanum, ruri ageret, librum scripsit de vita beata; *Et Claudianus in Panegyrico ipsius Consulatus*, vbi aliquas cultissimas illius lucubrationes recenset.

NATALITIA AVGVSTA.

Flaccilla Arcadij Imperatoris filia nata eſt decimo quinto Kalendas Iulij, anni trecenteſimi nonageſimi ſeptimi, principatus tertij. *Chronicon Alexandrinum, & Marcellinus Comes.*

Auctus eſt idem Imperator altera filia, Pulcheria nomine, decimo-quarto Kalendas Februarij, anni trecenteſimi nonageſimi noni, principatus quinti. *Marcellinus Comes.*

Tertiam Arcadiam dictam habuit tertio idus Aprilis, anni quadringenteſimi, principatus ſexti; *Chronicon Alexandrinum.*

OPERA PVBLICA.

Forum Theodoſianum magnis extructum ſumptibus, dedicatur, anno trecenteſimo nonageſimo tertio. *Chronicon Alexandrinum.*

PRODIGIA.

Tanta, circa Pentecoſtes dies, ſolis fuit defectio, anno trecenteſimo nonageſimo tertio, Theodoſij decimo quinto, vt omnes iam-iam venturum iudicem formidarent. *Hieronymus Epiſtola ad Pammachium.*

Stupendum illud atque memorandum Contigit prodigium, anno trecenteſimo nonageſimo ſexto, quo ardente ſole prægrandis nubes ignea viſa eſt funeſtam vrbis totius Conſtantinopolis deflagrationem, populo etiam in preces effuſo ſpectante, minitans. *D. Auguſtinus de excidio vrbis c. 6.*

Magnus item cometes ad ipſam vſque terram fere pertingens apparuit, anno Chriſti trecenteſimo quadringenteſimo, Arcadij, & Honorij Imperatorum ſexto. *Baronius.*

CALAMITATES.

Ingenti terræ concuſſu, à Septembri, ad Nouembrem vſque,

que, variæ Europæ regiones nutarunt maxime, anno Christi trecentesimo nonagesimo quarto, Theodosij Imperatoris decimo sexto. *Marcellinus Comes.*

Constantinopoli tanto fragore terra quatefacta fuit, vt vrbes quamplurimæ, etiam longè remotæ, audito hocce tonitru, è suis penè euulsis sedibus, trepidauerint. *D. Augustinus de excidio vrbis cap. 6.*

RES BELLICÆ.

Barbarorum excursiones, in Macedoniam, strenuè repressæ sunt, anno Christi trecentesimo nonagesimo primo, Valentiniani decimo sexto, & Theodosij decimo tertio. *Zosimus.*

Theodosius Imperator, magno cum exercitu contra Eugenium Tyrannum, in orientem venit, anno Christi trecentesimo nonagesimo quarto, principatus decimo sexto; præuioque crucis signo, quod in labaro emicabat, Iuliarum Alpium, præter omnem expectationem, inopinato potitus est; moxque collatis signis, acriter die vno, vel vt alij volunt, biduo, pugnatum est; Primóque belli conflictu Theodosius debellatus, spe tamen non cecidit; insigni siquidem rebellioni, insignis pœna aliquando infligenda erat. Quare instaurato iterum cum omnibus copiis prælio, fusisque ad Deum precibus, stetit, fœlici exitu, pro Theodosio victoria. Tum prospexit humanæ conscientiæ pauor; quippe hostilis exercitus, parua suorum manu fusa, cum facilè aciem reparare posset, ad victorem vltrò concessit. Ferunt autem eo in prælio Imperatori depugnantes duces diuinitùs missos, vt cui terrarum Imperia debebantur, ei cælum quoque ipsum militaret. Turbo insuper continuus ora, pectoráque hostium ita euerberabat, vt neque in Theodosium irruere, neque sagittas contorquere, possent, aut si quæ euibratæ fuissent, de repente in auctores reflecterentur. Hinc illa poëtæ vox; fœlix cui militat æther, & coniurati veniunt ad classica venti. *Prosper, & Marcellinus Comes.*

Hunni in Asiam penetrantes, Gothi verò, seu Visigothi in Europam, anno Christi trecentesimo nonagesimo quinto,

Arcadij, & Honorij Imperatorum primo, florentissimas quasque prouincias variis depopulationibus afflictarunt; Græciamque omnem præter Thebas, atque Athenas beneficio armatæ Mineruæ; & Achillis ad prælium parati, longè, latéque fœdè peruastatunt. *Zosimus; Eutropius tamen asserit*, Athenas ipsas, cum aliis nobilissimis Græciæ ciuitatibus, magna clade affectas fuisse.

Ostrogothi, ob detractam pensionem solitam, arma sumpsere contra Rempublicam, Romanosque profligarunt, anno Christi trecentesimo nonagesimo septimo, Arcadij, & Honorij Imperatorum tertio. *Auentinus lib. 2. & Claudianus.* Marcomirus autem Francorum Princeps captus in Hetruriam ad Imperatorem missus est.

Honorius Imperator bellum in Gildonem qui in Africa Tyrannidem occupauerat, mouet anno Christi trecentesimo nonagesimo octauo, principatus quarto. Illumque per Mascezelem fratrem, mira fœlicitate, cum exigua militum manu, penitùs deleuit; quinquies enim mille, septuaginta millia ceciderunt. *Claudianus.*

Gainas inito prius, cum Tribigildo Barbarorum duce, fœdere, Asiam primo, dein reliquas orientis prouincias grassatus est, anno Christi trecentesimo nonagesimo nono, Arcadij, & Honorij Imperatorum quinto, Principemque Arcadium, ad iniquas pacis conditiones, & ad Eutropij necem, redegit. *Sozomenus lib. 8. c. 4. & Socrates lib. 6. cap. 6.*

Idem anno quadringentesimo Arcadij, & Honorij Imperatorum sexto in varia Thraciæ oppida immaniter desæuiit, omnia cæde, atque incendio miscens; à Frauitta tamen Gotho potenter repressus est. Quare retrocedere coactus, in Romanum exercitum infeliciter incidit, multa siquidem in eo prælio Gothorum millia cæsa, vel demersa fuere. *Sozomenus, & Marcellinus Comes.*

Alaricus Gothorum Rex Græciam, & Peloponnesum sub idem tempus populatus, funesta, nefandáque in Pannonias damna multa inuexit. *Orosius, Cassiodorus.*

REI INSIGNES.

Ruffini calumniis, permulti illustres viri morte damnati sunt, anno Christi trecentesimo nonagesimo tertio, Theodosij Imperatoris decimo quinto; inter quos, fuit Promotus, & Proclus Tatiani Præfecti prætorio filius; ipsius verò Tatianus in patriam tantùm ablegatus, *vt scribit Zosimus*.

Ruffinus à militibus discerptus, proditionis pœnas dedit in oriente, anno Christi trecentesimo nonagesimo quinto, Arcadij, & Honorij Imperatorum primo. *Socrates, & Sozomenus.* Eius caput Constantinopolis portæ affixum fuit.

Timasius militiæ magister sub Valente Principe, falsa, atque iniqua criminatione in Oasim, oppidum in desertis Libyæ, septem dierum itinere, à Thebis distans, relegatus fuit, anno trecentesimo nonagesimo sexto, Arcadij, & Honorij Imperatorum secundo. Abundantius insuper vir prætorius & consularis in Sidonem, *teste Zosimo lib. 5.*

Porro Sidon vrbs est Phœnices cum Tyro & vetustate certans, & claritate; ita dicta, vt placet Eustathio, à Sida Beli filia; vel vt volunt alij, à Phœnicibus, qui relictis suis sedibus nouam vrbem ad mare condiderunt, quam à piscium vbertate, Sidona, sua lingua appellarunt.

Eutropius multorum scelerum reus consulari dignitate exuitur, anno Christi trecentesimo nonagesimo nonò, Arcadij, & Honorij Imperatorum quinto; cum in Cyprum Insulam deportatus; in Chalcedonem reuectus, securi percussus fuit, ipsiusque memoria è publicis monumentis, ac fastis abrasa. *Sozomenus lib. 8. cap. 12.*

OBITVS ILLVSTRES.

Eugenius Tyrannus victus, captusque in prælio, reuinctis post terga manibus, ad Theodosium Imperatorem deductus interficitur, sexto Septembris, anni trecentesimi nonagesimi quarti, Theodosij Principis decimi sexti. Arbogastes verò biduo post, ense suo se confecit. *Marcellinus Comes, & Prosper.*

SAECVLI QVINTI DECAS PRIMA.

ARCADII IMPERATORIS Orientis Gesta, & Obitus.

THEODOSIVM filium suum iuniorem cuius ortum purpura exceperat, Augustum Constantinopoli apud Hebdomum, seu suburbium, milliario septimo ab vrbe, solemni ritu creauit, quarto idus Ianuarij, anni quadringentesimi secundi; principatus octaui. *Chronicon Alexandrinum & Marcellinus Comes.*

Graui correptus morbo, anno Christi quadringentesimo octauo, principatus decimo-quarto inchoato à patris obitu, Honorium fratrem infensum sibi, non mediocriter pertimescens, Theodosium filium suum adhuc octennem, Isdigerdis Persarum Regis curæ, testamento commisit. Tum supremi numinis expertus iras, quòd Diuum Chrysostomum Constantinopolitanum Antistitem, Eudoxiâ vxore impellente, in exilium eiecisset, è viuis præmaturè sublatus est, anno scilicet ætatis trigesimo primo, relictis quatuor Theodosio sororibus, Pulcheria nempè, Placilla, Arcadia, & Marina.

ICON
ARCADII IMPERATORIS ORIENTIS.

ARCADIVS *Theodosij Magni Imperatoris ex Flaccilla vxore filius natu maximus, ab eodem, Imperij consors assumptus, orienti præfuit; Princeps pacato, vel potius inerti ingenio, & coniugi nimium addictus, cui dum impensius obsecutus est, publicam non minus rem, quam Christianam pessundedit, nihilque Imperio dignum suscepit.*

THEODOSII SECVNDI SEV IVnioris Imperatoris Orientis Gesta.

EXtincto Arcadio Principe, Theodosius junior, sub Isdigerdis Persarum Regis tutela, cum Honorio patruo, imperauit, *Paulo Diacono teste*, munusque apparatissimum edidit, anno Christi quadringentesimo sexto, principatus quinto. *Marcellinus Comes.*

HONORII IMPERATORIS Occidentis Gesta.

LVdos sæculares à Constantino Magno Imperatore, antè annum centesimum abrogatos, gladiatorumque munera, tot Christianorum Principum legibus, vetita exhiberi permisit, anno Christi quadringentesimo quarto, principatus decimo. *Prudentius aduersus Symmachum, & Claudianus de sexto Honorij consulatu.*

Bellum aduersùs fratrem suum Arcadium meditatur, anno Christi quadringentesimo septimo, principatus decimo tertio: cuius expeditio, dum Rauennæ, magna cum cura paratur, à variis hinc inde Tyrannis emergentibus impeditur. *Zosimus lib. 5. Orosius, & Sozomenus.*

Decreuit pro more solemni, anno Christi quadringentesimo octauo, principatus decimo quarto, vt Stiliconis proditoris statuæ, publicaque, atque priuata in illius honorem erecta monumenta euerterentur; immo ipsius nomen è fastis, omnibusque titulis inscriptum abraderetur; quod etiamnum Romæ non in vno tantùm marmore obliteratum legitur, Baronio teste. Mathematicos item anno sequenti, & Ariolos ex omnibus ciuitatibus expelli iussit. *Leg. 12. de Maleficiis Cod. Theo.*

Africanis, ob seruatam constanter fidem, tributa remisit, anno Christi quadringentesimo decimo, principatus decimo sexto. *Leg. 6. de indulg.* voluit insuper, vt orientis Imperij confinia tutissimè, contra hostiles copias custodirentur. *Leg. 2. de littoribus cod. Theo.*

HEROES

Sanguine, Gestis, & Politia.

Frauitta Gothus Gentilis, ob strenuam, contra Gainam, nauatam operam, consularibus ornatur infulis, anno Christi quadringentesimo primo, Arcadij, & Honorij Imperatorum septimo. *Zosimus, & Sozomenus.*

Alaricus Arrianus ex nobilissima Balthorum, inter Gothos, familia natus, & Radagaisus Scytha Paganus, Reges à Gothica gente, quæ Romanorum iugum, graue admodum, atque molestum ipsis, excusserat, salutantur, anno Christi quadringentesimo quinto, Arcadij, & Honorij Imperatorum vndecimo, *vt vult Rodericus Toletanus de rebus Hispaniæ.*

Marcus Tyrannus in summa rerum colluuione, Romanique orbis ruina, Imperator à legionibus in Britannia renuntiatur, anno Christi quadringentesimo septimo, Arcadij, &

Honorij Imperatorum decimo tertio. *Zosimus lib. 5. Sozomenus lib. 9. & Mariana lib. 5. de rebus Hispaniæ*, vbi asserit, Gratianum, Marco extincto, suffectum fuisse sub idem tempus, quatuorque mensibus illius principatum tenuisse.

Constantinus, genere Britanus, nullis rebus gestis illustris, sed memoria tantùm nominis, benè apud omnes gentes ominati, commendatus, in locum Gratiani Principis interfecti, contra Honorium Imperatorem subrogatus est. Ab eius partibus Galliæ magna pars, atque Hispaniæ stetit; Romani Imperij diuturnitate, atque grauissimis vectigalibus, quæ in dies maiora succrescebant, cunctorum animis exacerbatis. *Zosimus, Sozomenus, & Mariana.*

Stilico, natione Vandalus, Theodosij Magni Imperatoris dux inclytus, Honorij Principis tutor, atque socer, principatum in Eucherium filium suum ex Serena genitum, transferendi cupidus, Alanos, Vandalos, Sueuos, aliosque Barbaros clam exciuit eodem Christi anno quadringentesimo septimo, Arcadij, & Honorij Imperatorum decimo tertio; sequenti verò immensam auri vim Alarico dari curauit, quo ipse ad proditionem vsus est. *Zosimus, & Orosius.*

Heraclianus Comes, Africæ præfecturâ sub idem tempus ab Honorio Principe donatus; Biennio post Prouinciæ Tyrannidem arripuit. *Hieronymus Epist.* 8. Isdigerdes Persarum Rex, cum quo Arcadius fedus ad annos centum inierat, eique iam morti proximus Theodosium filium suum octennem enixè commendarat. *Paulus Diaconus, & Mariana.* Olympius dux pietate insignis, diutinæque proditionis vindex, Magister officiorum creatus, summæ fuit potentiæ in aula; Huius siquidem arbitratu, Stilicone sublato res vniuersæ administrabantur. Quare inuidia laborans, breuî in ordinem redactus fuit, *vt testatur Zosimus.*

Constans Constantini filius, Cæsar à Patre ex monacho factus, in Hispaniam magno cum exercitu præuius mittitur, anno Christi quadringentesimo nono, Honorij decimo quinto, Theodosij secundo; *Prosper, & Cassiodorus.* Proximo autem Attalus vrbis præfectus, Imperatoris insignia, ab Alarico Gothorum Rege, assumpsit; Moxque Honorium Prin-

cipem Imperij consortem dedignatus, purpurâ ab eodem exutus fuit, à quo illam acceperat. *Sozomenus, & Orosius.* Sarus demum Honorij dux clarissimus, genere Barbarus, ceteris fœderatis, & robore corporis, & dignitate præstans. *Zosimus lib.* 5.

VIRI ERVDITI.

Syluius cognomento bonus, natione Britannus, vir Latinæ linguæ peritissimus, Rhetor eloquentissimus; Poëta acutissimus, Regnique proceribus, tum propter ingenij vim, ac mirabilem in dicendo libertatem, tum propter elegantiam singularem percarus; multa edidit opera, quorum aliqua etiamnum extant, Maximi nimirum Cæsaris laudes; bella Armorica, Epistolæ variæ; Poëmata nonnulla, & inuectiuæ in Ausonium. Pitseus de viris illustribus Britanniæ. Palladius Galata, Euagrij discipulus, scripsit Historiam Lausiacam, quam ex Græco conuertit Gentianus Heruetus. *Gesner.*

Zosimus Historicus Græcus, Imperatorum res gestas à morte Cari, seu ab anno Christi ducentesimo octogesimo tertio, ad Arcadium vsque, complexus est. *Gesner.* Eunapius multiplici eruditione illustris, Philosophorum Sophistarum, Romanorumque Principum vitas, ab Herodiani temporibus, ad sua vsque, Græcè composuit. *Auctor citatus.*

NATALITIA AVGVSTA.

Theodosius, Arcadij Imperatoris Orientis ex Eudoxia filius, nascitur quarto idus Aprilis, anni quadringentesimi primi, principatus septimi. Tertio verò idus Februarij anni quadringentesimi tertij, Marina eiusdem Imperatoris filia, in lucem prodiit. *Marcellinus Comes, & Chronicon Alexandrinum.*

OPERA PVBLICA.

Instante Gothici exercitus metu, Romam nouis circumcinxit menibus Honorius Imperator, anno Christi quadrin-

gentesimo tertio, principatus nono. Ita Claudianus Poëta, & vetus inscriptio, quæ legitur super Portuensem portam, trans Tybetim. Hanc habes apud Smet. *Pag. 8. num. 1.* Tanti verò operis cura, Stiliconi, & Macrobio commissa fuerat.

Argentea Eudoxiæ Augustæ statua profano ritu, & indignis histrionum spectaculis, contrà præscriptam à Theodosio Principe legem, erigitur è regione templi, anno Christi quadringentesimo quarto, Arcadij, & Honorii Imperatorum decimo. *Leg. 1. de Imag. Imp. Codice Theodosiano.* Cisterna insuper ingens, iuxtà porphyreticam Constantini Imperatoris columnam, quæ in ipsius foro eminebat, extructa fuit eadem in vrbe, anno Christi quadringentesimo septimo, Arcadij, & Honorij decimo tertio, *Marcellinus Comes.*

PRODIGIA.

Terra, septem dierum spatio, horrendos in foro pacis, mugitus, quibus ciues omnes vehementer perculsi fuere, Romæ edidit, anno Christi quadringentesimo octauo, Honorij Principis decimo quarto. *Marcellinus Comes.*

CALAMITATES.

Tanto gelu Pontici maris superficies concreuerat, anno Christi quadringentesimo primo, Arcadij, & Honorij Imperatorum septimo, vt mense integro, soluta glacies per Propontidem, montium instar, decurrerit, anno verò sequenti, ingenti terræ motu quassata fuit Constantinopolis *Marcellinus Comes.*

Stupendæ magnitudinis grando Byzantinum agrum longè, latéque peruastauit, anno Christi quadringentesimo quarto, Arcadij, & Honorij Imperatorum decimo. *Prosper, Socrates lib. 6. & Sozomenus lib. 8.* Varij sub idem tempus crepitantium flammarum globi, è templo Constantinopolitano derepente erumpentes, non tantùm nobile illud opus, verùm etiam, haud parùm dissitas Senatorias ædes consumpserunt, *Palladio teste.*

RES BELLICÆ.

Alaricus è Pannonia per Noricas Alpes, & Tridentinum saltum; pulso iam Honorij Imperatoris Præside, festinauit in Hetruriam, & Hastam vrbem, in qua Honorius subsiterat, obsidione cinxit, anno Christi quadringentesimo primo. Hunni autem, subiugatis Dacia, & Sarmatia, in Pannoniam penetrarunt, vbi centum viginti quinque hominum millia, cæsa sunt à Romanis, licet primo certamine inferiores longè haberentur.

Italiam magno cum exercitu petiit Alaricus, anno Christi quadringentesimo tertio, Arcadij, & Honorij Imperatorum nono, Romam aggressurus; apud Pollentiam tamen, à Stilicone Comite profligatus fuit. *Claudianus*, *Orosius*, *& Prudentius*.

Radagaisus Gothorum princeps, & Scytha, hostis longè omnium teterrimus, vniuersam cum ducentis hominum millibus, *vt vult Orosius*, *& Marcellinus Comes*, vel quadringentis *vt Zosimus*, inundauit Italiam. Verum dum barbarus babarico impetu ad vrbis excidium properat, Fusulanis montibus à Stilicone interceptus, mira felicitate debellatus fuit, totaque illa innumerabilis multitudo ad internecionem deleta, anno Christi quadringentesimo sexto, Arcadij, & Honorij Imperatorum duodecimo, *Marcellinus Comes*. Prosper tamen, totam illam cladem ad annum superiorem retulit.

Vandali, & Alani Gallias victricibus armis incursarunt, anno Christi quadringentesimo septimo, Arcadij, & Honorij Imperatorum decimo tertio; præcipuasque ciuitates, à Rhodano ad Sequanam vsque, euerterunt. *Sigibertus*, *& Hieronymus*.

Res occidentalis Imperij Stiliconis dolo, turbatæ fuerunt, anno Christi quadringentesimo octauo, Honorij Principis decimo quarto. Hic enim, & fœdus cum Barbaris inierat, & eorum stipendia auxerat; portus quoque, atque littora, multis communierat præsidijs, ne ex oriente annona, vel suppetiæ transueherentur. *Zosimus*, *Orosius*, *& alij*.

Vrbs ab Alarico obſeſſa fuit, anno Chriſti quadringenteſimo nono, Honorij decimo quinto, Theodoſij Iunioris ſecundo; omnes tamen illæ Barborum copiæ, aliò traductæ fuere, perſolutis eorum duci quinquies mille libris auri; trecies mille argenti; quatuor mille tunicis ſericis; ter mille pellibus coccineis; piperis pondere quod ter mille libras æquaret. Sed cùm ærarium exhauſtum iam eſſet; nec priuatorum opes, tantam pecuniæ ſummam perficere poſſent, in eam itum ſententiam, vt aurea, atque argentea idolorum ſimulachra conflarentur, reliquaque templorum pretioſiſſima ornamenta, auferrentur, *vt aſſerit Zoſimus lib.* 5. Nec dum etiam pax confirmata. Alaricus ſiquidem cum pro fœdere ſanciendo, Ariminium ſe contuliſſet, inter pacis conditiones, eas addidit, vt auri magna vis, quotannis, atque annona, quæ ſatis ei eſſet, concederetur. Pars quoque Italiæ, præter Dalmatiam, & Noricum, traderetur; obſides redderentur; ipſe denique vtriuſque Romanæ militiæ crearetur imperator. Verùm Romano ſenatu haud quamquam iis aſſentiente, immò Honorio Imperatore renitente; vrbi iterum caſtra admouit Barbarus. *Sozomenus & Hieronymus Epiſt.* 16.

Porro Ariminium ciuitas eſt Italiæ à proximo flumine ſic dicta, extructa, anno ante Chriſtum ducenteſimo ſeptuageſimo; ab Octauio aucta, à Liburnis diruta; ſed à Diocletiano reſtaurata, fuſiſque hoſtibus, arcu triumphali ornata.

Sueui, Vandali, & Alani, populatis Galliis, Pyrenæi clauſtra perrumpentes, Hiſpanias inuaſerunt eodem Chriſti anno quadringenteſimo nono, quas inter ſe ita partiti ſunt, *Iſidoro teſte, & Mariana lib. 5. de rebus Hiſpaniæ.* Sueui, & Vandalorum pars Gallæciam, latioribus quàm noſtra ætate finibus protenſam (nam & Caſtellam veterem ſuo complectebatur ambitu) ſortiti ſunt. Luſitaniam; & Carthaginenſem prouinciam, Alani, demptis Carpetanis, & Celtiberis, qui in Romanorum fide perſtitere, Silingi, quod Vandalorum genus alterum fuit, Boëticam, mox Vandaloſiam ab illis nuncupatam. His peractis, fœdus cum Romanis ſancitum eſt. Armorici ſub idem tempus, & maioris Britanniæ incolæ, Romanis

nis subditi, expulsis Romanorum ducibus, in libertatem se vendicarunt. *Zosimus lib. 5.*

Alaricus exoptans iterum cum Honorio Principe pacisci, stolido consilio repulsus fuit. Quare exemplo Gothorum, Hunnorumque copiis stipatus, cum Athaulpho vxoris fratre, Romam diuturna obsidione fatigatam, in potestatem redegit, anno Christi quadringentesimo decimo, Honorij Imperatoris decimo sexto. Valuere tamen apud Barbarum, & Arrianum Regem humanitas, & religio; ciuibus enim temperarum, in tecta vero sæuitum est, templis, sacrisque intactis; tum sexto die, ab vrbe, modico incendio defœdata digressus; Placidiaque Imperatoris sorore Athaulpho tradita, Rhegium, extremum agri Brutii oppidum, petiit. *Prosper, Socrates, & Sozomenus.* Saraceni demum, aliique ex oriente Barbari, eodem Christi anno Palæstinam, atque Ægyptum, fœdis latrociniis infestarunt. *Hieronymus Epist. 82.*

REI INSIGNES.

Stilico proditionis insimulatus, capite mulctatus est Rauennæ decimo Kalendas Decembris, anni quadringentesimi octaui, Honorij decimi quarti, Theodosij Iunioris primi, eiusque monumenta diruta, nomenque abrasum, *Marcellinus Comes, & Iornandes.*

Eucherius Imperij affectati reus, Romæ in foro pacis interfectus est, anno Christi quadringentesimo nono, Honorij decimo quinto, Theodosij iunioris secundo. *Orosius.* Serena Honorij fratris Theodosij filia, Stiliconis vxor, & mater Eucherij, conspirationis mariti, in Honorium Imperatorem, consors, adnitente Placidia, Principis germana, laqueo ex Senatusconsulto extincta est eodem Christi anno. *Zosimus lib. 5.*

OBITVS ILLVSTRES.

Gainas in orientem pergens, post acceptas terra, marique clades maximas, tandem cum suis cæsus est, anno Christi quadringentesimo primo, Arcadij, & Honorij Imperatorum sep-

timo. Eius caput hastili præfixum, Constantinopolim allarum est tertio nonas Ianuarij. *Chronicon Alexandrinum, & Marcellinus Comes.*

Radagaisus Paganus, Gothorumque Princeps immanissimus, prælio victus, captusque, perit anno Christi quadringentesimo sexto, Honorij Imperatoris duodecimo. *Orosius.* Sequenti vero anno Marcus Tyrannus ab iis, à quibus purpuram sumpserat è viuis ereptus est. Eodem enim Gratianus desiit. Eudoxia item Arcadij Imperatoris vxor vterum gestans, quatriduoque parturiens, cum fœtum iam emortuum eniti non posset, naturæ concessit, eodem Christi anno quadringentesimo septimo. *Baronius.* Extremum denique diem clausit Thermentia, Honorij Imperatoris coniux, quarto Kalendas Augusti, anni Christi quadringentesimi noni, Honorij decimi quinti, Theodosij iunioris secundi. *Chronicon Alexandrinum.*

DECAS SECVNDA.

HONORII IMPERATORIS *Occidentis Gesta.*

VICENNALIA magno cum apparatu Romæ celebrauit anno quadringentesimo vndecimo, principatus decimo septimo. *Marcellinus Comes.* Anno autem quadringentesimo decimo sexto, principatus vigesimo secundo rescriptum dedit aduersus Gentiles, quo eos militia, aliisque muneribus, priuauit. *Leg. 21. de Paganis Codice Theodosiano.*

THEODOSII IMPERATORIS *Orientis Gesta.*

DEcennalia maiori quam hactenus scenâ exhibuit, anno Christi quadringentesimo vndecimo, principatus quarto; sororem verò Pulcheriam, natu maximam, annumque decimum sextum agentem, in Imperij consortem assumens, Augustam creauit, anno Christi quadringentesimo decimo quinto, principatus octauo. *Marcellinus Comes.* Proximo demum Constantinopolim ex Heraclia veniens, aureâ coronâ, ab Vrso Præfecto, pridie Kalendas Octobris, donatus est. *Chronicon Alexandrinum.*

REGES FRANCORVM.

PHARAMVNDVS PRIMVS FRANcorum Rex eiusque Gesta.

PHaramundus scuto, pro solemni, antiquoque gentis ritu, impositus, in Regem inauguratus est, anno Christi quadringentesimo vicesimo, Honorij Imperatoris vicesimo sexto, Theodosij iunioris decimo tertio, legesque optimas condidit, quibus, sanctissima Regni sui auspicia captauit. *Prosper, & Sigebertus.*

HEROES

Sanguine, Gestis, & Politia.

Athaulphus Princeps illustrissimus, Rex à Gothis, Alarico in extrema Italia iam defuncto, creatus est, anno Christi quadringentesimo vndecimo, Honorij decimo septimo, Theodosij iunioris quarto. Gallam Placidiam Theodosij Magni filiam, & Honorij sororem, Narbonæ, vt vult Idatius, vel Romæ apud forum Cornelij, *vt referunt alij*, magno Reipublicæ bono, in vxorem duxit. Hæc enim, variis illecebris atque blanditiis, ita mariti animum inflexit, vt illum ab ingenti illa Imperii clade, quâ nouum Gothicum Imperium constituere, omnesque deinceps Principes, Athaulphos, vt anteà Cæsares, nuncupari exoptabat, feliciter auerterit; immò ad fœdus cum Honorio Imperatore ineundum, suauiter impulerit. Quare Gothorum copiæ ex Italia deductæ, anno Christi quadringentesimo duodecimo, Honorij decimo octauo, Theodosij iunioris quinto, in Galliæ Hispaniæque finibus consederunt, Regnique sedes, Narbonæ collocarunt: vnde Galliæ Gothicæ nomen deductum; finibus tamen sæpè alternantibus, pro vario bellorum successu. *Orosius, Iornandes, auctor* Miscella, *&* Mariana.

Maximus rerum in citeriori Hispania potitus est, anno Christi quadringentesimo vndecimo, *teste Mariana*, breui tamen è solio deiectus, ærumnosam, inter Barbaros, vitam agere coactus fuit. Constantius dux, multis præfecturis clarus, varios hinc inde enascentes Tyrannos extinxit eodem Christi anno. Gothos verò Narbonâ expulit, anno Christi quadringentesimo decimo quarto, Britanniamque sub idem tempus, vt scribit Beda, ad iura Romana redegit; Attalum denique Galliarum Augustum captum, vinctumque ad Honorium anno sequenti misit. Ea propter à Galla Placidia Honorij sorore, (quam Vallia Athaulpho Patre mortuo, eidem Principi reddiderat) & corona, & purpura auctus fuit, anno Christi quadringentesimo decimo octauo, *vt asserit Sozomenus, Orosius, & Mariana*; Prosper verò addit eum insuper è Cæsare, Imperatorem ab eodem Principe Honorio renunciatum fuisse, anno Christi quadringentesimo vigesimo.

Gundericus, patre Mogogisil Vandalorum Rege in Hispania mortuo, Regni insignia suscepit, anno Christi quingentesimo vndecimo, vt testantur scriptores Hispanici. Marinus Honorij Imperatoris dux, & Heracliani hostis Reipublicæ infensissimi debellator acerrimus, nobili Africæ præfectura ornatus fuit, anno Christi quadringentesimo decimo tertio, Honorij decimo nono, Theodosij iunioris sexto. *Orosius lib. 7.*

Sigericus Princeps bello, ac pace spectatissimus; procero corpore, atque oris dignitate conspicuus, in locum Athaulphi Gothorum Regis, quamuis crure altero, ex equi casu, debilitato, subrogatus fuit, anno Christi quadringentesimo decimo quarto, Honorij Imperatoris vigesimo, Theodosij iunioris septimo. *Paulus Æmilius, & Mariana.*

Vallia Athaulphi filius, inquieto ingenio, atque bellaci, Sigerico Gothorum Regi extincto, successit, anno Christi quadringentesimo decimo quinto, Honorij vigesimo primo, Theodosij iunioris octauo. Ipso principatus exordio in Africam instructa classe transuehi voluit, siue rerum suarum desperatione, cùm vtrinque hostes, hinc Constantius, inde nationes Barbaræ, terrorem incuterent; siue alia quauis causa,

ac præfertim Mauritaniæ occupandæ ftudio. Verùm difiecta, vi tempeftatis, claffe, ad freti Gaditani fauces, in Oceanum regredi prohibitus, ac neceffitate in Hifpaniam reuocatus, cum Conftantio fœdus fanciuit; ea tamen lege, vt Placidiam Athaulphi coniugem, Honorio Principi reftitueret, acceptis frumenti modiorum fex millibus, *vt fcribit Olympiodorus*, nationefque barbaras, quæ Hifpaniam occuparant fatigaret; tum ob domitam gentem illam ferocem, atque afperam, Aquitaniæ poffeffione, tractu nobiliffimo Garumna flumine, & Pyrenæis montibus comprehenfo, vbi Tolofa, & Burdegala vrbes celeberrimæ fitæ funt, donatus fuit, anno Chrifti quadringentefimo decimo nono, Honorij decimo quinto, Theodofij iunioris duodecimo. Hinc factum eft, vt ifti Gothi quod in occafum vergerent, Vifigothi fuerint appellati, alij verò qui Orientalem plagam incolerent, Oftrogothi.

Attalus Gothorum ope, Imperij infignia nomenque inane, immò exitiale iterùm affumpfit in Gallijs, anno Chrifti quadringentefimo decimo quarto, Honorij vicefimo, Theodofij iunioris feptimo. Anno verò fequenti, in Hifpaniam deuectus eft, vbi confiliis, ac viribus deftitutus, captufque in mari, ad Honorium mittitur, à quo in triumphum ductus, anno Chrifti quadringentefimo decimo feptimo, Honorij vicefimo tertio, Theodofij iunioris decimo, præcifa manu, ad Liparam, vnam ex Æoliis Infulam, quam Serapio Libam vocat, deportatur. *Profper.*

Athax Alanorum Rex clariffimus, magnique nominis, *tefte Mariana*; Plinta Palæftinam regebat, anno Chrifti quadringentefimo octauo, Honorij Imperatoris vigefimo quarto, Theodofij iunioris vndecimo, *vt vult Marcellinus Comes & alij.* Largus proconfulari dignitate Africæ præerat, anno Chrifti quadringentefimo nono, Honorij vigefimo quinto, Theodofij iunioris duodecimo; *Baronius.* Theodoretus feu Theodoricus, Vallia fublato, Gothici regni fafces fufcepit eodem Chrifti anno. *Mariana lib. 5. de rebus Hifpaniæ.*

VIRI ERVDITI.

Synesius è Pentapoli Africæ, Philosophus Christianus, & Præsul Ptolemaidos, scripsit de re grammatica, & philosophica libros aliquos; de somniis insuper; de Regno ad Arcadium Imperatorem; orationes panegyricas; Calitij encomium, & Epistolas varias. *Suidas, Volaterranus, & Gesner.*

Hyppatia, Theonis Philosophi Mathematici filia, & vxor Isidori Philosophi, quam Synesius summo in pretio habuit, magistram suam identidem vocitans, docuit Alexandriæ, tanto cum applausu, vt omnes vndiquaque ad illius scholas turmatim confluerent; Commentarium in Diophantem composuit; Astronomicum canonem, & varia in Apollonium. *Suidas, Socrates, & Volaterranus.*

Proba Falconia, Adelphi Romani viri proconsularis vxor, ingenio subtili, atque acuto, carmen ex Virgilij versibus consutum, descriptionem vtriusque testamenti continens mirabili arte contexuit. *Giraldus.* Priscus denique Panistes Historiam Byzanticam, Attalicam libris acto; declamationes item, Rhetoricas præceptiones, & Epistolas varias typis edidit. *Suidas.*

NATALITIA AVGVSTA.

Placidius Valentinianus ex Placidia Honorij Imperatoris sorore, & Constantio Cæsare natus est, sexto nonas Iulij, anni Christi quadringentesimi decimi octaui, Honorij Principis vigesimi quarti, Theodosij iunioris vndecimi; *Ita Prosper, Marcellinus tamen refert ad annum sequentem.*

REGNORVM ORTVS.

Burgundiones, Germaniæ populi bellicosissimi, viribusque, ac multitudine præstantes, nobilissimum illum terræ tractum Rheno proximum, inito fœdere, obtinuere anno Christi quadringentesimo decimo tertio, Honorij Imperatoris de-

cimo nono; regnique florentissimi, cui Lugdunensis regio, Delphinatus, & Sabaudia, atque Prouincia connexa fuit progressu temporis, capite gentium Arelate, fundamenta posuere. *Prosper, Cassiodorus, Iornandes, & alij.*

Gothi pace concessa, omnique Aquitania, ac Narbonensis Prouinciæ quibusdam ciuitatibus, Gothicum, seu Visigothicum Imperium in Galliis, cuius caput fuit Tolosa, vrbs illustrissima, constituerunt, anno Christi quadringentesimo decimo nono, Honorij vicesimo quinto, Theodosij iunioris duodecimo. *Idatius. Paulus Æmilius, & Mariana.*

Iam magno seculorum tractu, multarum palmarum populus terrarum orbem tenuerat; sed gliscente imperantium superbia, atque auaritia, sensit futuræ mox cladis funesta præsagia, tumultuantibus hinc inde populis, quos aut superbæ dominationis fastus commouerat, aut spes recuperandæ libertatis iam diu exoptatæ accenderat, donec anno quadragentesimo vicesimo. Honorij Imperatoris vicesimo sexto, Theodosij iunioris decimo tertio, tam potens, atque formidolosum Romanum Imperium, distrahi maximè, atque lacerari cœpit, augustumque Francorum Regnum, ex tot collabentis Imperij ruinis excitari, tantam, nobilitate, ac religione immortalitatis gloriam nactum, vt illustriori honoris tumulo, Romanum Imperium donari nequaquam potuerit. Francis igitur Gallias subinde diuersis temporibus ingressis; eiectis tandem, ac domitis Barbaris nationibus, quæ ibi confœderant; ipsisque Romanis, quorum aliqua, inter tot tumultus, Imperij vmbra relicta fuerat, exactis; veteranis item missionem efflagitantibus; iuuenibus stipendia, & cunctis simul ærumnæ modum; conuentu habito Treueris, in palatio Constantini, placuit primoribus, Regem vnum, omnium suffragiis, creare, cui Francici Imperij summa, velut perpetuæ dictaturæ potestate, deferretur; nec diu cunctatum est, nullo non Pharamundum deposcente, tum ob illius virtutem singularem, tum ob animum Imperio dignum; *Prosper, & post Adonem, omnes rerum Gallicarum scriptores.*

REGNORVM OCCASVS.

Alanorum in Hispania Regnum, Athac eorum Rege, in prælio cæso, corruit anno Christi quadringentesimo vicesimo; tunc enim Alani ad Gundericum Vandalorum Principem confugerunt, regioque neglecto nomine, ei se submiserunt; *Iornandes, Rodericus Toletanus, & Mariana.*

PRODIGIA.

Tantæ molis gigantis cuiusdam dens repertus est, anno Christi quadringentesimo decimo tertio, Honorij Imperatoris decimo nono, Theodosij iunioris sexto, vt centum nostræ ætatis hominum dentibus æquare potuisset. *Sigebertus.*

Palladius quidam nomine, ea velocitate veredos agebat, vt spatio trium dierum ad Romanorum, Persarumque terminos, mirabili facilitate, perueniret; totidemque emenso spatio, Constantinopolitanam vrbem hilariter subiret. Hinc factum, vt equi celeres, Palladij fuerint nuncupati. *Historia tripartita lib. 11. c. 15.*

Stella ignea tota, ardensque apparuit in oriente, mense Septembri, anni Christi quadringentesimi decimi octaui, Honorij vicesimi quarti, Theodosij iunioris vndecimi. *Marcellinus Comes.*

CALAMITATES.

Pestilentiæ, fames, crebraque bella, vniuersum penè orbem, incendij latè cuncta deuastantis instar, fœdissimis flammis corripuere, anno Christi quadringentesimo vndecimo, Honorij Imperatoris decimo septimo, Theodosij iunioris quarto. *Iornandes.*

Gothorum numerosa classis transitum in Africam tentans, funerea tempestate iactata, Gaditano in freto, funditus periit, anno Christi quadringentesimo decimo quarto, Honorij Imperatoris vicesimo, Theodosij iunioris septimo. *Orosius lib. 7.*

Ciuitates permultæ Palæstinæ regionis, magno terræ motu collapsæ sunt, anno Christi quadringentesimo decimo nono, Honorij Imperatoris vicesimo quinto, Theodosij iunioris duodecimo. *Vt testatur Marcellinus Comes.*

RES BELLICÆ.

Constantinus Britannus obsessus Arelati, anno Christi quadringentesimo vndecimo, quartoque obsidionis mense captus, in Italiam ad Honorium Principem missus est, *vt refert Auentinus.* Sequenti vero Athaulphus Visigothorum Rex Hispaniam variis incursionibus atque depopulationibus euastauit. *Iornandes.*

Heraclianus, cum incredibili classe trium millium, & septingentarum nauium, (quem numerum, neque apud Xerxem Persarum Regem; neque apud Alexandrum Magnum, neque apud alium quempiam Principem fuisse testantur Historiæ) Romam adnauigauit, anno Christi quadringentesimo decimo tertio, Honorij decimo nono, Theodosij iunioris sexto; à Matino tamen Comite feliciter debellatus fuit. *Orosius lib. 7.*

Franci ægrè ferentes, *vt asserit Sigonius*, quòd Burgundiones consedissent in Gallia, acriter in eos irrupere, anno Christi quadringentesimo decimo quarto, Honorij Imperatoris vicesimo, Theodosij iunioris septimo; euersaque iterum Treuerensi ciuitate, Prouinciam, quæ hodie Brabantia nuncupatur, occuparunt. *Gregorius Turonensis.*

Alani prostrati penitus, atque deleti fuere à Gothis, anno Christi quadringentesimo vicesimo, Honorij Imperatoris vicesimo sexto, Theodosij iunioris decimo tertio. *Vt scribit Iornandes.*

TRIVMPHI.

Honorius Imperator, triumphali pompa, ac omnium ordinum comitatu, curruque præeunte Attalo, vrbem ingressus est, anno Christi quadringentesimo decimo septimo,

principatus vicesimo tertio. In eo triumpho, insignes de pluribus hostibus, ac in primis de Gothis, qui Attalum in Imperium euexerant; de Tyrannis insuper, Gentilibus, ac Barbaris, Disque ipsis, qui variis responsis varios, eluserant, celebratæ fuere victoriæ, augustáque erecta trophæa *Prosper in Chronico.*

REI INSIGNES.

Constantinus Britannus apud Arelatum vbi se sacris initiandum curauerat, captus anno Christi quadringentesimo vndecimo, Honorij decimo septimo, Theodosij iunioris quarto, morte mulctatur quòd in Galliis Imperium inuasisset. *Idatius, Vasæus, Marcellinus Comes, & alij.* Constans verò ipsius filius eiusdem criminis reus, simili fato, sub idem tempus, Viennæ cecidit. Anno autem proximo Iouinus, & Sebastianus fratres, res nouas in eadem prouincia molientes, cæsi sunt, *vt referunt citati Auctores.*

Heraclianus Reipublicæ hostis, vt pote qui in eam, & Honorium Principem arma sumpserat, Carthagine, in æde memoriæ, Imperatoris iussu extinguitur, anno Christi quadringentesimo decimo tertio, Honorij decimo nono, Theodosij iunioris sexto, eiusque nomen è publicis monumentis erasum. Sabinus item illius socer, eiusdemque sceleris conscius, exilio damnatus fuit. *Orosius lib.* 7. Sexto denique pòst anno Plinta Palæstinæ præses, armis in Theodosium Principem insurgens, interimitur. *Chronicon Alexandrinum.*

OBITVS ILLVSTRES.

Alaricus Gothorum Rex, dum iter in Siciliam adornat, Consentiæ, quæ est ciuitas in agro Brutio, repentina morte interiit. Illius cadauer, si fides habenda est auctori Miscellæ *lib.* 13. intra ipsum Basentij fluminis alueum, deriuato captiuorum labore, fluuio, moxque restituto, magnis cum opibus reconditur, captiuis consiliis, ne quis proderet, interfectis. *Sozomenus lib.* 9. *c.* 12.

Athaulphus, Alarici ſucceſſor, & affinis, Placidiæ coniux, vnà cum ſex filiis, vt conſtat ex Epitaphio, in illius mauſoleo, inſcripto, Barcinone ſublatus eſt, anno Chriſti quadringenteſimo decimo quinto, Honorij Imperatoris viceſimo primo, Theodoſij iunioris octauo. *Oroſius; Proſper tamen hæc ad annum ſequentem refert.* Segericus in Athaulphi locum ſubrogatus, periit eodem anno, quòd ad pacem nimis propenſus videretur.

DECAS TERTIA.

HONORII IMPERATORIS Occidentis Gesta, & Obitus.

TRICENNALIA quæ pro Imperio liberando vouerat, magnâ scenâ Rauennæ exhibuit, anno Christi quadringentesimo vicesimo secundo. Mos enim ille solemnis erat apud antiquos, vt in præsentibus periculis, ludi aliqui vouerentur. *Ita Cassiodorus, Marcellinus Comes, & alij*; immò & triumphalia ornamenta ex marmore, ære, argento & auro; nobis illud ipsum etiam indicant hæc voces, votis viginti, votis triginta, hoc est vicennalibus, tricennalibus, &c.

Gallam Placidiam Augustam, sororem suam, ad Theodosium Principem, in orientem misit, anno Christi quadringentesimo vicesimo tertio, principatus vltimo; decimo enim octauo Kalendas Septembris eiusdem anni, obiit Romæ. *Socrates lib. 7. & Prosper.*

ICON

HONORII IMPERATORIS OCCIDENTIS.

HONORIVS, *Arcadij frater natu minor, à patre Theodosio Magno, orienti præficitur, post cuius obitum, infelici rerum successu, multum, diuque, tùm domesticis, tùm externis pariter motibus assiduè, fœdéque iactatus fuit. Gildo siquidem Regnum Africæ adeptus, ætatemque Principis aspernatus, ad Imperium animum adiecerat; quem tamen, fratris Masce zelis operâ debellatum, extinxit, rebellantem verò Masce zelem Bonifacij auspiciis profligauit. Sueuos, Vandalos, Alemannos, à Stilicone ipsius tutore accitos, vt nouum filio suo Eutropio, principatum pararet; Sari ducis celeberrimi studio, victricibus armis repulit, Radagaiso eorum Rege capto; tum cum Alarico, Athaulpho, & Vallia Gothorum Regibus, post crebra, cruentaque certamina, fœdus iniit; dein Constantinum virum illustrem, rerumque gestarum gloriâ percelebrem, Imperij consortem fecit; Sororemque suam Placidiam illi in vxorem dedit. Tandem magnis Reipublicæ tempestatibus perfunctus, morbo aquæ intercutis, Romæ desijt.*

VALENTINIANI IMPERATORIS Occidentis Gesta.

HONORIO Principe vita functo, Valentinianus tertius, Cæsaris nomine, à consobrino suo Theodosio iuniore Romæ auctus, contra Ioannem Tyrannum, qui Castino conniuente, Imperium occidentis inuaserat, magnis itineribus vna cum matre Placidia Augusta contendit, anno Christi quadringentesimo vicesimo quarto sequenti autem, decimo Kalendas Nouembris, aurea ab eodem Theodosio donatus est corona, nouusque Augustus, totius Italiæ suffragio salutatus, pias quamplurimas leges edidit. *Idatius, Cassiodorus, auctor miscellæ.*

THEODOSII SECVNDI, SEV IVNIORIS Imperatoris Orientis Gesta.

Athanaim, Leontij Philosophi filiam, ad eloquentiam, ac scientias omnes natam, matrimonio sibi iunxit, anno Christi quadringentesimo vicesimo primo, principatus decimo quarto, *Marcellinus Comes, & Socrates.*

Turbatas res in occidente, anno Christi quadringentesimo vicesimo quinto, principatus decimo octauo, ira composuit, vt Aetium Comitatus dignitate, Hunnos vero magna pecuniarum vi donarit. *Prosper in Chronico.*

Litterarum studiis, Constantinopoli, noua condita lege, consultum voluit tertio Kalendas Martij, anni quadringentesimi vigesimi quinti, qua Oratores tres Romanæ facundiæ; Græcæ quinque, Grammatices decem; Philosophum vnum, & duos iuris, legumque professores peritissimos constituit. Aliam item sanctionem edidit idibus eiusdem mensis Martij, quâ voluit, vt omnes, qui duodeuiginti annos docendo explessent, summis honoribus colerentur. *Leg. 3. de studiis liberalibus Cod. Theod. & Leg. 1. de professoribus.*

PHARAMVNDI FRANCORVM Regis Geſta, & Obitus.

PAcem cum Gallis ſanciuit, anno Chriſti quadringenteſimo viceſimo quinto, principatus quinto; moxque Polyenæ Cauarini Pariſiorum, ac Senonum reguli filiæ, Clodionem filium ſuum in coniugem dedit; emenſiſque annis nouem, in regni Francici adminiſtratione, obiit anno Chriſti quadringenteſimo viceſimo octauo, *vt referunt annales.*

ICON

PHARAMVNDI FRANCORVM REGIS.

PHARAMVNDVS, *Marcomiri filius, maternum genus à Iouiniano Imperatore ducens, magnisque virtutibus, sed iustitiæ præsertim studio illustris, primus Regni insignia sumpsit, Imperio certè dignus, multarumque rerum vsu, tantæ molis capax. Leges optimas ipso principatus exordio condidit, quas vt magis Francorum animis, altiusque infigerentur, ad Martis numen, quod ipse religiosissimè venerabatur, retulit. Togæ, ac paci maximè incubuit; aliqua tamen felicibus auspiciis suscepit bella; federeque cum Gallis inito, Polyenam Clodioni suo collocauit, tum anno Imperij nono mortem oppetiit.*

CLODIONIS FRANCORVM Regis Gesta.

SVblato è viuis Pharamundo, anno Christi quadringentesimo vicesimo octauo, Clodio filius, regio diademate, omnium votis, ornatus fuit, populosque rebellantes nullis aliis causis, nisi quod mutatus Princeps licentiam turbarum, & ex bello spem præmiorum ostenderet, fortiter repressit. *Gillius in Clodione, & alij.*

Sss

HEROES

Sanguine, Gestis, & Politia.

Varanes, in locum Isdigerdis patris demortui, suffectus est, Regnique Persici habenas suscepit, anno Christi quadringentesimo vicesimo primo, Honorij Imperatoris vicesimo septimo, Theodosij secundi, seu iunioris decimo quarto. *Agathias.*

Fergusius secundus, Princeps militari gloria inclytus, per aliquot enim annos Alarico Gothorum Regi summa cum laude militarat, Romanæque vrbis excidio interfuerat, Scotici regni instaurati, Augustus omnium suffragio salutatur, anno Christi quadringentesimo vicesimo secundo. Hic gentem Scoticam Romanorum tyrannide dissipatam, penéque extinctam, iterum ad antiquam formam reuocauit, annoque exilij quadragesimo quarto emenso, vt vult Buchananus, vel quinto, vt Leslæus, in patriis sedibus, è quibus à Romanis eiecti fuerant, collocauit; otij denique aliquantulum nactus, strenuam operam rebus omnibus, quæ ad pacem, Regnique gloriam spectabant, adhibuit.

Bonifacius, genere Thrax, prudentia, ac felicitate præstans, in Africam secessione facta, vt saluti suæ prospiceret, se subrepsit, anno Christi quadringentesimo vicesimo secundo; Honorij Imperatoris vicesimo octauo, Theodosij iunioris decimo quinto; vbi Castinum, qui in perniciem suam, funesta inierat consilia, ad se confugientem recepit; Ioannem Tyrannum obtriuit, anno Christi quadringentesimo vicesimo quarto; Mox affectati Imperij accusatus, belloque publico lacessitus, Vandalos ex Hispania, in Africam exciuit, anno Christi quadringentesimo vicesimo septimo; Sequenti vero in amicitiam Placidiæ Augustæ, & Valentiniani Imperatoris restitutus, Vandalos expellere conatu irrito tentauit; victusque ab eis, Hipponem se contulit. *Ita Procopius de bello Vandalico.*

Flauius Ioannes vilis natalibus, primicerius Notariorum,

ac præfectura anno superiori defunctus, vt testantur Imperatorum rescripta, Imperium occidentale arripuit, anno Christi quadringentesimo vicesimo tertio, Honorio Principe mortuo; *Prosper.*

Ardaburius Arrianus missus à Theodosio iuniore Imperatore contra Ioannem, ventorum vi abreptus, in Tyranni potestatem incidit, anno Christi quadringentesimo vicesimo quarto, Theodosij decimo septimo. *Socrates.* Asper ipsius filius, Angelo duce, pastoris speciem referente, Rauennam, aperto, per inuias paludes, itinere, peruenit anno Christi quadringentesimo vicesimo quinto, Theodosij decimo octauo, tum Ioanne Tyranno interempto, patrem feliciter liberauit. Rhoilas Scytharum Nomadum dux, secundæ famæ, ac potentiæ summæ, *Socrate teste.*

Geisericus, seu Gensericus, extincto Gunderico fratre Vandalorum Rege, rerum summâ potitus est, anno Christi quadringentesimo vicesimo sexto, Theodosij decimo nono, Valentiniani tertij secundo, primusque in Africa Vandalorum Princeps creatus, *Idatius, Iornandes, & alij.* Hermericus Sueuorum Rex celeberrimus, magnisque virtutibus illustrissimus Gallæciam administrabat sub idem tempus, *vt asserit Rodericus Toletanus.*

Attila, Dei flagellum, nuncupatus, mundique terror, ab Hunnis, qui in Pannoniis annorum viginti spatio, sub Republica vixerant, in Regem eligitur, anno Christi quadringentesimo vicesimo octauo, Theodosij Imperatoris vicesimo primo, Valentiniani tertij quarto. *Bonfinius.* Theodoricus, Theudo à Gregorio, Theodoretus à Vasæo, & ab aliis Theodorus dictus, defuncto Vallia Gothorum Principe, Rex ab omnibus acclamatur eodem Christi anno. *Iornandes.*

VIRI ERVDITI.

Alexander medicus cognomento sophista floruit hoc tempore, medicorumque omnium Princeps habitus est, tùm ob ingenij sui solertiam, tum etiam ob multiplicem rerum cognitionem, libros tres de arte medica eruditè composuit, aliaque permulta opera. *Philippus Bergomensis.*

Eudoxia, Leontij Sophistæ Athenienſis filia, Athanais, antequam Theodoſio ſecundo nuberet, appellata, magnis naturæ dotibus aucta, Græcè ad ſummum erudita, poëticæque facultatis gloria illuſtris, tantique nominis, vt Proba Falconia centonem ſuum, mirabili arte concinnatum ad ipſam miſerit; varia nobis opera poëtica, metro heroïco, ingenij ſui monumenta reliquit; inter quæ illud præcipuum habetur, cuius inſcriptio hæc eſt, ὁμηρόκεντρα, in quo vtriuſque teſtamenti hiſtorias ex Homeri verſibus, ſeruatâ pedum menſura, Homericique carminis maieſtate, ſumma cum induſtria elaborauit. Adde egregium poëma de bello Perſico, in honorem eiuſdē Imperatoris. *Gyraldus, & Nicephorus hiſtoria tripartita.*

Voluſianus vir non tantum natalibus, ſed etiam doctrina ſingulari inter Romanos clariſſimus; Hunc enim viri omnes huiuſce ætatis eruditione præſtantes ſuſpiciebant maximè, plenaque manu collaudabant.

NATALITIA AVGVSTA.

Eudoxia Theodoſii ſecundi Principis filia naſcitur, anno Chriſti quadringenteſimo viceſimo ſecundo, principatus decimo quinto. *Marcellinus Comes.*

Scotici Regni, Fergusio ſecundo in Regem creato, initia inſtaurata fuere, anno Chriſti quadringenteſimo viceſimo ſecundo, Honorij viceſimo octauo, Theodoſij decimo quinto; *vt teſtantur rerum Scoticarum hiſtoriæ.*

OPERA PVBLICA.

Theodoſius Imperator ſtupendæ magnitudinis ſtatuam ſupra ingentem columnam patri ſuo erexit, anno Chriſti quadringenteſimo viceſimo primo, principatus decimo quarto. *Marcellinus Comes.*

Thermæ Theodoſianæ dedicatæ ſunt, anno Chriſti quadringenteſimo vigeſimo ſeptimo, Theodoſij Imperatoris viceſimo. Conſtantianæ verò, ab Hierio conſule perfectæ, quinto nonas Octobris eiuſdem anni. *Chronicon Alexandrinum.*

PRODIGIA.

Stella crinita Honorij Principis mortem portendens ap-

paruit, anno Christi quadringentesimo vicesimo tertio, *vt refert Cassiodorus.*

CALAMITATES.

Terræ motus varij varia, grauiáque passim intulere damna, anno Christi quadringentesimo vicesimo tertio, Honorij Imperatoris vicesimo nono, Theodosij decimo sexto, frugumque inopia magna fuit. *Marcellinus comes, & Cassiodorus.*

Hipponensis ciuitas fœdissimo conflagrauit incendio, anno Christi quadringentesimo tricesimo, Theodosij vicesimo tertio, Valentiniani tertij sexto. *Possidius in vita S. Augustini.*

RES BELLICÆ.

Rupto fœdere inter Romanos, & Persas, crudele, & exitiosum bellum enatum est, anno Christi quadringentesimo vicesimo primo, Honorij Imperatoris vicesimo septimo, Theodosij decimo quarto; quo Romani Nisibin acri obsidione cinxere. Varanes, seu Goronanes Isdigerdis filius, adscito sibi Alamunduro Sarraceno, signa in eos, sed infelicibus auspiciis mouit. Centum siquidem Sarracenorum millia, in auxiliares Persarum copias aduocata, repentino correpta metu in Euphratem se se coniecere. *Socrates lib. 7. & Marcellinus Comes.*

Victorius legatus arma in Scotos, Pictosque sumpsit, anno Christi quadringentesimo secundo; acriter, æquóque marte pugnatum est ad Caronam. Tum magna tempestate iactari Romani in Cantium recesserunt; Scoti autem, ac Picti ad sua se recepere, *Ita Leslæus lib. 4. de rebus gestis Scotorum.*

Ioannes Tyrannus Africam inuadere tentans, à Bonifacio Comite profligatus fuit, anno Christi quadringentesimo vicesimo quarto, Theodosij decimo septimo. *Sanctus Augustinus Epist. 4. & 6. & Prosper.* Sequenti verò Asper collectis copiis Rauennam profectus est, vbi Ioannem nouum Augustum oppressit, victoriáque potitus, captiuum patrem suum Ardaburium liberauit, anno Christi quadringentesimo vicesimo quinto, Theodosij Imperatoris decimo octauo; Bat-

bari aurem in Thraciam irrumpentes, omniaque passim ferro, atque incendio deformanres, expulsi fuere eodem Christi anno. *Socrates lib. 7. & alij.* Atchillas item nobile Galliarum oppidum, à Gothis magna vi oppugnarum fuit, donec imminente Aerio, non impune abierint. *Prosper.*

Franci, bellum in Celtas (nam Belgarum iam pars maxima Imperio inuictæ gentis adhæserat) suscipiunt sub idem tempus; Cauarinus Parisiorum, ac Senonum Regulus, vt ætate, sic in suos auctoritate, & maiorum gloriâ conspicuus, præerat hostium exercitui. Dato igitur pugnæ signo, infestis animis concursum est. Galli ex essedis per omnes latè partes prouolantes, terrore equorum, rotarumque strepitu, Francos consternebant; mox autem equitum turmis commixti, desilientes è carpentis, pedites præliabantur; sed cæso in acie, Rhodanico Gallorum fortissimo, creuit Francorum animus, & victoriæ spes haud dubia. Quare leui vulnere affectus Clodio, Pharamundi Regis filius, perterritos ducis sui fortuna ordines adeò turbauit, vt dissipati, ac palantes, facilè cæderentur; Ea propter actum est de pace, vt Franci à Gallis vltrò admitterentur. Hoc pacto, pudor victis, victori verò superbia detracta fuit.

Sueui à Vandalis in Naruasis montibus obsessi eodem Christi anno quadringentesimo vicesimo quinto, hostium impetus fortiter sustinuêre; quare Vandali victoriæ spe depulsi, instructa classe, in Baleares Insulas profecti, magna incolarum strage, illas compleuere; inde in continentem versi, Spartariam in Hispania, Carthaginem vulgò cognominatam, ab Asdrubale conditam, & paulò antè ab Alaxis ereptam, solo æquarunt. *Mariana lib. 5. de rebus Hispaniæ.*

Gundericus excisâ Spartaria, seu Carthagine in Hispaniâ, Silingos qui Romanorum auctoritatem tuebantur, facto impetu aggressus est, anno Christi quadringentesimo vicesimo sexto, Theodosij Imperatoris decimo nono, Valentiniani tertij secundo; tum eorum agros depopulatus, Hispalim vi expugnatam diripuit. *Auctor citatus.* Porrò Hispalis vrbs est Boëtica celeberrima, Romanorum colonia Romulensis cognominata. *Plinius lib. 3.* Hodie Seueilla appellatur.

Gensericus, seu Geisericus Vandalorum Rex in Mauritaniam transfretans mense Maio, anni quadringentesimi vicesimi septimi, Theodosij Imperatoris vicesimi, certior factus, quod Hermericus Sueuorum Princeps, vicinas euastaret prouincias, recursu cum suis facto, prædantem in Lusitania consecutus est, eiusque copias fudit, deleuitque, haud procul Emerita, *Auctor Miscellæ lib.* 14.

Vniuersa Vandalorum natio, ex Hispania, Genserico duce, in Africam transiens, nullo obsistente, omnia cladibus, atque direptionibus miscuit, anno Christi quadringentesimo vicesimo octauo, Theodosij Imperatoris vicesimo primo, Valentiniani tertij quarto. *Victor Vticensis, de persecutione Vandalorum, & Procopius lib.* 1. *de bello Vandalico*

Hipponensis ciuitas D. Augustini sedes obsidione tenetur à Vandalis, anno Christi quadringentesimo tricesimo, Theodosij Principis vicesimo tertio, Valentiniani tertij sexto, qui mixti Alanis, Gothis, atque aliis Barbaris, vniuersam penè ita pessunderunt Africam, vt tribus exceptis ciuitatibus, Carthagine nimirum antiqua, Cirtha, & Hippone, reliquæ omnes captæ fuerint, ingenti hominum clade, victoque Bonifacio Comite; *Possidonius.*

REI INSIGNES.

Ioannes Tyrannus affectati Imperij reus, Rauennæ extinguitur, anno Christi quadringentesimo vicesimo quinto, Theodosij Imperatoris decimo octauo. *Socrates lib.* 7. Castinus verò, qui illi fouerat, morte mulctatur sub idem tempus. *Paulus Diaconus.*

OBITVS ILLVSTRES.

Constantinus in Imperij consortium assumptus ad Honorio, vitæ munus Rauennæ impleuit, anno Christi quadringentesimo vicesimo primo, Honorij Imperatoris vicesimo septimo, Theodosij decimo quarto, Valentiniano tertio ex Placidia relicto filio. *Prosper, & Nicephorus lib.* 4. *cap.* 5. *&*

alij. Isdigerdes Persarum Rex eodem anno sublatus est. *Agathias.*

Philippus, & Salustius insignes philosophi obiere, anno Christi quadringentesimo vicesimo tertio, Honorij Imperatoris vicesimo nono, Theodosij decimo sexto. *Cassiodorus.* Biennio post Rhoilas Barbarorum Princeps ictu fulminis periit.

Gundericus Vandalorum Rex, & Mogogisil filius à dæmone correptus repente cecidit, anno Christi quadringentesimo vicesimo sexto, Theodosij decimo nono, Valentiniani tertij secundo. *Idatius, Vasæus, & alij.*

Vallia Gothorum Rex Tolosæ graui morbo laborans regiam cum homine dignitatem deposuit, anno Christi quadringentesimo vicesimo octauo, *vt refert Iornandes.*

Felix vir consularis, patriciaque dignitate ornatus, Rauennæ necatus est, anno Christi quadringentesimo trigesimo, Theodosij Imperatoris vicesimo tertio, Valentiniani tertij sexto. *Prosper, & Marcellinus Comes.*

FVNERA.

Honorij Imperatoris Occidentis cadauer magno cum apparatu, pullatáque omnium ordinum pompa, in mausoleo reconditur, iuxta sacras D. Petri reliquias. *Prosper, Socrates, & alij.*

DECAS QVARTA.

THEODOSII SECVNDI IMPERA-toris Orientis Gesta.

LEGEM tulit, anno Christi quadringentesimo trigesimo primo, principatus vicesimo quarto, quâ non tantum altare, tutissimum reis asylum esse voluit, sed etiam vniuersum templi ambitum; vetuitque arma in sacras ædes inferri; immò ipsemet legi iam latæ obsecuturus, imperauit corporis sui custodibus, arma pro templo deponere. *Leg. 1. de iis quæ ad Ecclesiam Cod. Theo. & Leg. 3. cod. Iustin.*

Sexcentas, & vndecim auri libras emendo frumento, ad pecuniam subleuandam constituit, anno Christi quadringentesimo trigesimo quarto, principatus vicesimo septimo, graui inflictâ pœnâ, si quid, quouis prætextu, à magistratibus imminutum esset. *Leg. 3. de Frum cod. Theo.*

Bellum contra Visigothos instaurare apud se statuens, fœdus cum Vandalis, concessâ illis Numidiâ, & Hipponensi ciuitate, iniit, anno Christi quadringentesimo tricesimo quinto, principatus octauo, *vt refert Prosper, Iornandes, & Cassiodorus.* Constitutiones item Christianorum tantum Principum, à Constantino Magno in lucem edidit quinto Martij eiusdem anni; ante quas, extabant Gregorianæ, & Hermogenianæ, in quibus Iurisconsultorum responsa, ac Principum placita legebantur. *Nouella Theodosij titulo primo.*

Cyzicum Bithyniæ ciuitatem amplissimam, Asiaticæ plagæ littora, arce, mœnibus, portu, turribusque marmoreis exornantem, vt scribit Florus de bello Mithridatico lib. 3. profectus est, anno Christi quadringentesimo tricesimo sexto, principatus vicesimo nono, eamque variis donauit muneribus; tum in vrbem adnauigauit. *Marcellinus Comes.* Sequenti

verò anno, Hunnos in Gallias, contra Visigothos acciuit. *Prosper in Chronico.*

Rescripsit aduersùs idolorum cultores, & Iudæos pridie Kalendas Februarij, anni Christi quadringentesimi trigesimi noni. Nouella Theodosij titulo tertio de Iudæis. Octaua insuper quinquennalia sub idem tempus exhibuit. *Marcellinus Comes.*

VALENTINIANI TERTII IMPEratoris Occidentis Gesta.

CONstantinopolim se contulit, anno Christi quadringentesimo trigesimo septimo, principatus decimo tertio, vt Eudoxiam Theodosij Imperatoris filiam, cognomento Liciniam, quam dudum desponsarat, matrimonio sibi iungeret; dein Italiam repetens apud Thessalonicam hyemauit. Prosper, Marcellinus, Paulus Diaconus. Chronicon tamen Alexandrinum asserit Valentinianum Principem, mense Octobri, Constantinopolim venisse, nuptiasque celebrasse quatto Kalendas Nouembris. Socrates verò lib. 7. refert id factum fuisse anno superiori, & vrbem Thessalonicam ad nuptias peragendas elegisse. Rauennam denique magno cum apparatu vxorem suam Eudoxiam deduxit, anno Christi quadringentesimo tricesimo octauo, principatus decimo quarto. *Marcellinus Comes.*

HEROES

Sanguine, Gestis, & Politia.

Marcianus futurus Imperator, belli, pacisque artibus illustris. *Procopius lib. 1. de bello Vandalico.* Eugenius, Fergusio secundo Scotorum Rege in acie extincto, rerum summam suscepit, anno Christi quadringentesimo tricesimo primo, Valentiniani tertij septimo; *Hector Boëtius lib. 7.*

Bonifacius Comes ex Africa delatus, militiæque magister creatus, non tam publicas cum Reipublicæ hostibus, quàm

priuatas, cum Aetio inimicitias exercens singulari certamine superauit, anno Christi quadringentesimo tricesimo secundo, Theodosij Imperatoris vicesimo quinto, Valentiniani tertij octauo. *Auctor Miscella.*

Hermericus Sueuorum Rex, pacem cum Gallæcis instaurauit, anno Christi quadringentesimo tricesimo tertio, Theodosij Principis vicesimo sexto, Valentiniani tertij nono, grauissimóque morbo laborans Rechillam filium in locum suum subrogauit, anno Christi quadringentesimo tricesimo octauo. *Idatius.*

Gundericus Burgundionum Princeps magno erat in pretio. *Prosper.* Aetius dux animi magnitudine præstans, Romanum orbem acerrimè propugnauit, anno Christi quadringentesimo tricesimo sexto, Theodosij vicesimo nono, Valentiniani tertij duodecimo. *Iornandes.* Cyrus Panoplites vrbana, ac prætorij præfectura perfunctus, patricia dignitate ornatus fuit. *Suidas.* Vitricius Reipublicæ summè fidus, belloque insignis. *Prosper.* Litorius Romanorum dux rerum gestarum gloria clarissimus. *Paulus Diaconus.*

Sebastianus Bonifacij Comitis gener, acer consilio, & bellandi arte peritus, de imminenti sibi periculo certior factus, anno Christi quadringentesimo tricesimo nono, Theodosij Imperatoris tricesimo secundo, Valentiniani tertij decimo quinto, ad Theodoricum Gothorum Regem, inde Barcinonem in Hispaniam, tum in Africam confugit. *Idatius, & Prosper.*

VIRI ERVDITI.

Theodoretus vir doctrina celebris, Historiam à Constantino Magno ad Theodosium vsque iuniorem, eruditè, atque dilucidè composuit, *Bellarminus.* Socrates scriptor illustris eandem attigit vsque ad annum quadringentesimum tricesimum nonum. *Auctor citatus.*

Sozomenus Imperatorum gesta, à Constantino ad annum Christi quadringentesimum vicesimum tertium protraxit. Vincentius Lirinensis libellum nobis reliquit de profanis vocum nouitatibus. *Bellarminus.*

Cælius Sedulius Scotus, vt volunt aliqui, varia scripsit tum stricta, tum soluta oratione, ac præcipuè carmen ad Theodosium secundum Imperatorem; Hunc Gelasius Pontifex ob summam, ac mirabilem eruditionem, quâ inter ceteros eminebat, Venerabilem appellauit. *Leslæus lib.* 4.

REGNORVM ORTVS.

Regnum Britannicum enatum est, anno Christi quadringentesimo tricesimo quinto, sub Regibus Constantino, Vortigerio, Vortimerio, Vtherio, Pendracone, Atturo, Constantino, Conano, Vortiporio, Maglocuno, Carentio, Caduano, Cadouallone, & Cadoualladro, Stetitque hoc Imperium, donec gliscente inter Britannos discordia, Cadoualladrus sub annum sexcentesimum quadragesimum, Romam profectus est, vbi fato perfunctus. *Polydorus.*

OPERA PVBLICA.

Forum Theodosij Principis in loco, qui Helianæ dicitur, ædificatum fuit, anno Christi quadringentesimo tricesimo quinto, Theodosij Imperatoris vicesimo octauo, Valentiniani tertij vndecimo. *Marcellinus Comes.*

CALAMITATES.

Annona adeo grauis, & penuria tanta fuit, anno Christi quadringentesimo tricesimo primo, Theodosij Principis vicesimo quarto, Valentiniani tertij septimo, vt ipse Imperator Theodosius lapidibus appetitus fuerit. *Marcellinus Comes.*

Maxima pars vrbis Constantinopolitanæ ferali incendio conflagrauit, anno Christi quadringentesimo tricesimo tertio, Theodosij vicesimo sexto, Valentiniani tertij nono. *Prosper, & Socrates lib.* 7.

Orientale Imperium, ingenti fame laborauit, anno Christi quadringentesimo tricesimo nono, Theodosij tricesimo secundo, Valentiniani tertij decimo quinto; Occidentale ve-

rò nobilissimi, fortissimique exercitus jacturam fecit. *Baronio teste.*

RES BELLICÆ.

Gensericus Vandalorum Rex, prostrato Romanorum exercitu, vniuersam occupauit Africam, anno Christi quadringentesimo vicesimo primo, Theodosij vicesimo quarto, Valentiniani tertij septimo; Hac in pugna Marcianus futurus Imperator victus, captusque, ostenso aquilæ prodigio, dimissus, iuratâ amicitiâ *Procopius lib. 1. de bello Vandalico, & Auctor Miscell'æ lib.* 14. Fergusius secundus Scotorum Rex, bellum cruentum contra Maximianum Romanorum ducem iniit, eodem Christi anno. *Rector Boëtius lib.* 7.

Aetius in Gallias magno cum exercitu profectus Francos, qui ad Rhenum substiterant deleuit, anno Christi quadringentesimo tricesimo quatro; sequenti vero Gundicarium Burgundionum Regem Gallias incolentem, bello profligauit, eique pacem obnixè petenti indulsit, quâ non diu potitus est, cum ab Hunnis, paulo post obtruncatus fuerit. *Paulus Diaconus, & Iordanus in Annalibus.* Armoricos item, Galliæ populos, à Romano Imperio deficientes perdomuit. Hunc tamen Germanus Antisiodorensis Episcopus, pro ea qua pollebat sanctitatis fama, ab incepto reuocauit. *Prosper.*

Theodoricus Visigothorum Rex Narbonam obsidione cinxit, faméque oppressit, anno Christi quadringentesimo tricesimo sexto, Theodosij Imperatoris vicesimo nono, Valentiniani tertij duodecimo. Verum Littorius Comes dux peritissimus, & hostes feliciter repulit, & ciuitatem, aduectis per singulos equites, binis tritici modiis, annona repleuit. *Paulus Diaconus, & Prosper.* Idatius tamen refert vrbem illam ab Aetio liberatam fuisse, cæsis Burgundionum viginti millibus.

Piratæ Vandali, quamplurimas Insulas, sed Siciliam in primis, magnis depopulationibus infestarunt, anno quadringentesimo tricesimo octauo, Theodosij Imperatoris tricesimo primo, Valentiniani tertij decimo quarto, *vt scribit Pau-*

lus Diaconus. Aduersus Gothos prospera quædam gesta sunt in Gallia. *Prosper.* Rechilla vero Sueuorum Rex, & Hermerici filius, Andeuotum, seu Andenotum, *vt vult Isidorus*, Romanæ militiæ ducem, apud Singilionem, Boëticæ fluuium, aperto marte deuicit, illum tamen postea Gothi ad magnas angustias redegerunt, *Iordanis in Annalibus.*

Littorius Comes bellum contra Theodoricum Visigothorum Regem imprudenter suscepit, magnáque accepta clade, Tolosam, quam obsederat, captus deducitur, anno Christi quadringentesimo tricesimo nono, Theodosij Imperatoris tricesimo secundo, Valentiniani tertij decimo quinto, *vt testantur Idatius, & Isidorus; Prosper tamen asserit* victoriam illatam fuisse dubiam; *Iordanis denique in Annalibus refert* illum crudeli nece peremptum fuisse. Non multo post Gothis enixè petentibus, pax cum Romanis inita fuit. *Paulus Diaconus.*

Carthago Africæ totius metropolis Romanæque vrbis æmula, immo splendoris gloria cedere nescia, etsi illi subdita, à Genserico Vandalorum Rege, quo cum induciæ pactæ fuerant, dolo capta est decimo quarto Kalendas Nouembris, anni, postquam Romana esse cepisset, quingentesimi octogesimi quinti, hoc est Christi quadringentesimi tricesimi noni, Theodosij Principis tricesimi secundi, Valentiniani tertij decimi quinti; fœdeque, violata Sacramenti religione, direpta. Hoc Vandalicum iugum, ad Iustinianum vsque Principem durauit. *Idatius, Saluianus, & Victor lib. 1. de persecutione Vandalica.* Carthagine expugnata, Siciliam inuasit idem Princeps, à qua nauiter repulsus, à Cassiodoro duce fortissimo, anno Christi quadringentesimo quadragesimo, Carthaginem renauiganit. *Cassiodorus lib. 1.*

REI INSIGNES.

Cotralis prædo, captus cum suis comitibus, morte damnatus est, anno Christi quadringentesimo tricesimo octauo, Theodosij tricesimo primo, Valentiniani tertij decimo quarto. *Marcellinus Comes.*

Sebastianus proditionis reus, Genserici Vandalorum Regis

dextera periit, anno Christi quadringentesimo quadragesimo, Theodosij tricesimo tertio, Valentiniani tertij decimo sexto. *Prosper, & Victor.*

OBITVS ILLVSTRES.

Flaccilla Theodosij Imperatoris orientis filia obiit, anno Christi quadringentesimo tricesimo primo, Theodosij vicesimo quarto Valentiniani tertij septimo. *Marcellinus Comes.*

Fergusius secundus, Scotorum Rex, bello, contra Maximianum Romanorum ducem, commisso, cecidit cum Drusto fratre, eodem Christi anno, liberosque tres reliquit, Eugenium nimirum, Dongardum, & Constantinum quos ex nobilissimi Grahani filia, in Dania susceperat. *Leslaus lib.* 4.

Bonifacius Comes, siue morbo, *vt vult Prosper*, siue ab Aetio inflicto vulnere, *vt refert Marcellinus Comes*, desiit, anno Christi quadringentesimo tricesimo secundo, Theodosij Imperatoris vicesimo quinto, Valentiniani tertij octauo; fertur autem morientem illum Pelagiæ vxori suæ consuluisse, ne alteri quàm Aetio nuberet, tanquam ei qui posset Imperij res feliciter propugnare.

Paulinus Magister officiorum in Cæsarea Cappadociæ, iubente Theodosio principe, interfectus est, anno Christi quadringentesimo quadragesimo, Theodosij tricesimo tertio, Valentiniani tertij decimo sexto. *Marcellinus Comes.*

DECAS QVINTA.

THEODOSII IMPERATORIS *Gesta, & Obitus.*

SIGNA aduersus Vandalos mouens, Areobindam, Anaxiilam, atque Germanum viros celeberrimos, instructæ classis duces constituit, anno Christi quadringentesimo quadragesimo primo, pincipatus tricesimo quarto; *Prosper*; Sequenti vero pacem à Bleda, atque Attila fratribus Hunnorúque Principibus Thraciam, & Illyricum longè, latéque vastantibus, pactione pecuniæ redemit. *Chronicon Alexandrinum, & Iornandes, Paulus Diaconus scribit* Imperatorem, sex millia librarum auri persoluisse, milléque per annos singulos promisisse.

Nouenna, magno cum apparatu, edidit quinquennalia, anno Christi quadringentesimo quadragesimo quarto, principatus tricesimo septimo. *Marcellinus Comes.* Constitutionem item de releuatis ab oneribus, & tributariis possessionibus eorum, qui grauamen se esse passos à mensoribus, & reuisoribus agrorum prouincialium, questi fuerant, sanxit eodem Christi anno. *Nouella Theodosij 33.*

Pulcheriam sororem suam, Chrysaphio Eunucho impellente, ab Imperij administratione amouit, anno Christi quadringentesimo quadragesimo sexto, principatus tricesimo nono, fierique Diaconissam iussit, *auctore Nicephoro lib. 14.* Eandem tamen, pœnitentia ductus, in aulam reuocauit, magnisque cumulauit honoribus, anno Christi quadringentesimo quinquagesimo, principatus vltimo, hoc enim anno, equo inter venandum excussus, animam egit, quarto Kalendas

das Augusti; Imperij autem ab Arcadij parentis exitu, quadragesimo tertio, tribus mensibus inchoato; ætatis denique quadragesimo nono; *Cedrenus, & auctor citatus.* Zonaras vero asserit eum morbo sublatum fuisse; at Theodoretus scribit ipsum ad venationem egressum, & in fluuium abreptum nocte sequenti interiisse.

ICON

THEODOSII SECVNDI IMPERATORIS ORENTIS.

THEODOSIVS *secundus, Arcadij & Eudoxiæ filius, penè puer à patre in collegam assumptus, eóque moriente, Isdigerdis Persarum Regis tutelæ commissus; Imperium, Barbarorum vndique incursionibus, funestatum, intestinisque discordiis proscissum, ita vt defessi, & exangues Romanæ quondam dominationis Principes Regibus, atque nationibus externis prædæ forent, administrauit. Africam enim vniuersam fere Gensericus Vandalorum Rex occuparat. Hunni in Pannonia omnia cæde, atque incendio compleuerant. In Britannia, direptiones variæ, atque vastationes totum illum tractum defœdarant Visigothi, Sueui, & Alani, Lusitaniam, Tarraconensem prouinciam, Aquitaniam, & Carthaginem vsque nouam deprædati fuerant; Cum Vandalis fedus iniit. Attila Thraciam, & Illyricum maximis stragibus depopulante, pacem, pecunia magna vi redemit. Ioannem Tyrannum mira felicitate prostrauit, pleraque alia bella prosperè confecit. Valentinianum Consobrinum, ex Constantio, & Placidia natum Cæsaris, Augustique nomine donauit. Tum concessâ ei in vxorem Eudoxiâ filiâ, in vrbem, ad pacandam Romanam rem, quam Tyranni inuaserant, peropportunè misit. Litterarum professores peritissimos, secundæque fa-*

ma Byzantij constituit, legesque sanctissimas condidit. Tandem virtutum omnium, ac præsertim clementiæ laude cumulatus, magno Reipublicæ luctu è vita excessit ætatis anno quadragesimo nono.

MARCIANI IMPERATORIS Orientis Gesta.

THEODOSIO secundo extincto, Pulcheria Augusta ipsius soror, etsi liberas orientis Imperij habenas, sola regere posset, Marcianum tamen Tribunum, ætate prouectum, & genere Thracem, Imperatorem omnibus annuentibus creauit, anno Christi quadringentesimo quinquagesimo; *vt refert Marcellinus Comes, Miscellæ auctor, Euagrius, Zonaras, Cedrenus & alij.* Ipso principatus initio legem tulit Kalendis augusti eiusdem anni, contra Eutichianos, quâ illos pœnis omnibus subiecit. *Lege vltima Cod. Theod. de Apostatis.* Exules item omnes reuocauit, Christianæque rei nauiter studuit.

VALENTINIANI TERTII IMPERATORIS Occidentis Gesta.

PAcis federa cum Genserico, Vandalorum Rege, Africa in vtrumque diuisa, firmauit anno Christi quadringentesimo quadragesimo secundo, principatus decimo octauo. *Paulus Diaconus.*

Manichæis, Ecclesiastica animaduersione, haud satis, vt videbatur, coërcitis, aqua, & igni interdixit, anno Christi quadringentesimo quadragesimo quinto, principatus vicesimo primo. *Cod. Theod. titulo 1. & 4.* Aduersus insuper antiquorum sepulchrorum effossores, qui olim ab aliis Imperatoribus grauissimis pœnis mulctati fuerant rescripsit. *Nouella de Sepulch.*

Vuu ij

CLODIONIS FRANCORVM REGIS *Gesta, & Obitus.*

REgnum Francium (si fides adhibenda sit quibusdam au-ctoribus) in Austriam, orientem versus, & Rhenum, & in Vestriam ad occidentem diuisit, anno Christi quadringentesimo quadragesimo primo, principatus decimo tertio; Imperij vero sui fines, biennio post, armis victricibus, longè, lateque propagauit; ingentemque, moturus in hostes, exercitum colligens, fato præuentus, magno omnium Francorum dolore interiit, anno Christi quadringentesimo quadragesimo octauo; *vt testatur Sidonius Appollinaris.*

ICON

CLODIONIS FRANCORVM REGIS.

CLODIO *crinitus, seu capillatus dictus Pharamundi Regis filius, ingenita humanitate insignis, omnibus amabilis, in pace comis, in bello strenuus, vtrobique summa moderatione præstans, ac Imperio dignus, cùm non metum ex crudelitate, sed amorem ex bonitate, ciuium suorum animis instillaret, comitate, atque colloquiis officia prouocans. Bella aliqua secundo suscepit exitu, Scaldemque fluuium, Belgarum sanguine exundantem fecit. Tungros populos, Taxandros, Cameracum, Tornacumque, atque alia illustria oppida in suam ditionem redegit. Tum permagnis victoriis auctus, desiit anno Christi quadringentesimo quadragesimo octauo, Imperij vicesimo.*

MEROVEI FRANCORVM REGIS Gesta.

CLodione mortuo, Meroueus ipsius consanguineus, seu necessarius, vel vt alij asserunt, filius, successor est renuntiatus, anno Christi quadringentesimo quadragesimo octauo. Ipso Regni exordio, vt Princeps bellicosus, pugnæque auidus, numerosum contra Gallorum hostiles copias exercitum conscripsit. *Sidonius, & Abbas Vrspergensis.*

HEROES

Sanguine, Gestis, & Politia.

Vortigerius, vir auctoritate, potentia, & virtute summus, Britanniæ magna cum laude imperabat. *Polydorus.* Varanes, Varane patre Persarum Rege extincto, purpuram induit, anno Christi quadringentesimo quadragesimo primo. *Agathia lib.* 4. Anatolius, & Aspet Magistri militiæ clarissi ni. Rechila, Hermetico Sueuorum Rege sublato, eodem Christi anno in locum patris cooptatus est, *Isitatio teste*, Regnumque annis septem administrauit, vt referunt scriptores. Eo demortuo Rechiarius ipsius filius rerum potitus est, filiamque Theodorici Gothorum Regis matrimonio sibi iunxit, anno Christi quadringentesimo quadragesimo octauo. Hic primus Christianis mysteriis initiatus fuit.

Aetius in Gallias, sub idem tempus profectus, Alaricum ducem spectarissimum, in Attilam vehementer accendit. Auitus Galliarum Præfectus, Gothis, tum ob bellicas, & eximias virtutes, tum ob generis sui nobilitatem, percarus erat, Imperioque dignus habitus. *Auentinus.*

Hengestus Princeps celeberrimus, ingenio nobili, ac prudentia singulari, primusque Cantiorum Rex, omnium votis, creatus, *vt scribit Polydorus, aliique de rebus Britannicis auctores.*

VIRI ERVDITI.

Merobaudis, vir magnis natalibus, summa eloquentia, facultate poëtica mirabili, ac tanta eruditione, doctrinæ varietate, ingeniique foma, vt omnibus suffragantibus, statuam meruerit. *Idatius.*

Bacharius Maccæus, natione Britannus, Carminis Latini curiosus artifex, & in studiis mathematicis acer maximè; horum enim insatiabili amore tenebatur. Librum vnum de prognosticis natiuitatum edidit, aliáque permulta pia opera, quæ habes in sacra mea Historia. *Pitseus de illustribus Angliæ scriptoribus.*

REGNORVM ORTVS.

Cantij Regni fundamenta iacta fuere ab Anglosaxonibus, anno Christi quadringentesimo quadragesimo nono, Hengestusque Princeps, Rex primus acclamatus fuit, *vt testatur Polydorus, Beda, & alij Historici.* Porro Regnum illud trecentis sexaginta tribus annis perseuerauit; hoc est ad annum Christi octingentesimum duodecimum, quo corruit, aut paulo ante, vt alij conijciunt.

OPERA PVBLICA.

Muri Constantinopolitanæ ciuitatis vehementi terræ motu collapsi, trium mensium spatio, Constantino Præfecto Prætorio operam dante, restituti fuere, anno Christi quadringentesimo quadragesimo sexto, Theodosij tricesimo nono, Valentiniani tertij vicesimo secundo, *vt vult Marcellinus Comes.*

Troiadenses porticus, turresque ingentes, funesta consumptas deflagratione, magnis restaurauit sumptibus, Antiochus Præfectus Prætorio, anno Christi quadringentesimo quadragesimo octauo, Theodosij Imperatoris quadragesimo primo, Valentiniani tertij vicesimo quarto. *Auctor citatus.*

PRODIGIA.

Stella crinita longo temporis tractu apparuit, anno Christi quadringentesimo quadragesimo secundo, Theodosij Principis tricesimo quarto, Valentiniani tertij decimo septimo. *Marcellinus Comes.*

Ad Boreæ plagam, cælum multo igne conspicuum stetit, anno Christi quadringentesimo quinquagesimo; Et vero lineæ tantum quædam, maiori lumine, hastarum similitudinem referentes intermicabant. Luna semel defecit, ingensque cometa, ingentem omnium animis terrorem incussit. *Buzelinus lib. 5. Annalium Gallo flandriæ.*

CALAMITATES.

Magnæ terræ motu Romana vrbs quassata, ædesque plurimæ euersæ, anno Christi quadringentesimo quadragesimo secundo, Theodosij Imperatoris tricesimo quarto, Valentiniani tertij decimo septimo, *vt scribit Paulus Diaconus*. Sequenti autem, nix de cælo ita largè, copioséque decidit, vt vix spatio sex mensium decurso, liquescere potuerit, multáque tum hominum, tum animalium millia, sæuiente frigore, perierint, *vt testatur Marcellinus Comes*.

Continua pluuiorum, fluuiorumque exundatione, oppida quædam Bithyniæ exhausta fuere, anno Christi quadringentesimo quadragesimo quarto, Theodosij Imperatoris tricesimo septimo, Valentiniani tertij vicesimo. *Marcellinus Comes.*

In oriente, magna fame laboratum, pestisque tanta clade grassata est, anno Christi quadringentesimo quadragesimo sexto, Theodosij tricesimo nono, Valentiniani tertij vicesimo secundo, vt multa hominum millia interierint. Terræ vero motus tam vehementes, vt vrbes plurimæ Antiochiæ præsertim, Alexandriæ, & vbique fere, per totam illam tetrarum plagam absorptæ fuerint; Byzantij autem, præter publicas, priuatasque ædes, vrbis mænia recenter extructa, cum quinquaginta septem turribus, corruerint. Porro funestus ille, terræ visceribus eluctatus spiritus, toto sex mensium spatio, vniuersum orientem, magnis stragibus funestauit, *Nicephorus lib.* 14.

Vtramque porticum Troiodem, ambasque portarum turres ignis subitus exussit, anno Christi quadringentesimo quadragesimo octauo, Theodosij Principis quadragesimo primo, Valentiniani tertij vicesimo quarto. *Marcellinus Comes.*

Italiam summa rei annonariæ caritate, lueque maxima, afflictam fuisse, anno Christi quadringentesimo quinquagesimo, Theodosij vltimo, Valentiniani tertij vicesimo sexto *testatur nouella Valentiniani, titulo, 11. cod. Theod. & Papa Gelasius.* Toto item eiusdem anni tractu, terram identidem ingemuisse fœdéque quassatam fuisse, *refert Buzelinus, lib. 1. Annalium Galloflandriæ.*

RES

RES BELLICÆ.

Persæ, Sarraceni, Zunni, & Hunni, Romanorum solum variis incursionibus peruastarunt, anno Christi quadringentesimo quadragesimo primo, Theodosij tricesimo quarto, Valentiniani tertij decimo septimo. *Chronicon Alexandrinum, & alij.* Rechilla Hermerici filius, Sueuorumque Rex, Boëticam prouinciam subegit; Silngos domuit, Hispaniam antiquo exutam splendore, ac multis bellorum iniuriis deformatam, & prouinciam Carthaginensem, in potestatem suam redegit. *Idatius.* Tarraconensium denique Bacaudarum ingens numerus Asturij ducis dexterâ cecidit eodem Christi anno.

Attila, & Bleda ipsius frater Hunnorum Reges, Thraciam, & Illyricum depopulati sunt, anno Christi quadringentesimo quadragesimo secundo, Theodosij tricesimo quinto; Valentiniani tertij decimo octauo. *Prosper, Iornandes, & alij.* Biennio verò pòst, Merobaudis Arcellitanus Bacandas contudit.

Clodio Francorum Rex, copiis suis à Dispergensi castro, aliisque oppidis, deductis, anno Christi quadringentesimo quadragesimo quinto, Theodosij tricesimo octauo, Valentiniani tertij tricesimo primo. Tungros inuasit, Taxandrosque, nec multò pòst Camaracum incendit, paucisque diebus expugnatum cepit; Exinde iter per obscuras, carbonarij saltus, vias, Tornacum maturauit; obsidione cincti Tornacenses vrbem suam fortiter propugnarunt, coacti tamen fuere & se & sua Clodioni tradere. Verum quidquid Romani sanguinis ibi, proximisque locis, repertum, victoris iussu, ferro exhaustum fuit. Porro Tornacum præcipua erat Romanis, in secunda Belgica, sedes, oceanum versùs, in qua magna hominum vis inerat. Hanc Scaldis fluuius profundus, latusque, ac magnarum nauium patiens interfluit.

Atrabates, Morini, Neruiorum ditio, clientesque omnes, ad mare porrecti; Ambiani insuper, & Bellouacenses, seu Bellouaci, subacti fuere, ab eodem Francorum Rege, & eodem Christi anno. *Sigebertus, & Buzelinus lib.* 1. *Annalium Gal-*

Islandriæ, & alij. Byzantium sub idem tempus multiplici hominum strage deformatum fuit; orta enim in circo, populi seditione, ingens periit multitudo. *Marcellinus Comes.*

Barbari in Africam, Hispanias, & Gallias, magno irrupere impetu, anno Christi quadringentesimo quadragesimo sexto, Theodosij tricesimo nono, Valentiniani tertij vicesimo secundo. Scoti verò, & Picti, absente Romana legione, & Aetio alibi occupato, rupto muro Britanniam inuaserunt, eapropter Vortigerius Britannorum Rex, ad extrema redactus, Anglosaxonas, è Saxonia prouincia in auxilium acciuit, tum eos sedibus in Cantio concessis, contra hostiles turmas deduxit, insignique victoria potitus, magnis auxiliares copias donauit muneribus, *vt refert Polydorus lib. 3. & Hector Boëtius lib. 7.*

Rechiarius Sueuorum Rex prouinciam Cæsar-augustam, & Ilerdensem ciuitatem deprædatus est, cruentisque impleuit stragibus, anno Christi quadringentesimo quadragesimo octauo, Theodosij quadragesimo primo, Valentiniani tertij vicesimo quarto. *Idatius.*

REI INSIGNES.

In plurimos optimates coniurationis Genserici Principis reos sæuitum est, anno Christi quadringentesimo quadragesimo secundo, Theodosij tricesimo quinto, Valentiniani tertij decimo octauo. *Prosper.*

Eudoxia Augusta, Saturnini Comitis necis conscia, apud Aeliam, Palæstinæ vrbem, ab Aelio Adriano ita appellatam, Theodosij coniugis iussu, moritura relinquitur, anno Christi quadringentesimo quadragesimo quarto, Theodosij trigesimo septimo. *Marcellinus Comes.*

Chrysaphius Theodosij Principis Eunuchus dignitate priuatus, quod illius insidiis, Pulcheria Imperatoris soror, ab aula eiecta fuisset, in exilium mittitur, anno Christi quadringentesimo quinquagesimo, Theodosij quadragesimo tertio, dein crudeli morte damnatur. *Marcellinus Comes, & Cedrenus.*

OBITVS ILLVSTRES.

Varanes Isdigerdis filius, & Persarum Rex clarissimus supremum obiit diem, anno Christi quadringentesimo quadragesimo primo, Theodosij tricesimo quarto, Valentiniani tertij decimo septimo, principatus denique sui vicesimo. *Agathias lib.* 4. Eodem anno Ioannes natione Vandalus Magister militiæ inclytus, Arnegisculi fraude, in Thracia periit; vt asserunt Historici. Hermericus item Sueuorum Rex, graui, diuturnoque morbo sublatus est. *Marcellinus, & Idatius.*

Bleda, Attilæ fratris, Hunnorum Regis dolo, in Pannonia, extinctus est, anno Christi quadringentesimo quadragesimo quarto, Theodosij tricesimo septimo, Valentiniani tertij vicesimo. *Prosper, Cassiodorus, & Marcellinus Comes.* Arcadia insuper Theodosij Principis soror, sub idem tempus fatis concessit.

Rechilla Sueuorum Rex, vitam finiit, anno Christi quadringentesimo quadragesimo octauo, Theodosij quadragesimo primo, Valentiniani tertij vicesimo quarto, teste Idatio. Sequenti verò Marina Arcadij filia, *Marcellinus Comes.* Ariobinda item, & Taurus viri patricij secundæque famæ, defiere.

FVNERA.

Theodosij Principis cadauer, pro more solemni, omnium ordinum pompa, ac reliquis tristitiæ inuitamentis, ad S. Petrum delatum, ibique à Placidia Augusta, & Leone Pontifice in superbissimo reconditur mausoleo, anno Christi quadringentesimo quinquagesimo. *Iordanis in Annalibus.*

DECAS SEXTA.

VALENTINIANI TERTII IMPERatoris Occidentis Gesta.

TVRPISSIMIS amorum ignibus totus deflagrans, omni licentiæ, Placidia matre demortua, laxauit habenas, magicisque artibus, atque incantamentis, animum adiecit, quibus illustrium fœminarum castitatem expugnare posset. Quare, Imperio summam per libidinem, reliquo principatus decursu abutens, Maximi viri potentissimi, cuius vxorem stuprarat, artibus ab amicis Aetij ducis clarissimi, & quem ipse crudeli nece punierat, interfectus est Romæ, decimo sexto Kalendas Aprilis, anni quadringentesimi quinquagesimi quinti, Imperij tricesimi nondum emensi. *Euagrius lib. 2. Marcellinus Comes, Cassiodorus, Procopius lib. 1. de bello Vandalico.*

ii x

ICON.

VALENTINIANI TERTII IMPERATORIS OCCIDENTIS.

VALENTINIANVS *tertius, Constantij Cæsaris, ac Placidiæ, Honorij, & Arcadij sororis, filius, à Theodosio secundò Cæsar, & Augustus nuncupatus Ioannem tyrannum oppressit. Cum Genserico pacem iniit. Contra Attilam omnia ferro, atque igne miscentem, bellum acerrimum in campi Catalaunicis feliciter suscepit. Cæsis siquidem vtrinque trecentis hominum millibus, victoria penes Romanos stetit, Aetio duce clarissimo; quo postea, illius iussu, subiato, Romanum Imperium penè corruit. Barbari enim omni metu ol ti, passi eueftigio volitare, Romanorumque orbem discerpere ceperunt. Franci Parisios Merouco Rege, eamque Galliæ partem, quæ, deinde Francia dicta est, occuparunt. Scoti, & Angli Britanniam; Visigothi Eruiij Regis ductu, Hispaniam; Hunni Europam; Vandali demum Africam atque Romam variis excursionibus euastarunt. Ita momento rerum moles maximarum, plerumque casus, aut fortuna euertit. Ipse vero Imperij anno tricesimo nondum emenso, in campo Martio, confossus est.*

PETRONII MAXIMI IMPERATORIS Occidentis Gesta, & Obitus.

Valentiniano tertio extincto, Petronius Maximus, Imperij Romani iura suscepit, anno Christi quadringentesimo quinquagesimo quinto, inuitámque, atque reluctantem Eudoxiam Augustam, vt tutiùs principatum gereret, matrimonio sibi iunxit; tum Palladium prioris coniugis filium, Cæsaris nomine donauit; Verum paulo post, audito ex Africa Genserici Regis aduentu; quem Eudoxia irâ percita, & vlciscendæ iniuriæ auida, euocarat, fugâ sibi consulens, à Romanis sæuiter tractatus fuit, membratimque discerptus, ac tandem in Tyberim deuolutus. *Procopius lib. 1. de bello Vandalico.*

ICON

PETRONII MAXIMI IMPERATORIS OCCIDENTIS.

PETRONIVS *Maximus Senatorij ordinis, à Clemente tyranno, quem Theodosius secundus interfecerat, originem ducens, ad supremum humanæ potentiæ fastigium, per amplissimos fascium titulos, inauspicatò peruenit. Etenim, qui cæteros antea aulicos honores, recurrentibus orbitis, sæpè tranquillissimè percurrerat, aulam ipsam, assumpta in coniugem Eudoxia, infelicissimè rexit, vt palàm nobis funestus ille, ac celer exitus iudicat, quo, fortunæ lenocinantis perfidus finis, frustatim conciso corpore, Imperij mense tertio non dumemenso, ipsum cruentauit.*

AVITI IMPERATORS OCCIDENTIS Gesta, & principatus abdicatio.

PErronio Maximo interfecto, Auitus Gallus Imperator, Tolosæ, ab exercitu salutatus est, anno Christi quadringentesimo quinquagesimo quinto. Pacem cum Gothis firmauit, suasitque Theodorico Regi, vt Hispanias contra Sueuos inuaderet. Verùm certior factus, infensum sibi esse senatum, populumque Romanum, ob odium, quod in Maxi-

mum conceperat, à quo Magiſter militum creatus fuerat; breui purpuram, cum conſulatus infulis, depoſuit decimo ſexto Kalendas Iunij, anni quadringenteſimi quinquageſimi ſexti, *vt vult Caſsiodorus*; *Idatius tamen ſcribit* eum non tantùm Impe-tio, ſed etiam ipſa vita priuatum fuiſſe.

ICON
AVITI GALLI IMPERATORIS OCCIDENTIS.

AVITVS *Gallus, patriâ Aruernus, famosis imaginibus illustris; domique ac militiæ præstans; Orator summus; iuris consultissimus; belli laborisque haud expers; præfectura pratorij à Valentiniano tertio donatus; à Maximo Magister militum constitutus; legatum agens in Gallijs, pro pacis fœdere, Augusti insignia reluctanter assumpsit, eáque, vndecimo principatus sui mense, Placentiæ, Placentinus factus Episcopus, perlubenter deposuit.*

IVLII VALERII MAIORANI IMPERATORIS Occidentis. Gesta.

AVito in ordinem redacto, Maioranus, omnibus acclamantibus, rerum potitus est, anno Christi quadringentesimo quinquagesimo septimo, *vt testatur Sidonius in Panegyrico.* Sequenti verò, magna, ac multiplicia nondum soluta tributa penitus relaxauit: statuit insuper subidem tempus, ne filiæ virgines ad sacrum velum suscipiendum adigerentur inuitæ, illisque integrum esset nubere si vellent. Quam constitutionem Leonis Papæ suasu, eum tulisse ex eo constat, quod ipse Leo persimilem ediderit. *Nouella Maiorani titulo octauo.* Parauit item eodem anno expeditionem in Africam, contra Vandalos, *Procopio auctore, & Iornande.*

Personato demum habitu, legati specie, ad Gensericum Vandalorum Regem, profectus est, anno Christi quadringentesimo sexagesimo, principatus quarto. *Procopius lib. 1. de bello Vandalico.*

MARCIANI IMPERATORIS ORIENTIS Gesta, & Obitus.

TOtum id quod supererat gentilitiæ superstitionis, sanctione lata, sustulit, anno Christi quadringentesimo quinquagesimo primo principatus secundo. *Lege 2. de Paganis.* Anno autem pôst iussit decretis seuerissimis, vt qui consulatum ambirent, nihil æris in populum spargerent, sed totum illud, ad reparandum vrbis aquæductum, insumerent. *Marcellinus Comes.*

Dum ingentem contra Vandalos qui Romam variis direptionibus, atque cædibus deturparant, exercitum colligit, ad solemnes supplicationes, quæ, in campo Martio, summo cum apparatu fiebant, egressus, pecuniarumque vim magnam in omnes effundens, obiit, anno Christi quadringentesimo quinquagesimo septimo, Imperij sexto, ac mense sexto. *Theophanes, Marcellinus Comes, & Nicephorus lib. 15.*

ICON

MARCIANI IMPERATORIS ORIENTIS.

FLAVIVS *Valerius Marcianus humili loco natus in Illyrico, sed militia clarus; moderatus, vir & dignus Imperio; bello strenuus, sed pacis studiosior; castitate eminens; probitate, ac religione Augustorum nulli secundus, rebus præficitur, Pulcheriæ Theodosij Principis sororis operâ, à qua in coniugem assumptus fuerat, ea tamen legè, vt virginitatem quam huc vsque impensè coluerat, Deoque consecrarat, sibi conseruaret. Ab vtroque summa concordia gesta est Respublica, cùm Iustitiæ, ac pietatis par in ambobus inesset studiũ. Prima stipendia meruit in Lybiæ. Attilæ Hunnorum Regis feroces repressit impetus. Arma nunquam nisi prouocatus suscepit, in hac identidem erumpens verba, Imperatori abstinendum bello, quandiu honesta pace perfrui liceret. Leges optimas edidit; Rei Christianæ maximè fauit. Tum suorum fraude, epoto veneno, è viuis ereptus est, anno Imperij sexto, mense sexto.*

LEONIS IMPERATORIS ORIENTIS Gesta.

FLauio Valerio Marciano Orientis Principe defuncto, Leo, genere Thrax, senatus, militumque suffragio, atque Asparis studio, Imperium orientale, ab Anatolio Epis-

copo Constantinopolitano, solemni ritu pro more inaugura-tus, capessit anno Christi quadringentesimo, quinquagesimo septimo. Huic, Leo Romanus Pontifex gratulatorias dedit Epistolas, enixéque hortatus est, vt rei Christianæ summè incumberet; tanto veluti classico, excitatus Augustus, nihil antiquius habuit, quàm ipso principatus exordio, decreta omnia ab Antecessoribus contra Hæreticos promulgata, amplissima sanctione firmare. *Nicephorus, & Euagrius.*

MEROVEI FRANCORVM REGIS Gesta, & Obitus.

DEbellato Attila in campis Catalaunicis, Aëtioque Romanorum duce, affectatæ tyrannidis reo, extincto, ditionem suam secundis conatibus propugnauit, occupatísque, anno Christi quadringentesimo quinquagesimo sexto, principatus nono, nobilissimis ciuitatibus, ac in primis Lutetia Parisiorum, quam, Regni totius caput, constituit, Gallos tanta Imperij, atque otij dulcedine sibi conciliauit, vt ei parere, quàm cæteris imperare maluerint. Tum primum quidquid Galliæ tenuit, Francia appellari cepit, *vt scribit Paulus Aemilius.* Verùm dum ad firmandum regnum suum, curas suas, animumque conuertit, præmatura morte cecidit. *Trithemius, & alij.*

ICON

MEROVEI FRANCORVM REGIS.

MEROVEVS *Clodionis Francorum Regis filius, tantâ virtutum gloriâ insignis, & Iustitiæ in primis, vt Gelaorem filium, Armoricorum Reguli cæde reum, supplicio affecerit; tantáque auctoritate, vt ad Carolum vsque Magnum, Reges omnes in Francia à Merouingi nuncupati fuerint. Ipso Imperij initio, Franci, maiori quàm antea felicitate, in Gallias, eo duce, penetrarunt, captis qua vi, qua ditione, non Belgarum modò, sed interioris Galliæ, oppidis munitioribus; contra Attilam Hunnorum Principem, totiusque orbis hostem infensissimum, acerrimè in campis Catalaunicis depugnauit. Hunc Aetius Romanorum dux clarissimus, magno in pretio habuit, amicitiaque fœdera cum illo pepigit. Tandem post diffusos longè, latéque, victricibus armis, Francici Regni fines, multis nobilitatus victoriis, sublatus est, anno Imperij nono.*

CHILDERICI FRANCORVM REGIS Gesta, & Obitus.

MErouco Rege demortuo, Childericus liberorum maximus Imperium suscepit, anno Christi quadringentesimo quinquagesimo sexto. Hunc varij exercuere casus; si-

quidem iucundè modò, modò grauiter, circa fines Imperij producendos, tum in Germania prima, tum in secunda Belgica, laborauit; Verùm paulò pòst, animum à curis auertens, stuprisque, atque adulteriis principem agens, procerum coniuratione, fuga sibi consulere coactus fuit, & ad Thuringiæ Regem confugere, anno Christi quadringentesimo quinquagesimo octauo, datis ocultis mandatis Vidomaro amico suo, acerrimi ingenij viro, partéque nummi aurei, ne alteri fides haberetur, quàm illi, qui eam ipsi deferret. *Gregorius Turonensis, Aimoinus, Paulus Aemilius, & alij.*

AEGIDII, IN CHILDERICI REGIS EXpulsi locum, suffecti, Gesta.

CHildetico, è solio, ob fedissimos mores, quibus in illustrissimas quasque fæminas, puellasque grassabatur, eiecto, Aegidius, alij Gildo Suessionibus agens, Romanorum in Gallia Præfectus ab Auito relictus, in Principem, à Francorum proceribus assumitur, anno Christi quadringentesimo quinquagesimo octauo. Hic primo principatus sui exordio, varius ac frequentibus beneficiis, omnium animos, sibi conciliare studuit. *Paulus Æmilius.*

HEROES

Sanguine, Gestis, & Politia.

Aetius multarum victoriarum dux celebertimus, crueli tamen exitu infelicissimus fuit. Auctore Miscellæ lib. 15. Titianus & Iulius fratres, Marciano Imperatori Percari, ille Constantinopoli; hic vero Illyricis præerat. *Baptista Egnatius.* Asper, cuius studio, Leo purpuram obtinuerat, eiusque filij Ardaburius, Placidius, Hermenaricus, Principes magni nominis in aula. *Cassiodorus.*

Thorismo, vel Thorismundus, Theodorico patrè Visigothorum Rege mortuo, Imperij insignibus auctus est, anno

Christi quadringentesimo quinquagesimo primo; *Iornandes, Volaterranus, & alij.*

Theodoricus secundus, Princeps spectatissimus, ni vitæ probitatem, atque gloriam, Thorismundi fratris Visigothorum Regis funesta cæde, deturpasset, Regni curam habuit, anno Christi quadringentesimo quinquagesimo quarto, *vt refert Idatius, & Isidorus.*

Aciulphus, ex Varnorum genere longè à Gothici nominis nobilitate, homo inconstanti animo, Gallæciæ dux creatus est. *Mariana lib. 5. de rebus Hispaniæ.*

Attila, Italiæ, immò orbis totius vastator crudelissimus, cum Mediolani in tabellas aliquas Romanorum Imperatores solio in aureo, magnoque procerum comitatu stipatos; Scythas verò ad eorum pedes prostratos ad viuum referentes, incidisset; iussit extemplo, effigiem suam, gemmeo in throno, numerosáque cum Principum turba, expingi; ipsos autem Augustos, multis oneratos saccis, ingentem auri vim, ad suos pedes profundere. *Suidas.*

Hernac, Attila patente, Hunnorum Rege, interempto, Regni administrationem assumpsit, anno Christi quadringentesimo quinquagesimo quarto. *Sigebertus, & alij.* Gensericus Vandalorum Princeps, Romam ex Africa, ab Eudoxia Augusta, contra Maximum, qui Valentinianum tertium coniugem suum interfecerat, accitur anno Christi quadringentesimo quinquagesimo quinto. *Procopius lib. 1. de bello Vandalico, Theophanes, & Euagrius.*

Perozes, Vatane, Vatanis filio, Persarum Rege mortuo, purpuram induit, anno Christi quadringentesimo quinquagesimo septimo, *vt refert Agathias.* Franta, & Maldra Massilæ filius coactis comitiis, in Sueuorum Principes eliguntur, sub idem tempus. Remismundus verò Masdræ patri successit, anno Christi quadringentesimo sexagesimo, fedúsque cum Franta pepigit. *Isidorus, Idatius, & Mariana lib. 5 de rebus Hispaniæ.*

Adaricus Gepidarum Rex celeberrimus, qui primus ab Hunnis defecit, teste Sigeberto, alijsque scriptoribus. Ricimer ex Valliæ Gothi Regis filia, & Sueuo patre, natus; Magister

militiæ constitutus, Rem Romanam, sursum, deorsumque versabat eodem Christi, anno quadringentesimo, sexagesimo. *Mariana lib. 5. de rebus Hispaniæ.*

Vidomarus, vir inter Francorum proceres clarissimus, Regique Childerico ita carus, vt illi ferocientibus ciuium animis, è Regno aliquantulum excedere, breuemque aliquam secessionem, magnorum plerumque malorum lenimentum maximum, necessariam omnino esse, persuasit, acceptâ tamen ab eo tesserâ, pro reditus sui signo, si quando Francorum ferus animus flecteretur. *Paulus Aemilius.*

VIRI ERVDITI.

Sidonius Apollinaris, natione Gallus; patriâ Lugdunensis; natalibus illustris; patre Præfecto prætorio Galliarum; Auiti Imperatoris gener; Poëticis, & oratoriis litteris nulli suæ ætatis secundus; publicis enim monumentis meruit honestari, gemina nempè corona, donarique in foro statua, vt ipse testatur ad Firminum suum *lib. 9. Epist.* 16. Et vetus inscriptio quæ sic habet. CLARITATE INGENII CORONATVS EST INTER POETAS LATINOS, OMNIBVS SENTENTIIS IVDICVM. Hic nobis epistolarum libros nouem, variáque panegyrica reliquit. *Gyraldus, Philippus Bergomensis, & alij.*

Pomerius Afer, seu Maurus, Rhetor insignis, Cæsariique magister, magnæ fuit famæ in Gallia hoc tempore; eius lucubrationes recensentur à Gennadio.

Prosper Aquitanicus, vir eruditissimus, tantæque eloquentiæ, vt à Leone Pontifice Magno, sacrarum tabularum scriptor constitutus fuerit. Multa composuit tum solutâ, tum strictâ oratione, ac præcipuè Historiam ab orbe condito, vsque ad Valentiniani tertij Imperatoris obitum, & de capta vrbe à Genserico Vandalorum Rege. *Gyraldus*: alia pia opera habes in sacra Historia.

Ericius Poëta illustris, cuius musas venerabiles appellat Sidonius. Flauius Nicerius Grammaticus peritissimus, de quo ita citatus auctor, ortu clarissimus, priuilegio spectabilis, merito

rito inclytus, hominumque patriæ nostræ, prudentia, peritiáque iuxta maximus.

Fuerunt, & alij Poëtæ præstantes, inter quos, Ampelius, Leo, Messala, Anthedius, Lamptidius Consentius, Secundinus; reliquos taceo, ne vos nudis nominibus fastidiam. *Ita gyraldus.*

NATALITIA AVGVSTA.

Theodoricus Ostrogothus, patre Theodomiro Ostrogothorum Principe, Rex futurus Italiæ, nascitur anno Christi quadringentesimo quinquagesimo octauo, Leonis Impera. Orientis secundo, *vt refert Iornandes.*

REGNORVM OCCASVS.

Magnum illud Hunnorum Imperium, Attilæ filiorum dissidio, subactisque regionibus in libertatem se vendicantibus, penitùs concidit, anno Christi quadringentesimo quinquagesimo quarto, Valentiniani tertij tricesimo, Marciani quinto. *Bonfinius lib. 6. decade prima.*

OPERA PVBLICA.

Venetiæ ciuitas nostro æuo nobilissima, fluctuosos inter maris Adriatici impetus, mediosque pelagi vortices, inconcussum iam abhinc longo temporum tractu, millesimo nempè anno ferè emenso caput exerens, imperiumque supra insignes quasque, ac celeberrimas vrbes sustinens; tot augustissimis templis, tot regiis, amplissimisque ædibus, tot denique ornamentis, ad stuporem decorata, condita fuit, Blondo teste, anno Christi quadringentesimo quinquagesimo secundo, Valentiniani tertij vicesimo octauo, Marciani tertio, omnibus vicinarum ciuitatum, Aquileiæ scilicet excisæ, Altini, Concordiæ, Capularum, & Laureti, nec non Patauij, Vicentiæ, Veronæ, Mantuæ, Brixiæ, Bergami, Mediolani, & Papiæ nobilibus turmatim confluentibus. Huius amplitudo tanta, vt non solùm Aquileiæ Carnorum metropolis Patriar-

chatum obtinuerit; verùm etiam inter ferocissimas quasque gentes, eò fastigij peruenerit, vt fusè, latéque mari, terrisque imperet, & benignos omnibus, ac liberos sinus effusissimè explicet, *ita Richobaldus Ferrariensis Historicus, Cassiodorus, Philippus Bergomensis, & alij.*

Ragusium Dalmatiæ ciuitas clarissima, publicis, ac priuatis operibus magnificè illustrata, portuque celeberrimo nobilitata, Epidauro eiusdem regionis oppido euerso, extructa fuit eodem tempore. *Philippus Bergomensis.*

PRODIGIA.

Tres è cælo immensæ magnitudinis lapides in Thracia cecidere, anno Christi quadringentesimo, quinquagesimo secundo, Valentiniani tertij vicesimo octauo, Marciani tertio. *Marcellinus Comes.*

Grassante longè, latéque fame in Phrygia, Galatia, Cappadocia, & Cilicia, anno Christi quadringentesimo quinquagesimo quarto, Valentiniani tertij tricesimo, Marciani quinto, sterili planè, ac effœto solo, manna aliud, vt olim Israelitis ex aëre delapsum fuisse, *testatur Euagrius.*

CALAMITATES.

Numerosa hominum multitudo, grauissima lue, in Palæstina periit, anno Christi quadringentesimo quinquagesimo quarto. Occidentales item, atque Boreales plagas, penuriâ rerum maximâ, sub idem tempus vastatas fuisse, *refert Gelasius, scribens ad Andromachum.* Adde ciuitatem Fabianas nominatam, nunc verò Viennam Austriæ dictam, ingenti fame oppressam.

Sabaria, vrbs insignis, vt paret ex illius antiquis ruderibus, & ex Plinio, qui eam Diui Claudij Coloniam, Romanorumque emporium celeberrimum appellat *lib. 3. & 37.* vehementi terræ motu euulsa fuit septimo idus Septembris, anni Christi quadringentesimi quinquagesimi quinti, Marciani verò Principis sexti, *vt legimus in Annalibus vetustissimis à Cuspiniano citatis.*

Varia locustarum agmina fructus omnes regionis Phrygiæ consumpsere, anno Christi quadringentesimo, quinquagesimo sexto, Marciani septimo. *Marcellinus Comes & aly.* Biennio post, terræ vbique motus plurimas vrbes, ac præ aliis Antiochiam, maxima ciuium strage, turpissimè deformauit; immo regiones ipsas integras, Thraciam nimirum, Helles pontum, Ioniam, Cycladas Insulas, & Nicomediam, tam vehementer commouit, vt exaudito procul fragore, ac tonitru, vicinæ omnes Prouinciæ trepidauerint. *Euagrius, & Nicephorus.*

Cyzicus ciuitas immani terræ concussu quatefacta, anno Christi quadringentesimo sexagesimo, Leonis orientis, & Maiorani occidentis Imperatorum quarto, eandem funestam cladem experta est. *Marcellinus Comes.*

RES BELLICÆ.

Attila, occupata Dacia, Mysia, & Thracia, ad euertenda occidentis Regna, animum adiecit. Itaque collecta, ex Africæ finibus, Barbarorum multitudine; (nam septingenta fere hominum millia in armis habuisse *testatur Paulus Diaconus*) vastatis omnibus, quà iter ad Rhenum fuerat, regionibus, fluuióque scaphis facilè traiecto; cæsis Burgundionibus, eorumque Rege Gundicario; Tungris, Mediomatricibus, ac Remis, aliisque ciuitatibus solo adæquatis; Galliam omnem in anceps, atque præruptum periculum adduxerat; Iamque graui obsidione premebatur Aurelia, cum Theodotici Gothorum Regis, ac federatorum Principum opportuno aduentu, obsidione soluere coactus fuerit; fugientem Merouecus cum federatis persequitur, præmissisque vt se dabat res, leuissimis pugnis, in campos Catalaunicos, hoc est Mauriacos, Tolosæ vicinos, centum leucis in longitudinem, porrectos, in latitudinem autem septuaginta, *vt refert Cuspinianus*, maturate Barbarum compulit, anno Christi quadringentesimo quinquagesimo primo, Valentiniani vicesimo septimo, Marciani tertio. Adfuit Aetius Romanæ militiæ Magister; adfuerunt & Franci Merouei Regis ductu. Explicantur mox ad pugnam copiæ, Theodoticus dextrum latus sustinet; Aetius sinistrum,

Francis adiunctis; Singibanus Alanorum Rex in medium agmen, dubia fide, recipitur. Ex aduerso, Reges, nationesque quamplurimæ ab Attila in cornua distribuuntur; immensaque belli lues, patentibus campis, diffunditur. Ostrogothi in tanto armatorum numero eminebant; Attila, Hunnique aspectu truci, cæterisque adustiores, in media acie, substiterant. Datur pugnæ signum. Hunni præcipitant impetum; accipiunt aduersarij nihilo minori virtute, miscentur agmina; prælium atrox fit, his atque illis exitiabile; magnis animis, atque copiis, maioribus ducibus, supremoque conatu, vt par erat, de Imperio orbis decertantibus, ancipiti diu prælij exitu; donec inclinante in federatos, Meroueumque fortiter dimicantem fortuna, amissis vtrinque, *Idatio auctore*, trecentis virorum millibus, cæsorum sanguine vicinum riuum extra ripas emittente, pulsus tandem potiùs, quam victus fuit Attila. Tum euastata Italia, Aquileia excisa, Mediolano, Ticino, alijsque oppidis euersis, & abacta ingenti præda, in Pannoniam remigrauit, quam ab Hunnis, & Auaribus, vt volunt, permixtis, Hungariam appellauit. *Procopius, Cassiodorus, Iornandes, & alij.*

Gensericus Vandalorum Rex, ex Africa ab Eudoxia Augusta euocatus, Romam, cum ingenti classe, adnauigauit, illamque anno Christi quadringentesimo quinquagesimo quinto, Marciani Imperatoris sexto, omni præsidio vacuam occupauit, hostilem in modum direpturus, ni Leo Pontifex victoris leniisset iram. Quare ab vrbis incendio, ciuiumque sanguine abstinuit. Mox tùm sacris, tùm profanis onustus spoliis; inter quæ Hierosolymitani templi vasa, à Tito olim Principe, illuc transuecta visebantur; dein per Bellisarium, recuperata Africa, transportata; suos lares repetijt, captiuamque Eudoxiam, ambasque ipsius filias, Eudociam nimirum, & Placidiam, Carthaginem abduxit, & illam quidem Hunnerico, filio copulauit; Hanc verò quod Olybrio esset nupta, seruauit. *Paulus Diaconus, Procopius, Theophanes, Isidorus, & alij.*

Theodoricus secundus, Theodorici defuncti filius, Gothorumque Rex, in Hispanias, Burgundionum, Francorumque viribus succinctus, magnis itineribus, se contulit, anno

Christi quadringentesimo quinquagesimo sexto, Marciani Imperatoris septimo, montesque Pyræneos transgressus, ad Vrbicum flumen, Hiberiam, atque Asturicam præterfluens, in Gallæciæ finibus, Rechiarium Sueuorum Principem, tantis profligauit hominum stragibus, vt Sueuorum Regnum penè conciderit. *Ado Viennensis.* Bracara eodem tempore direpta fuit, aliáque oppida amplissima; ab Emeritæ tamen depopulatione, S. Eulaliæ monitu, in cuius tutela, res huiusce ciuitatis erant, temperatum est. Paulo post idem Princeps Theodoricus in Gallias profectus, vastatis longè, latéque agris, atque vrbibus, ad Rhenum vsque penetrauit, Lugdunumque vrbem in potestatem redactam, magna ciuium strage deturpauit. *Mariana lib. 5. de rebus Hispaniæ.* Hanc postea Maioranus occidentis Imperator recepit, anno scilicet quadringentesimo quinquagesimo nono, principatus tertio.

REI INSIGNES.

Aetius, Regis Attilæ quondam terror, Romanorumque dux illustrissimus, ac summum Imperij occidentis præsidium, Tyrannidis affectatæ suspectus, Valentiniani tertij Imperatoris iussu, vnà cum Boëtio præfecto prætorio, illius familiari, crudeli nece extinctus est *Marcellinus Comes. Cassiodorus tamen, & auctor Miscellæ lib. 15. asserunt* eum Principis dexterâ occubuisse, anno Christi quadringentesimo quinquagesimo quarto, Valentiniani tertij tricesimo, Marciani quinto.

Achiulphus tùm quòd à Gothis defecisset, tùm etiam quòd sibi regium nomen assumpsisset, capite damnatus fuit.

OBITVS ILLVSTRES.

Placidia Valentiniani Imperatoris mater obiit anno Christi quadringentesimo quinquagesimo primo, vt scribit Idatius in chronico. Theodoricus vero Gothorum Rex ætate iam grauis, contra Attilam in campis Catalaunicis acriter depugnans cecidit sub idem tempus in media acie. *Paulus Æmilius, Mariana, & alij.*

Pulcheria Augusta Theodosij secundi soror, & Marciani coniux, Imperij orientis administratione plurimis annis feliciter defuncta è viuis eripitur decimo Septembris, anni Christi quadringentesimi quinquagesimi tertij, Valentiniani vicesimi noni, Marciani quarti. *Chronicon Alexandrinum.*

Attila Hunnorum Rex, in nuptiali thalamo, hausto largiùs mero vitam sanguinis vomitu euomuit, anno Christi quadringentesimo quinquagesimo quarto, Valentiniani tricesimo, Marciani quinto, relictis sexaginta filiis. *Marcellinus Comes, Bonfinius lib. 6. decade prima, & alij.* Thorismundus Theodorici filius Visigothorum Rex interficitur eodem Christi anno, à Theodorico secundo ipsius fratre. *Idatius, & Isidorus.*

Remiscus Patricius occiditur in palatio decimo quinto Kalendas Octobris, anni Christi quadringentesimi quinquagesimi sexti. Messianus verò decimo sexto Kalendas Iunij eiusdem anni, *Cuspinianus.* Rechiarius insuper Sueuorum Rex victus, captusque, victoris iussu, periit eodem tempore. *Ado Viennensis.*

Varanes Varanis filius Persarum princeps celeberrimus, desiit anno Christi quadringentesimo quinquagesimo septimo, principatus decimo septimo emenso, *vt refert Agathias lib. 4.*

Mesdra Sueuorum partis vnius Rex spectatissimus, ferro occubuit, mense Februario exeunte, anni Christi quadringentesimi sexagesimi, *Idatius, & alij.*

DECAS SEPTIMA.

MAIORANI IMPERATORIS Occidentis Gesta, & Obitus.

CONTRA Alanos, Gallias infestantes, castra mouens, apud Dertonam, Hispaniæ ciuitatem, Ricimeris fraude captus, Imperioque exutus, quarto nonas Augusti anni quadringentesimi sexagesimi primi, septimo idus eiusdem mensis necatus fuit, iuxta Hyram fluuium. *Procopius, Iordanus, Cassiodorus, Marcellinus Comes, Euagrius, & alij.*

ICON

MAIORANI IMPERATORIS OCCIDENTIS.

IVLIVS *Valerius Maioranus, Maiorano auo, Histri præside, patre Anthemio, Theodosij Magni socero natus, Princeps ingentis animi, laboris amans, hostibus formidandus, suis mitissimus, bellicis artibus insignis: Francorum, & Alemannorum terror; Imperator occidentis, omnibus annuentibus salutatus, tributa magna nondum soluta remisit; Leges optimas condidit; bella multa secundis auspiciis confecit; legatique specie, Africæ recuperandæ auidus, ad Gensericum Vandalorum Regem se contulit. Tandem Ricimeris artibus, fœdo, ad Hyram fluuium principatus sui anno quinto inchoato, exitu sublatus est.*

SEVERI IMPERATORIS OCCIDENTIS Gesta, & Obitus.

MAiorano extincto, Seuerus, seu Seuerianus Ricimeris Patricij operâ purpuram Rauennæ sumpsit, anno Christi quadringentesimo sexagesimo primo, quam, eiusdem dolo, anno Imperij sui quarto deposuit decimo octauo Kalendas Septembris, anni Christi quadringentesimi sexagesimi quinti: quo tempore, Romanus orbis per annum, & menses aliquot, orbatus fuit, *vt testatur Cassiodorus in Chronico, & Cuspinianus de vitis Imperatorum.*

ANTHEMII

ANTHEMII IMPERATORIS OCCIDENTIS *Gesta.*

SEuero, morbo, seu veneno, vt volunt aliqui, emortuo, Anthemius Patricius, Romæ, à Leone orientis Principe, vniuerso senatu, toto exercitu, ac Ricimeris studio Augustus renuntiatus est, anno Christi quadringentesimo sexagesimo septimo, magnáque cum laude, Rempublicam administrauit, *Nicephorus*, *Euagrius*, *Marcellinus Comes*, *Cassiodorus*, *& alij.*

LEONIS IMPERATORIS ORIENTIS Gesta.

COnfirmatâ amicitiâ cum Vidamiro Ostrogothorum Rege, Theodoricum nouennem puerum, Theodomiri, fratris Vidamiri filium, sibique gratissimum, tanquam alterum obsidem recipit, anno Christi quadringentesimo sexagesimo quinto, principatus nono. *Bonfinius lib.* 1. *decade septima*, *Iornandes*, *& auctor Miscellæ lib.* 15. Sequenti verò Heraclium Flori consularis natum, & Marsum Isaurum, contra Vandalos misit. *Theophanes*, *& Procopius lib.* 1.

Ingentem mille nauium classem, aduersus Gensericum Principem, Africæ Tyrannum, adornauit, anno Christi quadringentesimo sexagesimo octauo, principatus duodecimo. Patricium verò Aspare progenitum, Cæsarem creauit; sanctionemque condidit idibus Decembris eiusdem anni, de prohibendis circensibus, scenicisque spectaculis, piebus festis. *Lege vltima de feriis.*

ÆGIDII IN LOCVM CHILDERICI Francorum Regis suffecti, Gesta, & Obitus.

ODIVM Francicæ gentis, pro amore in se conuertit, ex humano, seuerus, & ex seuero, crudelis factus; ignarus certè non esse diuturnam possessionem illam, in quàm, gladio inducimur, satiusque esse Imperium reddere, quam exercere ciuium sanguine: in clarissimos igitur quosque viros, ferro grassatur; parumque abfuit, quin exclamarit cum Caligulo, vtinam populus Francicus vnicam ceruicem haberet; versis itaque in eum ferocibus Francorum animis, Childericus Rex reuocatur, à quo in acie debellatus Ægidius, anno Christi quadringentesimo sexagesimo quinto, Leonis Imperatoris nono, principatus verò octauo, ad Euaricum Visigothorum Principem confugit, vbi veneno, seu vt volunt alij, Gothorum insidiis periit. *Idatius.*

CHILDERICI FRANCORVM REGIS ab exilio reuocati Gesta.

PRæmissa ex conuentu à Vidomaro sibi percaro numismatis parte, Franciam è Thuringia, octauo circiter anno repetiit; vbi fecundissimis Francorum animis exceptus, Ægidium Regni æmulum fudit, fugauitque, præteritæque calamitatis haud oblitus, totum se Reipublicæ dedit, diligentiùs amicis, famæque suæ seruiens; Bassinam denique Thuringiorum Regis vxorem, quæ ad illum, relicto viro, confugerat, toro sibi iunxit. *Aimoinus, Gregorius Turonensis, & alij.*

HEROES

Sanguine, Gestis, & Politia.

Dongardus, Eugenij Scotorum Regis defuncti frater, in ipsius locum suffectus est, anno Christi quadringentesimo sexagesimo secundo, Leonis Imperatoris sexto. *Hector Boëtius lib.* 8. Frantæ vero Sueuorum Principi successit sub idem tempus Frumarius vir spectatissimus. *Mariana lib.* 5. *de rebus Hispaniæ.*

Zeno Isauricus orientis præses constitutus est à Leone Imperatore, anno Christi quadringentesimo sexagesimo tertio, principatus septimo, vt asserit Theophanes. Anno autem post, Frumario Sueuorum Rege sublato, Remismundus eiusdem gentis Imperio potitus est. *Vasæus de rebus Hispaniæ.*

Vidomatus Ægidium Francorum Regem ad Tarquinij consilium, facinusque, potentiorum nempè cædem, subinde impulit, vt huius seueritatis assiduitate, Francorum animos in eum accenderet, suo verò Principi Childerico conciliaret, ijsque artibus ipsum ab exilio reuocaret, vt contigit, anno Christi quadringentesimo sexagesimo quinto, Leonis Imperatoris nono *Paulus Æmilius.*

Ricimer magno Reipublicæ damno magister militiæ, cuius potestas in ea temporum fæce, instituendis, destituendisque Imperatoribus summa erat, à Maiorano Principe creatus, Seuerum ad Imperium euexit, moxque eundem necandum curauit eodem Christi anno quadringentesimo sexagesimo quinto; filiamque Anthemij occidentis Augusti, biennio pòst, in vxorem accepit. *Cassiodorus, Nicephorus, & Euagrius.*

Constantinus, Dongardo extincto, amplissimos Scotici Regni fasces assumpsit, anno Christi quadringentesimo sexagesimo sexto, Leonis Imperatoris decimo; *Hector Boëtius lib.* 8. *& Leslæus, lib.* 4. Theodomirus Ostrogothorum Rex cuius filius Theodoricus datus fuit in obsidem Leoni Imperatori Orientis. *Bonfinius & alij Historici.* Theodoricus secundus Visigothorum Rex pacem cum Remismundo Sueuorum Rege

iniit, tum filiam suam in coniugem dedit; *Mariana.* Euarichus, seu Euricus, Theodorici secundi frater, & percussor, Regni iura obtinuit eodem Christi anno, *teste Isidoro*; qui asserit eum legum instituta primè tradidisse; non quod ante Euricum nullæ Gothicæ extitissent sanctiones, sed quia in codicem primus collegit: non omittam hîc Biorgum Aalanorum Regem potentissimum.

Heraclius Flori consularis filius, & Marcus Isaurus, in Africam contra Vandalos missi sunt, anno Christi quadringentesimo sexagesimo septimo; Octauo verò Basiliscus Vrinæ Augustæ Leonis Imperatoris coniugis frater, dux naualis exercitus electus est. *Procopius lib. 1. de bello Vandalico.* Marcellinus autem, occidentis patricius, reque militari illustris, magno erat in pretio.

VIRI ERVDITI.

Iacobus natione Achaius, religione paganus, medicæ artis peritiâ, multiplicique rerum cognitione insignis, floruit hoc tempore. Priscus Rhetor celeberrimus bella aduersùs Scythas eleganter, atque peritè descripsit, *Euagrio teste.* Victorinus Aquitanicus Arithmeticus clarissimus, cyclum paschalem annorum quingentorum triginta duorum, in lucem edidit, *vt refert Gennadius.*

NATALITIA AVGVSTA.

Clodoueus Childerici Francorum Regis, è Bassina filius, nascitur anno Christi quadringentesimo sexagesimo tertio; *Gregorius Turonensis.*

PRODIGIA.

Lunam, à solis occasu, in sanguinem orbe integro conuersam fuisse sexto, nonas Martias anni quadringentesimi sexagesimi secundi, *testatur Idatius.*

In ciuitatis Tolosanæ, Gothorum Regis sedis vmbilico,

ſanguis, perenni fluxu, toto diei tractu, ad omnium ciuium ſtuporem, erupit, anno Chriſti quadringenteſimo ſexageſimo octauo, *Iordanis in Annalibus, & alij.*

CALAMITATES.

Antiochia Iſauriæ, dehiſcente terra, abſorpta fuit, anno Chriſti quadringenteſimo ſexageſimo ſecundo, Leonis Imperatoris ſexto. Piis tantum aliquot relictis viris, turriumque cacuminibus. *Idatius.*

Regia vrbs Conſtantinopolis ferali incendio depaſta fuit, anno Chriſti quadringenteſimo ſexageſimo quinto, Leonis nono; à Borea enim ad Auſtralem plagam, ſtadiis quinque; ob ortu verò ſolis, ad occaſum, quatuordecim, graſſante omnia vndiquaque flamma. Verùm inter illuſtres plurimas domos, quæ funditùs tanta clade periere, princeps illa fuit, in qua patres omnes, prudenteſque viri, immò etiam Principes, quandiu dignitate conſulari fungebantur, conſulendi gratiâ conuenire ſolebant. Alia item è regione poſita, Nymphæum appellata, vbi celeberrimæ nuptiæ, luculento cum apparatu habebantur. Nec tacebo illam quæ in Tauro, omni arte extructa, ampliſſimiſque ditata ornamentis, exurgebat. Cæterum funeſtam illam tantæ ciuitatis conflagrationem, ingenti tum ædificiorum, tum hominum ſtrage cumulatam, ſubſecuti ſunt horrendi ventorum turbines, immaneſque tempeſtates, *vt referunt Nicephorus, Euagrius, & Marcellinus Comes.*

Ingens lues vniuerſum Romanum orbem turpiter deformauit, anno Chriſti quadringenteſimo ſexageſimo ſeptimo, Leonis Imperatoris vndecimo; Gelaſius in Andronicum. Rauenna inſuper ciuitas celeberrima, magno terræ motu ſub idem tempus, quaſſata fuit. *Marcellinus Comes.*

RES BELLICÆ.

Seuerus Imperator occidentis Genſericum Vandalorum Regem, mediterraneas Inſulas fœdè depopulantem, fortiter repreſſit, anno Chriſti quadringenteſimo ſexageſimo ſecundo,

principatus secundo, quo tempore Agrippinus Gallus, vt Gothorum mereretur auxilia, Narbonam Theodorico secundo Visigothorum Regi, tradidit. *Isidorus*, *&* *Idatius.*

Biorgus Alanorum Rex, Italiæ prouincias, igne, ferróque deuastans, nòn longè à Bergamo oppido, in nona regione Italiæ collocato, *vt vult Plinius*, profligatus fuit à Ricimere Patricio, anno Christi quadringentesimo sexagesimo quatto, Leonis octauo. *Iornandes*, *Caßiodorus*, *&* *alij.*

Sueui Conimbriam, Lusitaniam vrbem clarissimam diripuerunt eodem anno. Vandali vero cæsi sunt à Marcellino duce, & è Sicilia expulsi; anno tamen sequenti, Seuero occidentis Principe mortuo, Imperij littora infestarunt, timoremque maximum Alexandriæ, piraticâ classe, iniecerunt.

Euaricus Visigothorum Rex, conciliato sibi per legatos Flauio Leone orientis Imperatore, cum validis Gothorum copiis, in extremam Hispaniam penetrauit, anno Christi quadringentesimo sexagesimo sexto, principatus primo, Prouinciaque Lusitaniæ variis excursionibus afflictata, & copiarum parte præmissa, vt Pampelonem, & Cæsaraugustam, quæ in fide Romanorum erant, expugnaret; ipse cum robore exercitus, in Hispaniam citeriorem rediens, Tarraconem, quæ summæ est auctoritatis, post diuturnam obsidionem, in potestatem redactam, solo æquauit; sicque Romanis, in Hispania, vniuersa ditione, Imperioque spoliatis, quod ferme septingentis annis steterat, præter Gallæciam, quæ Sueuis patebat, reliqua Gothorum armis subiugata est. Tum regressus in Gallias, Arelatum, atque Massiliam, vrbes amplissimas occupauit. *Isidorus*, *&* *Mariana lib. 5. de rebus Hispaniæ.*

Heraclius, terrestri exercitu ad Carthaginem progressus, anno Christi quadringentesimo sexagesimo octauo, Leonis Imperatoris duodecimo, naualique præsidio destitutus, recessit; sicque Vandalis rediit Sardinia. *Procopius lib. 1. de bello Vandalico.*

REI INSIGNES.

Aruandus Galliarum præfecturâ auctus, maiestatis Romæ insimulatus, exilio mulctatur, anno Christi quadringentesimo

sexagesimo octauo, Leonis Imperatoris duodecimo. *Cassiodorus in Chronico.* Serenus Galliarum Præses, magnorum criminum reus, capite plectitur eodem Christi anno. Basiliscus Constantinopolim reuersus, proditionisque damnatus, & à Verina Augusta sorore liberatus, *vt testatur Nicephorus*, relegatur Perinthum, quæ est ciuitas Thraciæ, ad Propontidem, Heraclea postea dicta, à nomine Heraclei Principis Constantinopolitani: in ea fuit amphitheatrum illud marmoreum, ex vnico lapide excisum, & quod inter septem orbis miracula numerabatur. Romanus insuper Patricius Imperium affectans, morte biennio pòst punitur, hoc est anno quadringentesimo septuagesimo. *Paulus Diaconus, & Iordanis in Annalibus.*

OBITVS ILLVSTRES.

Fridericus Theodorici secundi Visigothorum Regis frater, ab Ægidio Comite victus, in Armoricana prouincia periit, anno Christi quadringentesimo sexagesimo secundo, Leonis Imperatoris sexto. *Idatius.* Eugenius Princeps postquam Scotiæ Regnum ad pristinum statum tanquam postliminio reuocasset, eiusque limites ad Humbrum vsque propagasset, desiit eodem Christi anno. *Boëtius lib.* 8. Franta item Sueuorum Rex supremum diem, sub idem tempus, clausit. *Vasæus de rebus Hispaniæ.*

Biorgus Alanorum Princeps à Ricimere debellatus, ad lacum Benacum extinguitur, anno Christi quadringentesimo sexagesimo quarto, Leonis Imperatoris octauo. *Iornandes, Cassiodorus, & alij.* Frumarius Sueuorum Augustus, è viuis ereptus est, eodem Christi anno, *vt vult Idatius.*

Dongardus Scotorum Rex Christianissimus, collatis signis contra Constantinum, Audoëni Armorici Regis filium, & Britanniæ Principem, media in acie, in quam, præcipiti quadam audaciâ, irruperat, cæsus est, anno Christi quadringentesimo sexagesimo sexto, principatus quinto. *Boëtius lib.* 8. *& Leslæus lib.* 4. Theodoricus verò secundus Visigothorum Rex, Euarici fratris dolo interiit eodem anno, *vt refert Iornandes, & Mariana lib.* 5. *de rebus Hispaniæ.*

CAS

Marcellinus occidentis Patricius, Romanis contra Vandalos, apud Carthaginem acriter depugnantibus, opem ferens, ab iisdem fraude confossus est, anno Christi quadringentesimo sexagesimo octauo, Leonis Imperatoris duodecimo; Sequenti autem, Denlicis Hunnorum Rex, Attilæ filius, occisus est, eiusque caput conto affixum, Constantinopolim delatum. *Marcellinus.*

DECAS OCTAVA.

ANTHEMII IMPERATORIS OCcidentis Gesta, & Obitus.

PACEM cum Ricimere genero suo, funesta in ipsum consilia moliente iniit, anno Christi quadringentesimo septuagesimo primo, secundo verò, eiusdem Ricimeris insidiis, contra ius affinitatis, rupto fœdere, magnaque ciuium clade, Romæ sublatus est. *Cassiodorus, Marcellinus Comes, & alij.*

ICON

ANTHEMII IMPERATORIS Occidentis.

ANTHEMIVS *Patricius, fenioris nepos, filius Procopij, & Marciani Imperatoris gener (eius enim filiam Eugeniam duxerat) Princeps omni virtutum laude illuftris. Adolefcens ob res feliciter geftas, confulari dignitate ornatus fuit. Sarmatas proftrauit; Valamirum Oftrogothorũ Regem per Illyricum Thraciamque graffantem deleuit. Imperium occidentis, Ricimeris operâ, opibufque fuffultus; & cui præmium fuit noui Augufti filia in matrimonium collocata, affumpfit. Verùm gratia hæc haud diuturna fuit; enata namque inter generum, & focerum fimultate, ad arma ventum eft, vrbeque à Ricimere capta, direptaque, ferro cecidit, anno Chrifti quadringentefimo, feptuagefimo fecundo, Imperij fexto.*

OLYBRII IMPERATORIS OCCIdentis Gefta, & Obitus.

OLybrius fenator clariffimus bis conful, & à Leone Imperatore orientis contra Vandalos miffus, Anthemio Augufto cæfo, purpuram Ricimeris ftudio induit, anno Chrifti quadringentefimo, feptuagefimo fecundo, Leonis Imperatoris decimo fexto; Hanc tamen menfe feptimo vnà cum vita exuit. *Caffiodorus, & Marcellinus Comes.*

GLYCERII IMPERATORIS OCCIDENTIS *Gesta, & expulsio.*

EXtincto Olybrio, Glycerius, Gundebaldi ducis, ac militum suffragio, Imperium occidentis Rauennæ occupauit tertio nonas Martias, anni quadringentesimi septuagesimi tertij, *Onufrio teste*, tenuitque annum non emensum. Hic Videmirum (filium Videmiri Ostrogothorum Regis, iam defuncti) qui Italiam inuaserat, amplissimis donatum muneribus, Italiâ sponte cedere, Galliasque petere, haud ægrè compulit, *vt scribit Iornandes.* Tum in ordinem redactus à Iulio Nepote, principatu se in portu vrbis Romanæ abdicauit, octauo Kalendas Iulias, anni quadringentesimi septuagesimi quarti; moxque Episcopus Solonæ in Dalmatia renuntiatus fuit. *Cassiodorus, & Euagrius.*

IVLII NEPOTIS IMPERATORIS OCCIdentis *Gesta, & expulsio.*

Electo è throno Glycerio, Iulius Nepos Marcellini quondam Patricij sororis filius, Reipublicæ gubernacula suscepit, pacemque, cum Euarico Visigothorum Rege, qui Regni sui sedem Tolosæ constituerat, iniit, *vt refert Ennodius.* Hic nouo Augusto Momyllo, seu Momylio creato, fuga sibi consulens, in Dalmatiam, vbi Glycerius sacris fuerat initiatus, properanter maturauit, anno Christi quadringentesimo septuagesimo quinto. *Baronius.*

MOMYLLI, SEV MOMYLII IMPERATOris *Occidentis Gesta, & expulsio.*

MOmyllus, seu Momylius, Augustulus ob contemptum nuncupatus, Romanorumque Imperator postremus

fauente Oreste patre militiæ magistro, principatum suscepit, anno Christi quadringentesimo septuagesimo quinto, Iuliumque Nepotem Imperio exuit. Breui tamen Odoacer Erulorum Rex, inter tot tumultus, Italiam ingenti cum exercitu occupans, ipsum Momyllum Augustum è Regno expulit, anno Christi quadringentesimo septuagesimo sexto, Zenonis tertio; Tum in Lucullanum Campaniæ, propè Neapolim, situm Castellum, relegauit *Marcellino auctore*; Sicque Romanum Imperium occidentale, ab Augusto ortum, cum Augusto extinctum est, & ad Barbaros deuolutum, rerumque summa ad Odoacrum eorum Principem delata. *Cassiodorus, & alij.*

LEONIS IMPERATORIS ORIENTIS Gesta, & Obitus.

Ariadnam filiam, marito suo proditore interfecto, Zenoni Isaurico, in coniugem dedit, anno Christi quadringentesimo septuagesimo primo, principatus decimo quinto; sequenti verò Theodoricum obsidem ad Theodomirum parentem suum, Ostrogothorum principem remisit. *Nicephorus.*

Leonem nepotem ex genero suo, & Ariadna filia, Augustum appellauit, Imperiique consortem fecit, anno Christi quadringentesimo septuagesimo tertio, principatus decimo septimo, tandem anno proximo adulto, naturæ concessit, *vt testatur Cassiodorus, Cedrenus, Zonaras,* Marcellinus *Comes, & alij.*

ICON

LEONIS IMPERATORIS ORIENTIS.

LEO *Græcus Thrax genere, Asparis suffragio orientis Augustus acclamatus est; Princeps infœlix certè, cum atroces permulti casus ipsius Imperium fœde deformarint. Regia enim vrbs eo regnante, ferali incendio conflagrauit. Classis amplius centum nauium, aduersus Gensericum Africa Tyrannum, destinata, duce Basilisco, periit; vniuersus demum orbis Romanus, magnis Barbarorum incursionibus, funestatus fuit. Hic fato proximus, Zenone genero suo præterito, quod nec regium haberet animum, nec speciem dignam Imperio, Leoni nepoti Imperium orientis legauit. Tum ianuario mense anni principatus decimi-octaui nondum expleti, desiit.*

LEONIS IVNIORIS IMPERATORIS Orientis Gesta, & Obitus.

LEone seniore mortuo, Leo junior ab auo puer relictus, vix anno Imperio præfuit; variis si quem morbis obnoxius, Zenonem patrem in consortium assumpsit. *Pomponius Lætus, & Baptista Egnatius.*

ZENONIS ISAVRICI IMPERATORIS *Orientis Gesta.*

Zeno in collegam Imperij à Leone juniore filio suo adscitus, anno Christi quadringentesimo septuagesimo quarto, solus, ab illius morte, Reipublicæ gubernacula tenuit. Verùm à Basilisco, qui in eum arma verterat, expulsus, anno Christi quadringentesimo septuagesimo sexto, in Isauriam, propriosque lares, cum Ariadna vxore sua, confugere coactus fuit; immo desertis quibusdam in locis, iam ad extrema redactus, latitare, vitamque ærumnosam traducere; ab exilio tamen à senatu reuocatus, anno Christi quadringentesimo septuagesimo septimo, Basiliscum hostem, atque Tyrannum omnia vndique miscentiem, perdomuit; dein in Cappadociam cum coniugè, ac filiis longè procul amandauit, vbi tandem fame miserè periit. *Marcellinus Comes.*

CHILDERICI FRANCORVM *Regis Cesta.*

QVamuis belli tractu, Euaricum hostem ferociter exultantem, frangere potuisset; decedere tamen de suo iure aliquid, quàm fœda vastatione, Galliam populari, maluit. Concessa itaque Aruernorum ciuitate, quæ nulla Gothorum vi expugnari potuerat, aliisque permultis oppidis, pacem firmauit.

HEROES

Sanguine, Gestis, & Politia.

Ricimer Patricius genere Gothus plurimos ad Imperium euectos extinxit. *Marcellinus Comes.* Videmirus, Videmiro patre Ostrogothorum Principe, & Theodomiro, qui eidem

genti in Illyrico præerat, fratre in Italia mortuo, Regnum occupauit, anno Christi quadringentesimo septuagesimo tertio, Leonis Imperatoris decimo septimo, *vt testatur Jornandes.* Osca item, & Otha, Hengesto parente, Anglosaxonum Rege, sublato, imperant in Cantio eodem anno. *Polydorus lib. 4. sub initium.*

Orestes, militiæ Magister à Iulio Nepote creatus, filium suum Momyllum occidentis Imperij insignibus donauit, anno Christi quadringentesimo septuagesimo quinto. *Caßiodorus.* Theodoricus defuncto Theodomiro patre, Ostrogothorum Rege, Regni fasces assumpsit sub idem tempus, *vt vult Jornandes.* Euaricus Visigothorum Rex bello potens, acer animo, annis vigens atque florens præclara multa gessit facinora eodem anno. *Gregorius Turonensis, & Mariana lib. 5. de rebus Hispaniæ.*

Odoacer Orestis quondam armiger, ac primus Italiæ Rex: Hanc enim expulso Augustulo occidentis Imperatore, anno Christi quadringentesimo septuagesimo sexto, in suam redegit potestatem, consularemque dignitatem abrogauit. Tum ad firmandam cum cæteris principibus amicitiam, concessit Euarico Visigothorum Principi, anno Christi quadringentesimo septuagesimo septimo, quidquid Romani, ab Alpibus ad Rhenum vsque, occupabant.

Hunnericus maior natu filius, Genserico patre Vandalorum Rege in Africa è rebus humanis erepto, Regnum capessit, anno Christi quadringentesimo, septuagesimo sexto, Zenonis tertio. *Victor lib. 4.* Blases, seu Valens, vir spectatissimus, placidisque moribus, ac frater Perozis, Persarum Regis extincti, in illius locum suffectus est, eodem anno, præfuitque annis quatuor, *vt scribit Agathias.*

Basiliscus Tyrannus Verinæ Augustæ frater, Zenonem, sub idem tempus, è solio detrusit, filiumque suum Cæsarem appellauit; anno verò Christi quadringentesimo septuagesimo septimo, ipse à Zenone eiectus fuit, *Marcellinus Comes.* Ambrosius Aurelianus, Romanus ciuis clarissimus Regem agit in Britannia, eodem Christi anno; capitque arma, vt Britones ab Anglosaxonum iugo, quo grauiter premebantur, liberet: quibus

REGNORVM OCCASVS.

Destructis Assyriorum, Medorum, Persarum, atque Græcorum Imperiis, rerum summa ad Romanos, qui cæteris omnibus, & magnitudine, & rerum gestarum gloria, præstitere, deuenerat. Verùm illorum etiam florentissimum Imperium, quingentis abhinc circiter annis ab Augusto ortum, tot Barbarorum euastationibus lacerum, tot bellorum motibus concussum, consentientibus numinum fatis, in Augustulo corruit, anno Christi quadringentesimo septuagesimo sexto, Zenonis Imperatoris tertio: nihil enim est humanis viribus elaboratum, quod non humanis etiam viribus euerti, & destrui possit. *Cassiodorus*, *&* Marcellinus *Comes.*

REGNORVM ORTVS.

Potentissimum illud Italiæ Regnum ab Odoacto, primo principe administratum, ex Imperij occidentalis cineribus enatum est, anno Christi quadringentesimo septuagesimo sexto, *vt scribit Cassiodorus, Marcellinus Comes & omnes Historici.*

CALAMITATES.

Vesuuius Campaniæ mons, redacta, inrestinorum ignium vi, in minutum puluerem, viscera euomuit, anno Christi quadringentesimo septuagesimo primo, Leonis Imperatoris decimo quinto, tam altè, ac densè vt nocturnas in die tenebras, erepto sole fecerit, tam late, longéque, vt Europæ faciem omnem cineribus contexerit, immò Constantinopolim vsque eiecerit; tam copiosè, vt in eo tractu, ad quatuor digitorum altitudinem ascenderint; tam denique horrendè, vt ipse Princeps perterritus, relicta vrbe, ad sanctum Mamantem profugus, plurimùm ibi commoratus fuerit. Cæterum huiusce feralis spectaculi memoriam celebrauit Constantinopolis quarto idus Nouembris, annuisque supplicationibus Deum placare instituit. *Ita Marcellinus, Procopius, &* C*uspinianus.* Tan-

tus item terræ motus sub idem tempus Antiochiæ factus est, vt illam ferè prostrauerit, *teste Zonara in vita Leonis Principis.* Plures insuper ciuitates in Asia, atque oppida illustria collapsa sunt.

Fames per Retios, Noricos, & alios Boreales populos in dies adolescens longè, latéque grassata est; magnasque hominum strages in Galliis edidit, anno Christi quadringentesimo septuagesimo quinto, Zenonis Imperatoris secundo. Gregorius Turonensis. Regiæ item vrbis Constantinopolitanæ pars magna, iniecto, in Basilisci Principis odium, igne, fœdè deformata fuit. Eodem incendio exhausta Bibliotheca instructissima; in ea enim librorum millia vicena supra centena. Verum præter alia admiratione digna, maximóque Principum studio, atque æmulatione illuc congesta Draconis intestinum centum, ac viginti pedum latitudine, visebatur, in quo Homeri Ilias, atque Odyssea; tum etiam rerum ab Heroibus gestarum Historia aureis litteris inscripta erat. Adde item egregia monumenta, quæ eadem clade periere, anno Christi quadringentesimo, septuagesimo sexto Zenonis tertio. *Cedrenus, Theophanes, & alij.*

Eadem vrbs tam ingenti terræ motu quassata fuit, anno Christi quadringentesimo septuagesimo septimo, Zenonis quarto, vt priuata, publicaque opera multa euersa fuerint, *ita Theophanes.* Anno verò sequenti, eodem terræ motu quadraginta dierum spatio concussa, statua Theodosij Magni Principis in foro Tauri, supra cochlidem columnam posita, corruit. Hunc diem tanto terrore, atque horrore plenum, magno cum apparatu coluere Constantinopolitani octauo Kalendas Octobris. *Marcellinus Comes.*

RES BELLICÆ.

Ostrogothi, Videmiro duce, Italiam inuaserunt, anno Christi quadringentesimo septuagesimo tertio, Leonis Imperatoris decimo septimo. Theodomirus verò ipsius frater magnis itineribus ad Imperium orientale deprædandum properauit. *Iornandes.* Cædes item maxima facta fuit sub idem tem-

pus Constantinopoli, Seditione in circo orta, multique Isaurici à populo interfecti. *Marcellinus Comes.*

Sarraceni Mesopotamiam populati sunt, anno Christi quadringentesimo septuagesimo quarto, Leonis Imperatoris decimo octauo; Hunni autem Thraciam. *Teste Theophane & Cedreno.* Adde prælium acerrimum contra Hengestum, Cantiorum Regem eodem anno commissum. *Polydorus lib. 4. sub initium.*

Saxones Andegauorum agrum incursarunt, anno Christi quadringentesimo septuagesimo quinto, quò Childericus Princeps aduolans Paulum Comitem Romanum, capta ciuitate Andegauensi, interfecit. Franci sub idem tempus Saxonum Insulas occuparunt, *vt scribit Gregorius Turonensis.*

Odeacer ab extrema glacialis orbis parte euocatus, in Italiam irrupit; Eâque, expulso Augustulo, potitus est, anno Christi quadringentesimo, septuagesimo sexto, Zenonis Imperatoris tertio. *Marcellinus Comes.*

Euaricus Visigothorum Rex, rupto fedete, Imperij sui fines in longos terrarum tractus protraxit, Francorum ditione, armis euastata: cuncta enim ferro, igneque compleuerat. Arelatem, Auinionem, aliaque prouinciæ Delphinatus oppida cepit; Aruernorumque insuper regionem ingressus eodem Christi anno quadringentesimo septuagesimo sexto; ad primariam gentis ciuitatem, Aruernum scilicet, hodie Claramontem vocant, castra posuit; vbi oppidanorum singularis virtus enituit. Tum passi propè vltima; semirutis quamquam mœnibus, pro nudata muris patria, corpora obijcientes, hostium impetus, præsentibus animis sustinuere. Dixisses inde cum Poenis irrumpere Annibalem; hinc vero pugnare pro aris, & focis Seguntianos. *Sidonius Apollinaris, Gregorius Turonensis, & Mariana.*

Zeno Isauricus haud segniter comparato exercitu, Byzantium infesto agmine contra Basiliscum maturauit, anno quadringentesimo septuagesimo septimo, principatus quarto. *Procopius, & Euagrius.* Biennio verò post, Theodoricus Gothorum Rex, Græciam vniuersam lacerauit Hunc tamen Sabinianus dux, ingenio magis, quàm virtute repressit. Porro

iste Theodoricus fuit Triarij filius, cognomento Strabus, fratre vxoris Asparis genitus, *vt refert Theophanes.*

REI INSIGNES.

Aspar, cum Ardabute, Patricio, & Patriciolo Cæsare, filiis, maiestatis reus, spadonum ensibus, ipso in palatio periit, anno Christi quadringentesimo septuagesimo primo, Leonis Imperatoris, decimo quinto. *Marcellinus Comes, & Euagrius.*

Petrus Fullo Basilisci Tyranni fautor in ordinem redactus, exilio apud Pityos damnatus fuit, anno Christi quadringentesimo septuagesimo sexto, Zenonis Imperatoris tertio, *Theophanes.* Sequenti autem Basiliscus Tyrannus, è solio eiectus, in oppidum, Lemnis, in Prouincia Cappadocia, nominatum, vnà cum vxore, & filiis relegatus. *Euagrius.*

OBITVS ILLVSTRES.

Bilimer Galliarum rector, fato absumptus est, anno Christi quadringentesimo septuagesimo secundo, Leonis Principis decimo sexto. *Paulus Diaconus.* Ricimer vir spectatissimus summæque auctoritatis obiit eodem anno. Proximo verò Videmirus Ostrogothorum Rex Italiam inuadens. *Iornandes.*

Hengestus Anglosaxonum Princeps illustrissimus, commisso cum Britannis prælio, cecidit anno Christi quadringentesimo septuagesimo quarto, Leonis Imperatoris decimo octauo. *Beda, & Polydorus lib. 4. sub initium.* Anno item sequenti Vortimericus Britannorum Rex acriter contra Hengestanos Anglosaxonas, qui Cantium occupabant, depugnans occubuit. Theodomirus insuper, Videmiri Ostrogothorum Principis frater, desiit eodem anno. *Iornandes. Euagrius* tamen refert eius obitum ad annum quadringentesimum octogesimum primum.

Orestes Patricius cæsus est Placentiæ, quinto Kalendas Septembris, anni Christi quadringentesimi, septuagesimi sexti, Zenonis Imperatoris tertij; Rauennæ autem Paulus ipsius fratet pridie nonas Septembris eiusdem anni. *Cassiodorus, &*

Cuspinianus ex antiquo Chronico. Perozes Persarum Rex signa contra Hunnos Albos, seu Nephtalitas, *vt vult Agathias*, seu Euthalitas, *vt Procopius*, mouens, primo hostium congressu, altissima fossa, magno cum equitum numero, filiisque triginta, quos secum deduxerat, absorptus miserè periit. *Procopius lib. 1. de bello Persico.* Gensericus Vandalorum Rex eodem Christi, anno quadringentesimo septuagesimo sexto, Imperij tricesimo septimo, desiit. *Victor lib. 1. de persecutione Vandalorum. Procopius tamen* asserit eum regnasse annis triginta nouem, Regumque omnium fuisse felicissimum, ob duas potentissimas vrbes, Carthaginem nempè, ac Romam, ab eo expugnatas, potitumque manubiis, ex quibus trophæa erexerat. *Victor lib. 3.*

Armatus exconsul, Basilisci Tyranni cognatus, occisus fuit, anno Christi quadringentesimo septuagesimo septimo, Zenonis quarto. Bacila vero Comes ab Odoacre Italiæ Rege quinto idus Iulias eiusdem anni sublatus est. *Marcellinus Comes.*

Iulius Nepos, quem Orestes Imperio abdicarat, Viatoris, aliorumque comitum suorum insidiis non longè è Salanis, sua in villa è viuis excessit, anno Christi quadringentesimo octogesimo. *Auctor citatus.* Blases denique, seu Valens Persarum Rex eodem anno morte abreptus est. *Bizarus de rebus Persicis.*

DECAS NONA.

ZENONIS IMPERATORIS Orientis Gesta.

THEODORICVM Ostrogothorum Regem Amalum dictum, Constantinopolim accersiuit, anno Christi quadringentesimo octogesimo primo, principatus octauo, eumque summis honoribus coluit, immo in filium adoptauit; annoque sequenti contra Marcianum, Illum, Leontium, Marcum, & Pampretem Reipublicæ hostes infensissimos misit. *Euagrius lib. 13.*

CHILDERICI FRANCORVM REGIS Gesta, & Obitus.

BOni Principis munia, reliquo vitæ decursu feliciter impleuit, rerumque mole fractus magis, quàm annorum numero, ac omni laudum genere cumulatus fato functus est, anno Christi quadringentesimo octogesimo quarto, *vt testatur Sigebertus, & alij scriptores de rebus Francicis.*

ICON

CHILDERICI FRANCORVM REGIS.

CHILDERICVS *Merouei filius, dignus certè tanto patre, ni prauæ malorum consuetudines, bonis artibus, studiisque relictis, transuersum egissent adolescentem, quem aliquantulum tum parentis memoria, tum amicorum reuerentia tenuerat; dein crescente licentia, maligna quadam atque inuida fortuna, rectum, moderatumque eius ingenium, ita subuertit, vt qui anteà Martis filius dicebatur, mox Veneris puppus à suis appellaretur, stupris, atque adulteriis Principem agens. Quare illum Franci à maiorum virtute desciscentem, sanctumque Regis nomen, iustitia, militarique gloria consecratum, defœdantem, Regno eiecerunt. Verùm præmissa à Vidomaro, ex conuentu numismatis parte, è Turingia post octauum circiter exilij annum, in Regnum postliminio iterum admissus præteritæ calamitatis haud oblitus, ad vltimum vsque senium, principatum prosperè tenuit. Bella multa fœliciter confecit. Saxones perdomuit Aurelia primum, capto Paulo vrbis Præfecto, tùm traiecto Ligeri Andagauo potitus est; breuique pòst aliquot Batauorum Insulas, ab iisdem Saxonibus occupatas expugnauit, ac Francorum Imperio adnexuit. Ita excusso prioris vitæ veterno, optimi Imperatoris officia præstitit, amicis suauis, terribilis hostibus, omnibusque popularis magno omnium luctu diem extremum clausit, Imperij anno tricesimo.*

CLODOVEI FRANCORVM REGIS *Gesta.*

IVstis, Childerico Regi, solemni ritu persolutis, Clodoueus ipsius filius, regium insigne, nomen, potestatem, animumque suscepit, anno Christi quadringentesimo octogesimo quarto. Hic primo principatus initio, illam Imperij Romani imaginem, quæ in Suessionum finibus, tantæ olim dominationis à Iulio Cæsare in Galliam occupatæ, ad hoc vsque tempus superfuerat, Syagrio illius regionis Principe deuicto, penitùs sustulit. *Gregorius Turonensis, Aimoinus, & alij.*

HEROES

Sanguine, Gestis, & Politia.

Hunnericus Vandalorum Rex in Africa, Theodoricum fratrem suum cum illius vxore, & liberis, Comitesque quàm plurimos, ac nobiles gentis suæ viros, vario mortis genere extinxit; immo sectæ suæ Arrianæ Patriarcham nomine Iocundum, flammis absumpsit, anno Christi quadringentesimo octogesimo primo, *vt asserit Victor lib. 2.*

Leontius Patricius, cuius opera Verina Augusta è Papyrio Castello liberata fuerat, anno Christi quadringentesimo octogesimo secundo, Imperator in oriente, eiusdem Augustæ studio salutatus est, anno Christi quadringentesimo octogesimo tertio; Tùm ornatus purpura, Antiochiam ingressus, Lilianum Præfectum prætorio constituit. *Theophanes.*

Congallus Dongardi filius, Constantino auunculo sublato, Scotici Regni iura suscepit eodem Christi anno quadringentesimo, octogesimo tertio, Zenonis Imperatoris decimo. Huic primá, ac præcipua cura fuit, ea reficere quæ Constantini Principis, vel negligentiâ dissipata, vel mollitie præcipitata, vel vtráque conuulsa fuerant. *Hector Boëtius lib. 8. & Leslæus lib. 4.*

Gundabundus

Gundabundus, Gentonis, seu Gensonis fratris filius, & Godagisus *à Victore* nuncupatus, Hunnerico Vandalorum Rege in Africa, à quo ne Regno succederet, in exilium relegatus fuerat, fœdo exitu emortuo, rem administrauit, anno Christi quadringentesimo octogesimo quarto, *vt testatur auctor citatus.* Illus sub idem tempus, orientis dux summa cum potestate, à Zenone Imperatore creatus est, Trocundus autem illius frater, magnæ erat famæ in aula. *Euagrius, & Theophanes.* Alaricus item Euarici Visigothorum Regis filius, procurato parentis funere, omnium procerum suffragio, Rex acclamatus est. *Gregorius Turonensis, & Mariana lib. 5. de rebus Hispaniæ.*

Theodoricus Amalus rerum gestarum gloriâ clarissimus, militiæque Magister, dignitate consulari, triumpho amplissimo, ac statua equestri in foro, antè palatij regiam, ob debellatos Illum, Marcum, Leontium, & Pampretem Reipublicæ perduelles, auctus est eodem Christi anno quadringentesimo octogesimo quarto. Tum beneficiorum immemor arma contra Imperatorem vertit, orientale Imperium affectans. Verùm spe frustratus, Italiam inuasit, anno Christi quadringentesimo octogesimo septimo, multisque prælijs, Odoacrum Italiæ Principem profligauit biennio pòst. *Euagrius, Iornandes, & alij.*

Fridericus Phæbæ, seu Philitei, Rugorum Regis filius, victo, captoque parente, ab Odoacre Principe, anno Christi quadringentesimo octogesimo septimo, ad Theodoricum Amalum Ostrogothorum Regem confugit anno sequenti, cuius ope, paterno potitus est regno, ex quo tamen haud multo pòst, ab Onulfo Odoacri fratre, iterum expulsus fuit. *Euagrius.* Anno autem Christi quadringentesimo octogesimo nono, Syagrius Romanus, Ægidij Comitis filius, Suessionibus præerat. *Iornandes, & Gregorius Turonensis.*

Vtherius cognomento Pendraco, & Vortimerij Britanniæ Regis filius, magna cum laude ab anno Christi quingentesimo septuagesimo quinto, quo pater occubuit, res Britannicas administrauit. Nihilque antiquius habuit, quàm patriam a Barbarorum metu vacuam reddere. *Polydorus lib. 3.*

Dddd

dringentesimo octogesimo primo, vt eorum conflagratione, priuatæ, publicæque domus innumeræ, exhaustæ fuerint. *Victor de persecutione Vandalorum lib. 2.*

Euaricus Visigothorum Rex, coacto Atelate consilio, anno, Christi quadringentesimo octogesimo tertio Zenonis Imperatoris Orientis decimo, sagittas, quæ, pro more gentis, manibus præferebantur, colorem modò viridem, modò roseum, aut croceum, nigrumve, subinde inducere, non sine stupore magno aduertit, *vt scribit Isidorus.*

In Minio, Hispaniæ fluuio, capti sunt pisces, anno Christi quadringentesimo nonagesimo, in quorum squammis, inscripta legebatur præsentis anni æra. *Sigebertus, & alij.*

CALAMITATES.

Annonæ caritas adeò grauis fuit, anno Christi quadringentesimo octogesimo quarto, Zenonis Imperatoris orientis vndecimo, pestisque tam atrox, vt totam longè, lateque Africam, ingenti hominum strage, compleuerit. *Baronius.*

RES BELLICÆ.

Ioannes Scytha, Illum, & Leontium hostes, penitus profligauit, anno Christi quadringentesimo octogesimo quarto, Zenonis Imperatoris orientis vndecimo, victosque, in Pampytium Castellum Isauriæ, confugere coëgit, vnà cum Pamprete, cuius præstigiis illusi, annos quatuor ibidem commorati sunt. *Theophanes.*

Theodoricus Amalus Ostrogothorum Princeps, Zenonis Imperatoris beneficiis nunquam satiatus, magna suorum manu, ad Regiam vsque ciuitatem, infestus accessit, anno Christi quadringentesimo octogesimo septimo; plurimisque oppidis, incendio consumptis, ad Nouensem Moësiæ vrbem, vnde aduenerat, remeauit. *Marcellinus Comes.*

Odoacer Rugios prostrauit in Norico, nunc Austria. Mox Phæba, seu Philireo Rugorum Rege victo, captoque decimo septimo Kalendas Decembris eiusdem anni quadringen-

tesimi octogesimi septimi, rediit in Italiam, *vt scribit Cassiodorus.*

Theodoricus Amalus Odoacrem Erulorum, & Italiæ Regem prosperè deuicit, anno Christi quadringentesimo octogesimo nono; tum instaurato eodem anno prælio, ad internecionem deleuit; Tucinumque vastatum Rugiis traditum est. *Ita citatus auctor.* Clodoueus verò Francorum Rex Syagrium Suessionum Principem, magnanimum quidem, sed parùm Fœlicem, sub idem tempus, debellauit, coëgitque eum, facie sanguine oblitâ, ne agnosceretur, Tolosam ad Alaricum Visigothorum Regem confugere. Tunc Francus victor, Suessiones diripuit; Rhenis tamen finitimæ ciuitati temperatum est. *Gregorius Turonensis, Paulus Æmilius, & alij.*

Odoacer tertiò iam belli aleam expertus, ad Duram fluuium superatur, anno Christi quadringentesimo nonagesimo, Zenonis Imperatoris decimo-septimo; victusque Rauennam maturauit, vbi à Theodorico victore, triennium est obsessus. *Cassiodorus, Iornandes, Procopius, & auctor Miscellæ.*

OBITVS ILLVSTES.

Constantinus Scotorum Rex, spurcissimus, atque impurissimus, cùm nulla esset virgo, cui vim non inferret; nulla matrona tam pudica cui fucum non faceret; liberiúsque cum histrionibus, quàm cum ingenus; cum mimis quàm cum nobilibus; cum scorratoribus denique, quàm cum pudicis, castisque hominibus versaretur, ab Hebridiano quodam nobili, cuius filiam constuprarat, interfectus est, anno Christi quadringentesimo octogesimo secundo, principatus decimo septimo, Zenonis Imperatoris onno. *Leslæus lib.* 4.

Hunnericus Vandalorum Rex in Africa, Genserici filius, Christianæque religionis hostis infensissimus, vltricibus intus flammis, atque vermibus, vt alter Antiochus, Herodes, & Maximinus absumptus est, anno Christi quadringentesimo octogesimo quarto, Zenonis Imperatoris vndecimo, principatus octauo fere emenso, *teste Victore lib.* 3. *& Gregorio Turonensi. Alij tamen ex Procopio*, eius obitum ad annum Christi quadrin-

genteſimum octogeſimum quintum reijciunt.

Euaricus Viſigothorum Rex, in Gallia, è viuis morbo ſublatus eſt eodem Chriſti anno, *vt aſſerit Gregorius Turonenſis, & Mariana lib. 5. de rebus Hiſpaniæ.* Verina item Auguſta, ſub idem tempus, obiit, *auctore Theophane.* Sequenti autem Zenonis Imperatoris filius, ad Imperij ſpem, ſed iniquiſſimè educatus, vt pote qui vitiorum omnium ſemina haberet, immatura morte, bono tamen publico, exceſſit. *Suidas.*

Trocundus Illi viri clariſſimi frater, à Ioanne Scytha obtruncatus fuit, anno Chriſti quadringenteſimo octogeſimo octauo, Zenonis Imperatoris decimo quinto. Pampres verò, ab Illo occiſus, *vt refert Theophanes & Marcellinus Comes.* Leontius denique, & Illus Tyrannus eodem anno extincti ſunt in Papyrio Iſauriæ Caſtello, eorumque capita Conſtantinopolim delata.

Syagrius Ægidij Comitis filius, ab Alarico Viſigothorum Rege, ad quem confugerat, Clodoueo Francorum Principi, atrocibus minis repetenti redditus, ſecuri illius iuſſu percuſſus eſt, anno Chriſti quadringenteſimo octogeſimo nono. *Gregorius Turonenſis, Paulus Æmilius.*

DECAS DECIMA.

ZENONIS IMPERATORIS ORIENTIS Gesta, & Obitus.

GEnio ita largiter indulgebat, vt tandem apoplexiâ correptus, quam, è crapula, contraxerat, naturæ, nulla prole relicta, concesserit, *vt refert Euagrius.* Alij verò asserunt comitiali, sacroque morbo laborantem viuum infossum fuisse, & ab Ariadna, cum expergefacti vox audita esset, vetitum extrahi, infœlici exitu periisse, anno Christi quadringentesimo nonagesimo primo.

ICON

ZENONIS IMPERATORIS ORIENTIS.

ZENO *Isauricus obscurissimo genere, insignique tum corporis, tum animi fœditate, sub exordium principatus, Verin. socrus, illiusque fratris Basilisci insidiis oppressus, immo è Regno eiectus, in Isauriam cum Aria sua uxore, quæ coniugalem fidem, matris, atque aulæ blanditiis antiquiorem habuerat, confugit. Verum non multò pòst, magno ciuium amore, reuocatus, Basiliscum è solio expulit, multos Tyrannos fœlici dextera obtriuit, ipsumque Odoacrum Italiæ Principem, Theodorici Ostrogothorum Regis operâ, apud Rauennam, profligauit, cui victo in præmium, Italica fuit regio. Præclara insuper magnis sumptibus instaurauit ædificia, optimique Principis nomen consecutus fuisset, ni crudeli nece, innocentes plurimos, ac Pelagium in primis, virum bonis artibus, atque virtutibus eximiè præditum, affecisset; cuius sæuitiæ pœnas graues, breuî exoluit; Herculeo siquidem morbo, quo identidem detinebatur, viuus illatus est, anno Imperij decimo septimo, mense quinto.*

ANASTASII IMPERATORIS Orientis Gesta, & Obitus.

Zenone sublato, Anastasius Imperij Orientis insignia, Ariadnæ studio assumpsit; ipsoque principatus initio, Chrysatgyrum, hoc est vectigal, tam capitibus singulis, quàm iumentis, pecoribus, & canibus, immò etiam fœdissimis quibusque rebus, fimo scilicet, atque vrinæ impositum, penitus remisit, *vt testatur Cedrenus, Theophanes, & Euagrius*, qui lib. 13. fusiùs id enarrat, tributique huiusce genus, à meretricibus, & exoletis exactum fuisse refert; adeò vt, præposteræ libidini, licentia facta, hoc modo videretur.

Venationes prohibuit, sub idem tempus, muneraque publica, quæ passim, Zeno grandi vendebat pecunia, gratis contulit, *vt scribit Theodorus lector Collect. lib. 2. & citati auctores.* Firmato tamen postmodum dominatu, pecuniæ cupiditas, velut ex radice, haud quaquam auulsa, in ditiores exactiones enata est.

Augustatico suo dudum militibus præstito, donarium quoque illis concessit, anno Christi quadringentesimo nonagesimo sexto, principatus sexto; Elephantumque à poëta nostro Plauto, Lucabum nominatum, duasque Camelopardalas, dono, ex India accepit. *Marcellinus Comes.*

CLODOVEI FRANCORVM REGIS Gesta.

Clotildem Chilperici fratris Gundebaldi Burgundionum Regis filiam natu minorem, eximiâ, atque eleganti formâ, sed virtutibus longè præstantiorem; quippè quæ Christiana fide, atque pietate, iam inde ab infantia imbuta fuisset, in vxorem duxit, anno Christi quadringentesimo nonagesimo quarto, principatus vndecimo. *Gregorius Turonensis, &*

Aimoinus

Aimoinus lib. 1. *c.* 3. Gallias item, Sequanam vsque fluuium, Regno suo adiunxit. *Jornandes & alij.*

Diuino fultus numine, victor de Alemannis, anno Christi quadringentesimo nonagesimo nono, principatus decimo quinto, Christo nomen, ex voto, dedit, sacroque diuinitùs inunctus est oleo; Etenim cum multitudine hominum penè infinita, omnis, ad fontem sacrum, intercluderetur aditus, oleumque ex sacrario tardiùs proferretur; Ecce, mirum dictu, columba expansis alis improuisò aduolat, cælestéque chrisma in ampulla ore deferens, manus inter Antistitis deponit; moxque subuolans, non minori turbæ lætitia, quàm admiratione, in cælum abit; tuncque mitis deponens colla Sicamber adorauit quod incendebat, & incendit, quod adorauerat; sic mutata Imperij facie, sæua gentium impietas, in eximiam pietatem; ferox barbaries in humanitatem singularem, & superstitio infamis, in veram religionem, transiit. *Gregorius Turonensis, Aimoinus, & alij.* De iis fusiùs agemus in Historia nostra sacra, titulo, Regni Christi progressiones.

HEROES

Sanguine, Gestis, & Politia.

Cabades Persarum Rex, lege lata de polygamia, è solio detrusus in carcerem, cui nomen Lethes, coniectus fuit, anno Christi quadringentesimo nonagesimo primo, è quo breuî, vxoris dolo, mutatis scilicet cum ea vestibus, ad Hunnos Nphtalitas confugit; vbi Regis filia, in matrimonium ducta, numerosum in Persas duxit exercitum. *Procopius, & Agathias*: Anno tamen quarto emenso sceptrum resumpsit.

Zambazes, seu Blases, Cabade custodiâ detento, Regnum annis quatuor tenuit, quibus expletis, purpuram exuit, rerumque summam eidem Cabadi detulit, qui deinde, longo annorum tractu, Imperium Persicum administrauit, *vt referunt Annales.*

Nilingis, seu Lilingis dux magni nominis, Isauriæ regioni minori Asiæ summo cum Imperio præerat, anno Christi qua-

dringentesimo nonagesimo secundo. Himericus sub idem tempus, Osca, & Otha, in bello cæsis, Anglosaxonum Rex salutatus est. Artus verò, seu Arthurus, Vtherio Patre sublato, regno Britannico potitus est. *Polydorus.*

Theodoricus Amalus Ostrogothorum Princeps, triennali obsidione Rauennâ oppugnatâ, rem ita cum Odoacro Rege transegit, anno Christi quadringentesimo nonagesimo tertio, vt ambo æquo iure, parique Imperio potirentur. Verùm, quia Regni societas vix fida habetur, Odoacrum, haud multò pòst epulo exceptum, crudeli nece peremit. Tum pace cum Anastasio, qui Zenoni successerat, inita, vicinorum Principum affinitatibus, imperium suum firmare staduit: Clodouei siquidem Francorum Regis sororem Au lefendam, seu Audefledam, toro sibi iunxit, *vt Aimoinus asserit*, non autem filiam, *vt Jordanes.* Mox filias duas, quas ex concubina, susceperat, Theudicodam, seu Theuderusam, Alarico Visigothorum duci; Sigismundo verò, Gundebaldi Burgundionum Regis filio Ostrogotham collocauit; primisque annis tanta æquitate rexit, vt cum optimis quibusque Romanorum Augustis comparandus fuerit; Et quamuis populari ex instituto Gothorum, Arianam sectam coleret, ius tamen, atque libertatem Ecclesiæ, summa fide tutatus est. Romanam vrbem ingressus, anno Christi quingentesimo, senatum omnem, populumque Romanum, regiâ munificentiâ, demeruit; illi enim, annis singulis, tritici viginti millia modiorum concessit; dein ad reficiendos muros, ingentem pecuniam largitus est. Adde donatiuum, quod per Paulum Tribunum Notariorum, erogandum commisit. *Marcellinus Comes, & Cassiodorus.*

Hyppatius Imperatoris fratris filius, dux bellica laude clarissimus habebatur. *Procopius de bello Persico.* Sigibertus coloniæ Vbiorum Comes illustrissimus, regisque Clodouei fœderatus, summæ erat apud omnes famæ, *vt testantur Annales Francici.* Trasamundus Princeps singulari sapientia, animique magnitudine præstans, Gundabundo fratre, Vandalorum rege in Africa extincto, imperat, anno Christi quadringentesimo nonagesimo quinto, tum Amalafridam Theodorici Amali Italiæ Regis sororem duxit. *Paulus Æmilius, & Procopius de bello Vandalico.*

VIRI ERVDITI.

Euſtathius Epiphanæus, Græcus Hiſtoricus Epitomen ab Aenea, ad Anaſtaſium vſque Imperatorem, libris nouem complexus eſt. *Nicephorus aſſerit* eundem, de Perſarum cum Romanis bello Hiſtoriam contexuiſſe. Coluthus poëta, Lycopolites Thebanus, ſcripſit Calydonia libris ſex, Encomia item, & Perſica. Zoſimus Gozæus ſophiſta, vel Aſcalonites varia Rhetoricæ præcepta edidit, & commentarium in Demoſthenem, & Lyſiam.

REGNORVM ORTVS.

Gothici Regni fundamenta iacta ſunt in Italia à Theodorico Amalo, Oſtrogothorum Principe, anno Chriſti quadringenteſimo nonageſimo tertio. *Procopius, Caſſiodorus, Iornandes, & alij.*

OPERA PVBLICA.

Theodoricus Italiæ Rex, ſtupendis, inſaniſque ſubſtructionibus, antiqua orbis miracula, tum Romæ, tum aliis in vrbibus, longè multùm ſuperauit, anno Chriſti quingenteſimo, Anaſtaſij Imperatoris decimo. *Caßidorus, & auctor Miſcellæ.*

CALAMITATES.

Permulta publica, priuatáque ædificia regiæ vrbis Conſtantinopolitanæ igne conflagrarunt, anno Chriſti quadringenteſimo nonageſimo primo: immo, & pars circi maxima; templum Sophiæ auguſtiſſimum, à Iuſtiniano Imperatore magnificentiùs poſteà reſtauratum. Adde ad hæc, Balneum, Auguſtæ domus veſtibulum, & porticus ad forum vſque Conſtantini. *Procopius de bello Vandalico.* Laodicea, Hieropolis, Tripolis, atque Agaricum ingenti terræ motu collapſæ ſunt eodem anno. Pontica inſuper prouincia vehementer quaſſata fuit,

anno Christi quadringentesimo nonagesimo nono; *vt refert auctor citatus.*

RES BELLICÆ.

Gundemarus, & Chilpericus Gunderici Burgundionum Regis filij, adolescentia feroces & Transrhenarum gentium, subnixi auxiliis, in Gundebaldum fratrem natu maximum, & Godogisilum minimum, arma capiunt, anno Christi quadringentesimo nonagesimo primo, collatisque signis, atroci depugnant prælio; tum victus in Heduorum finibus Gundebaldus, depositis insignibus regiis, se ad tam certos amicos, tamque fidos, ac tutas latebras se contulit, vt cùm nulla fugæ indicia extarent, cæsus in acie creditus sit. Proinde cùm velùt confecto bello, Transrhenana auxilia domum se recepissent; Gundebaldus in lucem rediit; ad quem, quasi miraculo restitutum, qui interemptus ferebatur, cùm concursus vndique fieret, Viennam Burgundiæ tunc contributam vrbem, fratresque, qui victoria potiti, illuc vsque progressi fuerant, in ea obsidet; oppidani vero haud ægrè cessere; mox primo tumultu comprehensum Chilpericum obtruncauit, Gundemarum autem, in extrema spe, è turri se fortiter defendentem, subiecto igne, exustisque foribus concremauit. *Gregorius Turonensis, & Paulus Æmilius.* Bellum plebeium inter Byzantinos ortum est, eodem Christi anno. Odeacer Erulorum Rex in Italia, ex vrbe Rauenna, vbi triennio obsessus fuerat, egressus, à Theodorico Ostrogothorum Principe, commisso ad pontem Candidum, propè Rauennam, prælio, debellatus fuit, ac intra mænia repulsus. *Caßiodorus in Chronico.*

Longinus, Zenonis Imperatoris demortui frater, in ordinem ab Anastasio redactus, collecta latronum manu, Phrygiam, magnis cladibus vastauit, anno quadringentesimo nonagesimo secundo, à Ioanne tamen Scytha, Gibbo, & Diogene, pugna ad Cotyæum inita, prostratus fuit. *Theophanes, Marcellinus Comes, & Theodorus.* Gundebaldus Burgundionum Rex, Galliam Cisalpinam sub idem tempus funestauit. Adde cruentum illud Britannorum bellum, contra Anglosa-

zonas, tanta hominum strage confectum, vt Osca, & Otha Principes, & Hengelti alij in illo eciderint. *Polydorus lib. 3. & 4. Beda, & alij.*

Diogenes, Claudiopoli ciuitate, quæ, inter duos montes, sita est, expugnata, ab Isauris, arctissima obsidione oppressus fuit, anno Christi quadringentesimo nonagesimo tertio, quo audito nuntio, Ioannes illuc mira celeritate aduolauit, superatisque omnibus angustiis, Isauros victricibus armis profligauit; Et hæc secunda victoria à Romanis de Isauris reportata, *vt scribit Theophanes.* Ciuile bellum eodem anno exarsit Constantinopoli; Regisque, ac Reginæ statuæ, non deiectæ modò, verùmetiam funibus, fœdo cum opprobrio, per totam vrbem raptatæ fuere.

Arabes Scenitæ Euphratisiam infestantes ab Eugenio duce fortiter repressi sunt, anno Christi quadringentesimo, nonagesimo sexto, Anastasij Imperatoris sexto. Romani vero deuictis Barbaris, Iotaben Insulam, in Arabico sinu recuperarunt. *Theophane teste.*

Bellum Isauricum profligatum est, anno Christi quadringentesimo nonagesimo septimo *Marcellinus Comes.* Sequenti Clodoueus Francorum Rex, Thuringos debellauit, tractusque Sequanicos subegit, multis deditione, quibusdam autem, vi castellis expugnatis. *Gregorius Turonensis.*

Bulgari magno impetu in Thraciam irrupere, anno Christi quadringentesimo nonagesimo nono, Romanumque exercitum deleuere. In eo siquidem prælio, tota Illyricana militum virtus funditus periit, Nicostrato, Innocentio, Toneo, & Aquilino ducibus, re militari illustribus interfectis. *Marcellinus Comes.*

Andochus Alemannorum dux, collecta ingenti Sueuorum, Baiorum, aliorumque Germaniæ populorum multitudine, aciem in Clodoueum, apud Tolbiacum instruxit. In Vbiis, cis Rhenum, pugnatum est; Iamque Franci equitatu, in quo potissimum Clodoueus victoriæ spem collocarat, dissipato; Sigiberto item, Coloniæ Comite fœderato, graui vulnere saucio, vnde illi mox Claudi cognomen fuit, magna internecione ab hostibus cædebantur, cùm Rex frustra obnixè lo-

uem suum, prisco gentium more, precatus, nec Fautorem, nec Statorem, vt olim Romulus expertus; nec victis, ac spoliatis hostibus, haud dubiè Feretrium habiturus, in summas rerum suarum redactus angustias, fidei pijssimæ, atque Christianæ vxori Clotildi, in paciscendis nuptiis datæ memor, & opinione sanctitatis religionis nostræ imbutus, Deo se, suosque deuouit in hunc modum. CHRISTE BELLORVM POTENS, POLLICEOR ME SACRA TVA, QVÆ ADHVC RESPVO, CVM POPVLO MEO SVSCEPTVRVM, TVO SI BENEFICIO, VICTORIAM DE HOSTIBVS REPORTAVERO. Tum protinus primos inter, & conferros ordines prænolans, ardoremque animi, vultu, oculisque præferens, Alemannis propè victoribus palmam extorquet, anno Christi quadringentesimo nonagesimo nono, principatus decimo quinto; turbatque obuios, cædit, fugat, nullumque in tali trepidatione, ducis generosi, atque fortissimi militis officium omittit. Cecidit Alemannorum Rex, fractáque Alemannia, ingens tributum pendere iussa, leges item graues, magistratusque ab irato victore accepit. *Gregorius Turonensis, & Paulus Æmilius.*

Clodoueus Francorum Rex, Burgundionum fines ingressus, cuncta passim ferro, ac flamma diripuit, anno Christi quingentesimo; Perieratque ea strage Gundebaldus Princeps, nisi Clotildis precibus expugnatus victoris animus, multum, de iusta seueritate, remisisset; & quamquam vix temperari, ac reprimi possit stricti ensis ira, armis tamen modum, pia mulier imposuit, donec patrui perfidiâ bellum recrudesceret. Gundebaldus igitur quasi vrgente fato, & dirâ tot scelerum conscientiâ, quâ nocens animus assiduè vellicabatur, finem fœdum maturante, reuerso ad sua Clodoueo, Viennam proditione intercepit, repertumque in sacra æde, cum vrbis Antistite, Godogisilum fratrem, ad aras, victimarum instar mactauit: quo audito, statim magnis itineribus, illuc se contulit Clodoueus, territumque Gundegaldum ac noctu profugum in Italiam ad Theodoricum Ostrogothorum Regem, nunquam certè rediturum, regno exuit, iustâ haud dubiè pœnâ, in tot vitiorum vindictam, vt qui suis laribus magnificè, ar-

que regiè viuere non potuerat, miserè, ac turpiter in alienis periret. *Gregorius Turonensis, Paulus Æmilius, & alij.*

REI INSIGNES.

Athenodorus Isaurorum primus in Isauria captus obtruncatur, anno Christi quadringentesimo nonagesimo septimo, Anastasij Imperatoris septimo; illius verò caput Tarsum delatum, vbi hastili affixum, pro portis extabuit.

Longinus Isaurus, alter à Zenonis fratre cognomento Selinunteus, hostis Reipublicæ, captus à Prisco Comite, apud Antiochiam Isauriæ ciuitatem, Constantinopolim missus est, catenatusque, per Agentem circumductus, anno Christi quadringentesimo nonagesimo octauo, Anastasio Principi, ac populo ingens spectaculum fuit, variisque cruciatibus Nicææ in Bithynia mulctatus. *Marcellinus Comes.*

OBITVS ILLVSTRES.

Chilpericus, Gundebaldi ipsius fratris Burgundionum regis iussu, securi percussus est Rauennæ; Gundemarus verò ipsius germanus igne in eadem vrbe, eodemque Christi anno quadringentesimo nonagesimo primo extinctus est, *vt scribit Gregorius Turonensis, Paulus Æmilius, & alij.*

Osca, & Otha Anglosaxonum in Cantio Reges cæsi sunt in bello, anno Christi quadringentesimo nonagesimo secundo; quo etiam tempore Vtherius Britanniæ Rex periit. *Polydorus sub finem lib. 3.* Nilingis irem dux celeberrimus, fortiter contrà hostes depugnans occubuit, eodem anno, *vt asserit Theophanes*; sequenti verò Conon Episcopus lethali vulnere, in Isaurico prœlio saucius, & Iulianus magister militiæ, Scythico ferro in acie cōfossus.

Gundabundus Vandalorum Rex in Africa, & Hunnerici filius obiit, anno Christi quadringentesimo nonagesimo quinto, principatus duodecimo inchoato, Anastasij Imperatoris quinto. Procopius de bello Vandalico. Godegisilus verò sacra in æde cum vibis Antistite interfectus est, anno Christi quingentesimo, *vt referunt Annales Francici.*

INDEX RERVM OMNIVM QVÆ IN HAC PARTE CONTINENTVR.

A

C

F

H

Senatum

K

L

N

Saba

S

FINIS.

PRIVILEGE DV ROY.

LOVIS par la grace de Dieu Roy de France & de Nauarre, A nos amez & feaux les Gens tenans nos Cours de Parlemens, Maistres des Requestes ordinaires de nostre Hostel, Baillifs, Senéchaux, & autres Iuges quelsconques & Officiers qu'il appartiendra, Salut; Nostre bien-amé le Pere Goutoulas, Religieux de la Compagnie de IESVS, Nous a fait remonstrer que depuis longues années il a donné la pluspart de ses soins & trauaux à rechercher & compiler ce qu'il a trouué de plus beau & de curieux dans les Histoires profanes depuis la naissance de N. Seigneur Iesus-Christ, iusques en l'an 1640. qu'il a redigez en plusieurs volumes; lequel ouurage comme il est dans sa lecture plein de satisfaction, il desireroit le mettre en lumiere, & donner au public, sous le tiltre de *Admiranda vniuersæ Historiæ profanæ per Decadas digesta, à Christo nato ad annum millesimum quadragesimum, cum Imperatorum Regumque Francorum Iconibus*, s'il nous plaisoit luy en accorder nos Lettres de pouuoir & permission qu'il nous a tres-humblement supplié luy vouloir impartir. A ces causes, desirant fauorablement traiter ledit Exposant, & recompenser ses estudes par l'exposition dans le public d'vn ouurage si élaboré & accomply, Nous auons de nostre grace, plaine puissance & authorité Royale par ces presentes, permis & permettons audit Exposant de faire imprimer ledit ouurage, iceluy faire vendre & debiter en telle marge & caractere, & par tel Libraire & Imprimeur que bon luy semblera, ayant charge & man-

dement de luy par écrit, & ce pour le temps & espace de dix ans finis & accomplis, à commencer du iour que ledit ouurage sera acheué d'imprimer, & ce durant ledit temps, Permettons audit Exposant de faire imprimer ledit ouurage autant de fois qu'il voudra, & en telle forme & maniere qu'il iugera raisonnable & conuenable, ou à ceux qui auront pouuoir de luy; Faisans tres-expresses inhibitions & defences à toutes sortes de personnes de quelque condition qu'ils soient, d'imprimer ou faire imprimer, vendre & debiter en quelque sorte & maniere que ce soit, ledit ouurage, en tout ou en partie, sans le cōsentement dudit Exposant, sur peine aux contreuenans de trois mil liures d'amende, applicable moitié à Nous, & moitié audit Exposant, confiscation de tous les exemplaires, & de tous dépens, dommages & interests : Voulant qu'en mettant au commencement ou à la fin dudit ouurage ces presentes, ou vn extrait d'icelles, qu'elles soient tenuës pour signifiées, & venuës à la connoissance de tous, defendant par icelles à tous estrangers d'en apporter, vendre ny debiter en nostredit Royaume, sur les mesmes peines pendant ledit temps : Mandons au premier nostre Huissier ou Sergent sur ce requis faire pour l'execution des presentes, tous exploits requis & necessaires, saisir les exēplaires d'autre impression, sans demander congé, placet, visa, ne pareatis; nonobstant clameur de haro, charte normande, prise à partie, ny autres Lettres à ce cōtraires; à la charge d'en mettre deux exemplaires dans nostre Biblioteque, & vn dans celle de nôtre tres-cher & feal le sieur SEGVIER, Cheualier, & nôtre Chancelier. Car tel est nôtre plaisir. Donné à Paris le 3. iour de Février 1650. & de nostre regne le septiéme. Signé Par le Roy en son Conseil, DENYSOT.

I'ay sousigné transporté le priuilege cy-dessus au sieur BECHET *Libraire, pour en ioüir pendant le temps porté par iceluy. Fait à Paris ce 4. Février 1650.* *P. I. GOVTOVLAS.*

EGO NICOLAVS ROYON Præpositus Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Aquitaniæ, iuxta priuilegium eidem Societati à Christianissimis Regibus Henrico III. 10. Maij 1583. Henrico IV. 20. Decembris 1606. & Ludouico XIII. 14. Februarij 1611. concessum; quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne Libros ab eiusdem Societatis hominibus compositos, absque Superiorum permissione imprimant; concedo vt opus inscriptum, *Uniuersa Historia profana, in certa capita per annorum Decadas digesta, à Christo nato ad annum millesimum sexcentesimum quadragesimum, cum Imperatorum, Francorumque Regum Iconibus*, P. IACOBI GOVTOVLAS ex eadem Societate, typis mandetur à D. BECHET Bibliopolâ Parisiensi. Datum Pictauij 7. Septemb. 1650.

NICOLAVS ROYON.

ERRATA ET OMISSA ISTIVS PARTIS.

Primus numerus indicat paginam, secundus versum, littera vero. t. titulum.

PAg. 14. vers. 20 lege censémque. pag. 17. v. 19. inter diuos. p. 20 v. 21. Vipsanius. p. 21. v 9. Fabi, non Trabi. & v. 4. t. Viri, Euphorionem. p. 16. v. 31. excit. p. 30. v. 9. Vindelicum. & v. 17. biennio post. p. 56. v. 34. Lydiæ, non Lybiæ. p. 57. v. 4. Aulus Persius non Flaccus. p. 6 Decas quarta, non quinta. & v. 12. t. Funera, Pandatariam Insulam. p. 65 v. . & in a ad in. & v. 26. ludos miscellos. p. 69 v. 21. Tingitanam. & v 30, in militia fuerant. p. 71. v. 2 Sequanis finitimus p. 79. v. 8. t Res bellicæ, & binus replerent. p. 80. t Triumph. v. vltimo, cognomen enim Frugi, & in palmata veste p. 95. v 20. Caractacus Rex. p. 96. Rhadamisto, non Hadamisto. p. 99. v. 2. venitabat. p. 100 v 6. t. Funera, triumphos maiorum. p 101. v. 7. augusta trophæa p. 86 v. 20. bis clausit. p. 109 v. 17. cessit Christianis. p. 111. v. 1. Æsculapio p 4 v. vltimo infima plebe. p. 139. v. 26. Caninefates. p. 1 0. v. 17. à Rege Dauid p. 1 v. 5. t. Res, adde punctum cum virgula, post cæditur. p. 142 v 3. legionarim, p. 150 v. 6. Decebalus. p 51 v 34 salis haberet. p. 169 v 21. Neracius. p. 177. v 17 Tagum, non Tigrim. p 179. v t Heroes apud Traianum. p. 180. v. 4 in delicijs habebat p. 183. v. 3. t. Res bellicæ, A a, & Saugam la. & v 8 regredi. p. 194 v. 13. Cæsarem nominatum. p. 196. v. 2. Dimarchus. & v a. T ollecio. p. 197. v. 28. stragulamque. p. 208. v. 4. Rhoemetalces. & v. 8. Lysis impositus p. 209 v & acumen. p. 211. v. 3 delenda sunt hæc. singulæ vero quinquaginta cubitorum p. 217. v 6. t. , eorum sepulchra. p. 226. v 36 comœdijs. p. 222 v. 4. Verus, non Veius. p. 253. post versum octauum ante Septimium Getam, debet poni titulus Heroës. p 262 v. 9 sactitauit. & v. 26. vindicarit. p 266 v 5. t. Heroes, fecerat, non fuerat. p. 274. v. 5. t Viri. Vlpianus. & v. 6. quousque peritissimo p. 278. v. 14 laureatas. p 283. v. 8. dono dedit. p. 287. v 1. t. Pupiens, hoste, non hote. p 289 v 1. bemonoun v. 8. acriter pugnatum. & v. 33. Aquileian. p. 294 v. 8. addendus est titulus, obitus illustres ante hæc verba, Moesa Phœnicea. p. 298. v. 16. apud prece es. p. 299. v. t. opera. de Gothis. & v 51. Calamitates, per vrbem. p. 303. v. 12. in æternum. p 308. v. 6. æstimantes adulans. p. 309. . 8. ab Alpino. p 310. v. 1 Marcomannorum Regi. p. 3 8. v. 12 Macrianus Iunior. p 18. v 3. Opera, Isthmum vero. p. 310 v. 20. seruos vrbanos. ibid. expleri denique. p. 313. v. 17. t. Heroës Furius. p. 334 v 2. statuam vero p. 339. v 6. vinetis repleuit. p 14 . v a deturparit. p 310 v. 13. esset Chlamys. p. 3 7. in titulo Iconis, lege Constantij Chlori, non Constantini. p 358 v. 20. Cæsaris. p 361 v. 6 t. Res bellicæ, vt Alcanisco p. 372. v. 17. de gradu electus. & v 30. aliorumq; iudicum sententiis. p 374. v. 17. Bonicius, & Visicianus p. 377. v. 4. Veronam non Teronam. p 380. v. 7. in Gallijs. p. 383. v. 32. à Giberico Gothorum Rege p 385 v 2. Publilius. p 388. v. 2. obtruncatur. p 392. v. 10. porriera. p. 395. v. 20 t Constantini secundi, in famosos item libellos p. 397 v. 8. in Icone, ad Alexandrinos non Alexandrum. p. 398. v. 18. Constantius, & Dalmotius, non Constantinus p. 399. v 2. t. Natalitia. Constantinopoli nascitur. p. 402 in titulo Constantini secundi, legendum est Constantij, non Constantini secundi. p. 409. v 14. sororémque. p. 413. v. 11. Vetranio. p 4. 2 v 12. anno Christi trecentesimo sexagesimo, non trecentesimo tantum. p. 423. v. 16. Augustum salutari en p. 4 5. v. 27. noscitque se. p. 431. v. 8 eique oriente commisso. p 432. v. 20. tunc quidem. & v. 8. Theodoro Siculo. & v. 29 Theodosiolo p. 437. v. 11. t Prodigia, eorumque ex argento. p 451. v 11. Lupicino. p. 468. v. 9. Gainam. p. 471. v. 20. proferebantur. p. 473 v. 16. armaru p 499. v 16. Pontes, non Pausites. p. 503. v. penult. t. obitus captiuis conscius. p 511. v. 8 Aspar, non Asper. p. 512. t. Natalitia, v 4 ante verba Scotici Regni, ponendus titulus Regnorum ortus p. 515. v t. obitus, ab Honorio. 517 v. 10. penuriam subleuandam. p. 521. v. 3. t Res bellicæ quadringentesimo trigesimo primo, non vicesimo primo p. 522. v 19 renaurgauit: & v. 2. t. Res Corradis prædo. p. 526. v. 13. in Icone ponatur punctum post defœdarunt: & v. 16 ab Attila: & v. 18 pecuniæ. p. 530 v. 6. t. Viri horum enim. p. 536. in titulo Valentiniani, adde Obitus, post Gesta. p. 537. v 12. in Icone. metu solutus p 539. in Icone. v 10 indicat p 541. in Icone. v 11. in Lybia. p. 546. t. Heroës crudeli tamen. p. 548. v. 6. t. Viri, Epistola 16. p. 549. v 4 Messala. p. 556 v. 7. t Seueri gesta, Augusto orbatus fuit. p 557. v. penultimo, titulo Leonis gesta, diebus festis. p 558 v 6. titulo Ægidij gesta, cum Caligula. p 560. v. 4. primo tradidisse. p. 569 v. 2. titulo Leonis gesta varius siquidem. p. 572 v. 4. t. Viri, Priscus de viris illustribus. p. 576. v. 10 t. obitus, Vortimerius. p. 581. v. 25. captoque parente. p. 8. v 4. t. Res bellicæ. Papyrium Castellum. p. 587. v. 19. morbo correptus, quo detinebatur, sepulchro visum, &c. p. 588. dele obitus ex titulo Anastasij. p. 589. v. 5. t Heroës ad Hunnos Nephtalitas. p. 591. v 6. t. Viri, Garçus. p. 593. v. 17. Tanco. p. 595. v. 16. t. obitus, Godogislus vero.

Errata Paginarum.

A Pagina 74. lege 75, non 77. tum 76. non 78 dein 77. non 79. postea 78. non 80. à pagina 257. lege 258. non 244. tum 259. non 245. dein 260. non 246. à pagina vero 262. lege 263 non 249. tum 264. non 250. dein 265. non 251. postea 266. non 252. sequens numerus 267 bene notatur, & sequentes pariter.